This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Library of the University of Michigan
Bought with the income
of the
Ford - Messer
Bequest



E F FABER



AS
182
M.161

MONUMENTORUM BOICORUM

COLLECTIO NOVA.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA.

VOLUMEN X.

MONACHII,

TYPIS DR. FR. WILD (PARCUS).

MDCCCLXIV.

MONUMENTA BOICA.

VOLUMEN TRIGESIMUM SEPTIMUM.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA.

MONACHII,

SUMTIBUS ACADEMICIS.

MDCCCLXIV.

Praefatio.

Wirziburgensis episcopatus quae documenta aut ipsa aut apographa in Bavariae tabulariis adservantur, eorum prima pars hoc volumine continetur.

Qua in re adornanda Germaniae regum imperatorumque, quae ad hunc episcopatum pertinebant diplomata, cum prioribus huius collectionis voluminibus, quae imperatorum documenta usque ad interregnum stirpis Hohenstaufianae internecione procreatum amplectuntur, in lucem iam edita essent, ita hoc volumine repetere visum est, ut, quae cuius-

145803

que summa esset, brevi oratione exponeremus, voluminis paginam, qua plena perscripta essent, significaremus. Ea quoque documenta, quae nimis levia esse videbantur, brevem in epitomem, testium fide et temporum notatione adiecta redegimus, quam eandem secuti rationem, si quae diplomata ab aliis iam edita erant, lectorem ad illos libros relegare satis habuimus. Sin autem illi aegre parari posse videbantur, lectorum usui ita inservivimus, ut diplomata ipsa litteris minoribus repetenda curaremus.

Atque quae hoc quidem primo volumine Wirziburgensia documenta aut plena edita aut in epitomem redacta sunt, a diplomate imperatoris Caroli Magni anno DCCLXXXVIIII. scripto incipiunt et usque ad mortem Bertholdi II. episcopi, qui anno MCCLXXXVII. a. d. XVIII. Kal. Dec. diem supremum obiit, pertinent.

Hoc de spatio quingentorum annorum quadringenta nonaginta novem diplomata exhibuimus.

Reliquum est, ut in extrema documentorum episco-

patus Wirziburgensis parte et diplomata aliquot, quae hoc volumine edi iam debebant, supplementi instar exhibitum et tres locorum, hominum, rerum indices adiectum iri móneamus.

Monachii, Kalendis Julii, MDCCCLXIV.

Monumenta
episcopatus wirziburgensis.

I.

Anno 788. d. mense Octobri act. in basilica S. Salvatoris (Wirceburg).

Karolus, rex Francorum etc., wirzeburgensi ecclesiae loca Nuwenstat et Hohenburg, cellulasque Amerbach, Schluchtern et Murrahart, donatas illi a patre suo Pipino, confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. p. 19 Nr. VIII.

II.

Anno 807. 7. Augusti. Inghilinhaim.

Karolus . . . magnus . . . imperator confirmat commutationem bonorum quorundam in pagis Collegoe et Dubragoe, inter Egilwardum episcopum wirziburgensem et Audulfum comitem, initam.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 5. Nr. III.

III.

Anno 820. 20. Januar. Aquisgrani.

Ludovicus pius, imperator res quasdam in pago Badenachgau, in marchia duarum villarum Eichesfeld et Gibulestat ecclesiae S. Salvatoris iuxta castrum Wirziburg donatas., a Radolpho vero comite quondam abstractas, Vulfgario episcopo wirziburgensi restitui praecipit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 18. Nr. VIII.

IV.

Anno 823. 19. Dec. Franconofurt.

Ludovicus pius, ecclesiae wirziburgensi designatas ecclesias et capellas nec non res, marchas et decimas a Karlomanno et Pippino traditas, confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 16. Nr. XI.

V.

Anno 823. 19. Decembr. Francunofurt.

Ludowicus pius imperator immunitatem ecclesiae wirziburgensis confirmat.

Jn nomine domini dei et saluatoris nostri Jhesu Christi Hludouuicus diuina ordinante prouidentia imperator augustus. Cum petitionibus seruorum dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus et diuine potentiae in locis deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad mortalem uitam temporaliter deducendam et ad futuram feliciter obtinendam commodum prouenire confidimus. Jdcirco notum sit omnibus fidelibus nostris tam praesentibus quam et futuris, quia uir uenerabilis Uuolfgari uuirziburgensis ecclesiae episcopus obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri Karoli bone memoriae serenissimi augusti, in qua continebatur, qualiter non solum praedictus domnus et genitor noster, uerum etiam et antecessores reges praedictam sedem cum omnibus rebus et hominibus ad se iuste et legaliter aspicientibus uel pertinentibus semper sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuissent. Pro firmitatis namque studio postulauit praedictus episcopus excellentiam nostram, ut pro diuini cultus amore et anime nostrae remedio paterne auctoritati nostram quoque super adderemus auctoritatem. Cuius petitioni libenter aurem accomodauimus et hanc auctoritatem immunitatis nostrae circa ipsam sedem eiusque prelatos fieri decreuimus, per quam praecipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus uel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca uel agros

seu reliquas possessiones memoratae sedis, quas moderno tempore in quibuslibet pagis uel territoriis infra dicionem imperii nostri iuste et legaliter possidet adque de inceps in iure ipsius ecclesiae uoluerit diuina pietas augeri, ad causas audiendas uel freda exigenda, aut mansiones uel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae siue accolas in ulla re stringendos, aut inlicitas occasiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea, que supra memorata sunt, penitus exigere praesumat, sed liceat memorato presuli suisque successoribus res predictae ecclesiae sub inmunitatis nostrae defensione quieto ordine possidere et nostri parere imperio atque pro incolomitate nostra, coniugis ac prolis iugiter domini misericordiam exorare delectet. Et ut haec auctoritas inuiolabilem atque inconuulsam manere manu propria subter firmauimus et anuli nostri inpressione signari iussimus.

Signum (Monogramma) Hludouuici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad uicem Fridugisi recognoui et ss. (Sigillum regis et not. tiron.)

Data XIIII Kalendas ianuarias, anno Christo propitio VIIII, imperii domni Hludouuici piissimi augusti, indictione prima. Actum Francunofurt palatio regio, in dei nomine feliciter amen.

Ommissum in Mon. Boic. ac solummodo in vol. XXVIII. p. I. p. 15. sub Nr. X. indicatum. Ex autographo ediderunt hoc diploma ab Eckhart in opere suo: Francia orient. II. 881. et N. A. Seis in analysi libri: brevis notitia monasterii Ebrach p. 172.

Sigillum optime conservatum exhibet caput imperatoris cum epigraphe: Christe protege Hlvdovvicvm imperatorem.

VI.

Anno 823. 25. Decemb. Franconovurdi.

Ludowicus pius imperator commutationem bonorum variorum in pagis Gozfelt et Gollahgewi sitorum, inter episcopum wirceburgensem et Wicbaldum comitem initam, confirmat.

Editum in Mon Boic. vol. XXXI. part. I. pag. 50. Nr. XX.

VII.

Anno 837. 20. Decembr. Aquisgrani.

Ludowicus pius imperator commutationem tempore Karoli magni imp. inter Berowelphum episcopum wirciburgensem et Hunrogum comitem de locis, in diversis pagis sitis, factam confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. p. I. p. 31. Nr. XXI.

VIII.

Anno 840. 8. Iunii Frankonofurt.

Ludowicus pius imperator wirciburgensi ecclesiae bona in pago Uualzsazi, in villa Imminestat donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 35. Nr. XXIII.

IX.

Anno 846. 5. Iulii. Franconofurt.

Ludowicus germanicus ecclesiae wirziburgensi quatuordecim ecclesias in terra Slavorum inter Moinum et Radantiam constructas cum dote earum confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 40. Nr. XXVII.

X.

Anno 857. 27. Mart. Wormatiae.

Ludowicus germanicus conventiones inter duos episcopos wirzeburgenses Gozboldum et Arnonem duosque filias suas Hildegardam et Bertham, de monasterio Swarzaha, quod amita sua Thedrada ecclesiae wirceburgensi tradiderat, initas, confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. p. 92. Nr. XLII.

XI.

Anno 883. 9. Ianuar. Cholembrae.

Karolus crassus imperator ecclesiae wirziburgensi XXII hubas ad Fachedorf, in fahedorphono marchu, et VIIII ad Suabinnehusun [Schwabenhausen] in haganenouono marchu cum omnibus appertinentiis donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 87. Nr. LII.

XII.

Anno 889. 21. Novembr. Franchonofurt.

Arnolfus rex Arnoni episcopo wirceburgensi priores immunitatis litteras confirmat.

Concordat cum privilegio Ludovici pii, et exinde indicatum solummodo in Mon. Boic. vol. XXVIII. p. I. p. 92. Nr. LXVIII. Editum apud Eckhart l. c. II. 892.

XIII.

Anno 889. 21. Novembr. Franchonofurt.

Arnolfus rex Arnoni episcopo ecclesias et capellas nominibus designatas, nec non res, marchas et decimas, a Karlomanno et Pippino ecclesiae wirziburgensi traditas, denuo confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 92. Nr. LXIX.

XIV.

Anno 889. 21. Novembr. Franchonofurt.

Arnolfus rex Arnoni episcopo wirziburgensi quatuordecim ecclesias in terra Slavorum inter Moinum et Radantiam fluvios sitas, cum dote earum confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 95. Nr. LXX.

XV.

Anno 889. 1. Decembr. Franchonofurt.

Arnolfus rex Arnoni episcopo decimam tributi de partibus orientalium Francorum, vel de Slavis ad fiscum dominicum persolvendi, dictam eorum lingua Steora vel Osterstuopha in variis pagis et villis speciatim expressis confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. p. 97. Nr. LXXI.

XVI.

Anno 903. 9. Iulii. Tarassae.

Ludowicus rex, dictus infans, Rudolpho episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae donat bona Adalharti et Henrici comitum, fisco regio adiudicata, in Prozoltesheim et Frichinhusa, in pago Gozfeld, cum pertinentiis eorum in quibuscunque pagis, addita tamen quadam exceptione.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 129. Nr. LXXXXIII.

XVII.

Anne 915. 6. Novembr. Wirzeburg.

Cunradus I rex Albwino, Thiodonis wirzeburgensis episcopi vasallo, locum Sulzifelt, in pago Folcfelt, in comitatu Hessonis, donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. p. 184. Nr. XCIII.

XVIII.

Anno 918. 4. Iulii. Wirciburc.

Chuonradus rex Thiodoni episcopo immunitatem ecclesiae wirciburgensis confirmat.

Edit. in Mon. Boic. vol. XXVIII. p. I. pag. 153. Nr. CVIII.

XIX.

Anno 918. 5. Iulii. Wirciburc.

Chuonradus rex Thiodoni episcopo wirciburgensi privilegium telonei, in conflagratione basilicae cathedralis combustum, renovat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 155. Nr. CIX.

XX.

Anno 923. 7. April. Quitilingaburg.

Heinricus rex Thiodoni episcopo wirciburgensi privilegium telonei abhinc combustum renovat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 159. Nr. CXI.

XXI.

Anno 923. 8. April. Quitilingoburg.

Heinricus rex decimam tributi Sclavorum in variis pagis orientalium Francorum, et in villis speciatim expressis ad basilicam Sti. Salvatoris Wirceburgi persolvendam confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 161. Nr. CXII.

XXII.

Anno 923. 8. April Quitilingaburg.

Heinricus res Thiodoni episcopo immunitates ecclesiae wirziburgensis confirmat.

Ineditum quidem, sed quia de verbo ad verbum convenit cum priori confirmatione, anno 918. 4. Iulii data, indicatum tantum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 163. Nr. CXIII., ubi 8. Iulii, Quitingaburch emendetur in: 8. April. Quitilingaburg.

XXIII.

Anno 941. 13. Dec. Salze.

Otto I rex clero in loco Wirciburg concedit liberam electionem episcopi, ceditque ad wirciburgensem ecclesiam proprietatem suam in Northeimona marcha, in pago Graffeld, in comitatu Popponis, pro praedio Popponis comitis in Altendorf.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 177. Nr. CXXIII.

XXIV.

Anno 976. 5. Iulii. Vorchheim.

Otto II imperator Popponi episcopo wirzeburgensi ecclesiam Sti. Martini infra villam Vorchheim donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 212. Nr. CXLIV.

XXV.

Anno 978. potius, quam 979. 6. Dec. Altsteti.

Otto II imperator cum Poppone, episcopo wirziburgensi, villam Stocheim in pago Grapfeld, in comitatu Ottonis pro villa Steinaha commutat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 225. Nr. CLI.

XXVI.

Anno 983. inter 5. et 17 Iunii. Veronae.

Otto II imperator Popponi episcopo wirziburgensi proprietatem suam in Scheikbach, in pago Salogouue, in comitatu Adalberti comitis, donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 242. Nr. CLXI.

XXVII.

Anno 993. 12. Decembr. Tullide.

Otto III rex Berenwardo episcopo wirciburgensi abbatiam Suarzaha, a Ludewico rege wirciburgensi ecclesiae traditam ab illaque noviori tempore abstractam, reddit ac subiicit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 254. Nr. CLXVIII.

XXVIII.

Anno 993. 12. Dec. Tullidae.

Otto III. rex Berenwardo episcopo wirciburgensi loca Niwenstat, Hohenburg, Amerbach, Sluoderin et Murrahart, a Pippino et Karolo ecclesiae wirciburgensi donata, sed subtracta, de novo assignat et subiicit.

In Mon. Boic. bis editum, ex originali in vol. XXVIII. p. I. p. 256 Nr. CLXIX.; interpolatum ex libro copiali in vol. XXXI. p. I. p. 255. Nr. CXXXI.

XXIX.

Anno 993. 31. Decembr. Palide.

Otto III. rex Berenwardo episcopo wirciburgensi decimam tributi de partibus orientalium Francorum vel de Sclavis persolvendi, omnesque alias possessiones ecclesiae wirciburgensi confirmat, addita exemtione a iudiciaria potestate.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 258 Nr. CLXX.

XXX.

Anno 996. 15. Septembr. Ingilenheim.

Otto III. Romanorum imperator Heinrico wirciburgensis ecclesiae

praesuli privilegia eiusdem ecclesiae antiqua immunitatis et exemtionis confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 267 Nr. CLXXV.

XXXI.

Anno 996. 15. Septembr. Inglenheim.

Otto III. imperator Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae locum Rosla in comitatu Willihelmi comitis situm, donat, ut monasterium monachorum ibi construatur.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 269. Nr. CLXXVI.

XXXII.

Anno 996 18. Decembr.

Otto III. imperator abbatiam Amorbach, quam episcopatus wirciburgensis ditioni subiecerat, multis sublatis bonis, quae recensentur, ab onere servitutis et ab advocati infestatione liberam declarat, numerumque fratrum ad trigenta restringit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. pag. 261. Nr. CXXXIV.

XXXIII.

Anno 996. 18. Decembr.

Otto III. imperator, qui abbatiam Amorbach wirzeburgensi episcopatui donavit, cavisse dicitur, ne residua etiam bona eiusdem abbatiae per episcopum wirzeburgensem subtrahantur.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. pag. 264. Nr. CXXXV.

XXXIV.

Anno 999. 13. vel 14. April. Romae.

Otto III. Romanorum imperator Heinrico episcopo wirziburgensi restitutionem abbatiarum Niuuenstat, Suartzaha, Amerbach, Murrehart ac Sluohterin, antea ab ipso, tunc rege, facta episcopo Berenwardo, iterum confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 275. Nr. CLXXX.

XXXV.

Anno 1000. 1. Januarii. Quitelingeburg.

Otto III. Romanorum imperator, arbiter imploratus a nobili matrona Uta, spoliata a Chunone et Hermanno comitibus hereditario praedio Berenheim, quod commutaverunt cum ecclesia wirziburgensi pro alio praedio, decernit: ut ecclesia wirziburgensis quidem in possessione castelli et villae Berenheim permaneat, matronae Utae vero duodecim mansae et quinquaginta mancipia donentur.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 281. Nr. CLXXXII.

XXXVI.

Anno 1000. 1. Mai. Aquisgrani.

Otto III. Romanorum imperator Heinrico episcopo wirziburgensi ius publici foresti (bannum forestalem) in silva ad castellum Bernheim, seu ad villam Leutershausen pertinente, terminis designata, concedit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 284. Nr. CLXXXIV.

XXXVII.

Anno 1000. 15. Maii. Aquisgrani.

Otto III. Romanorum imperator Heinrico episcopo wirziburgensi

eiusque ecclesiae castellum et curtem Saltce, cum ipso pago Salzgouui, villis quoque atque silvis illuc pertinentibus, sive in pago Grapfeldun, in comitatu Ottonis, sive in aliis provincialibus pagis, donat, excepta tantummodo praedicto, quod Gotzoni antea donavit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 286. Nr. CLXXXV.

XXXVIII.

Anno 1000. 30. Maii. Triburin.

Otto III. Romanorum imperator Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque sedi duos comitatus Waltsazin et Rangouui in provincia, quae orientalis sive australis Francia dicitur, sitos donat, cum potestate eosdem comitatus ordinandi comitesque ponendi.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 288. Nr. CLXXXVI.

XXXIX.

Anno 1001. 15. Febr. Romae.

Otto III. Romanorum imperator ecclesiae wirciburgensi X mansos regales in villis Polgsteti, Velibede et Sumeringun in pago Germaromarcha, in comitatu Wiggeri comitis et in ministerio Berenhardi ducis sitos donat, ea tamen conditione, ut Hildolfus villam Sinnam in proprium, concambio obtineat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 290. Nr. CLXXXVII.

XL.

Anno 1002. 10. Julii. Babemberge.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirceburgensi abbatiam in loco Selegonostat, sitam in pago Moinechgouue, donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 295. Nr. CXC.

XLI.

Anno 1002. 21. Novembr. Radespone.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae villam Salzam in pago Grafpholt et in comitatu Ottonis donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 304. Nr. CXCVII.

XLII.

Anno 1003. 9. Febr. Colonie.

Heinricus II. rex donationem abbatiae Suarzaha et monasterii secus ostium fluminis Suarzaha siti, ecclesiae sancti Salvatoris Wirceburgi ab antecessoribus factam, confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 306 Nr. CXCIX.

XLIII.

Anno 1003. 9. Februarii. Colonie.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirceburgensi eiusque sedi possessionem locorum Nuuenstat et Hohenburg, cellularumque Amerbach, Studerin et Murrehart, per antecessores suos, reges vel imperatores, illuc traditarum confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 308 Nr. CC.

XLIV.

Anno 1003. 25. Decembr. Polide.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae praedium in villa Kirchheim super ripam fluvii Neccar in pago Zabernogouui. in comitatu Adalberti situm, tradit, eo fine, ut idem episcopus in castro Loufen, ubi sancta Reginsuindis virgo corpore requiescit, coenobium monialium instituat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 315 Nr. CCIV.

XLV.

Anno 1004. 15. Octobris. Frosae.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae Geroldum et Iringum, servos, donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 320 Nr. CCVIII.

XLVI.

Anno 1008. 7. Maii. Wirciburc.

Heinricus II. rex ecclesiae wirciburgensi curtem Altechendorf, in comitatu Herimanni comitis sitam, donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 388 Nr. CCXLVI.

XLVII.

Anno 1008. 7. Maii. Wirciburc.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae pro cessa quadam parte dioceseos descripta, in pagis Ratenzgouui et Volcfelt, loca Meinunga, Meiningeromarcha, Walahdorf in pago Grapfelt, in comitatu Ottonis sita, tradit et confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 390 Nr. CCXLVII.

XLVIII.

Anno 1009. 22. Octobr. Strazburg.

Heinricus II. rex episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae mercatum in loco Werdheim concedit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 412. Nr. CCLX.

XLIX.

Anno 1012. 10. Septembr. Franchonevord.

Heinricus II. rex privilegium immunitatis ecclesiae wirceburgensis, ei a praedecessoribus suis, regibus et imperatoribus concessum, iterum confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part I. p. 437. Nr. CCLXXV.

L.

Anno 1012. 17. Septembr. Gruona.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae servum, nomine Gonzo, donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part. I. pag. 439. Nr. CCLXXVI.

LI.

Anno 1013. 21. Junii. Franchonevort.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae comitatum in Bezzingun, ad curtem Geraha respicientem, cum banno et districtu ac pertinentiis tradit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part I. p. 440 Nr. CCLXXVII.

LII.

Anno 1013. 21. Junii. Franchonevurt.

Heinricus II. rex Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae cedit curtem Geraha in pago superiore Riniggowo, in comitatu Adelberti comitis sitam, recipitque vicissim ecclesiam in Hallstatt nec non alias duas ecclesias in Amelungestat et Siugelingen,

cum decimationibus, quas exceptis duabus capellis in Druondestat et Biscoffesberge, sedi babenbergensi tradit ac subiicit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. part I. pag. 442 Nr. CCLXXVIII.

LIII.

Anno 1014 nobis, antiquis autem 1015. 29. Decembr. Pholide.

Heinricus II. Romanorum imperator Heinrico episcopo wirciburgensi eiusque ecclesiae bannum super feras in quodam silvarum ambitu, terminis designato, iam antea possessum, confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXVIII. p I. pag. 453. Nr. CCLXXXIV.

LIV.

Anno 1017. 26. Octobr. Altstetin.

Heinricus II. concambium, inter Heinricum wirziburgensem et Eberhardum babenbergensem episcopos initum, confirmat, quo prior receptis locis Cunigeshoven et Trieffenvelt, in pagis Badeingowe et Waltschin (Waltsezin) in comitatibus Gumberti et Gerungi comitum alteri tradit abbatiam Erlangun cum Forchheim et Eggolvesheim, nec non decimationes earundem villarum ad Helvelt pertinentes, in pago Ratinzgowe, in comitatu Adelberti comitis.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. p. 289. Nr. CL.

LV.

Anno 1018 potius, quam 1017 (inter 12 - 14. Maii) Aquisgrani.

Heinricus II. Romanorum imperator Henrico episcopo eiusque ecclesiae wirceburgensi immunitatem plenissimam in toto ducatu vel comeciis orientalis Franciae confirmat, solos parochos, quos Bargildon vocant, comitibus subiiciens.

Editum in Mon. Boic. XXVIII. p. I. pag. 477 Nr. CCXCVI.

LVI.

Anno 1023. 2. Sept. Bermaco (Brumatae).

Henricus II. imperator Megenhardo episcopo wirtsburgensi eiusque ecclesiae bannum suum super feras sylvestres, per terminos in quatuor comitatibus Ditmari, Adelberti, Albwini et Gumberti comitum designatum, tradit et stabilit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. part. I. pag. 297. Nr. CLVI.

LVII.

Anno 1025. 20. Maii. Triburii.

Chuonradus II. rex ecclesiae wirceburgensi privilegium immunitatis confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. p. I. p. 14. Nr. CCCXXIV.

LVIII.

Anno 1025. 20. Maii. Triburii.

Cuonradus II. rex Megenhardo episcopo wirceburgensi eiusque ecclesiae loca Nuuenstat et Hohenburg, cellulasque alias Amerbach, Sluohterin, Murrehart, Saarnaha confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. p. I. p. 16. Nr. CCCXXV.

LIX.

Anno 1027. 16. Julii. Ulmae.

Cunradus II. Romanorum imperator Megínhardo wirceburgensi episcopo ecclesiae silvam circa monasterium Murrehart, in pagis Murrechgowe et Chogengouwe et in comitatibus Heinrici et Rvotkeri, terminis descriptam, cum banno sylvestri donat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXXI. p. I. p. 304. Nr. CLX.

LX.

Anno 1030. 13. Octobr Babenberg.

Chunradus II. Romanorum imperator Megenhardo episcopo wirzeburgensi eiusque ecclesiae monetam, mercatum quotidianum, theloneum et totius civitatis eiusdem districtum confirmat, addito mercato annuali a XVI. Kal. Septembr. usque IX. Kal. eiusdem mensis.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. p. I. pag. 30. Nr. CCCXXXIII.

LXI.

Anno 1031. 16. Septembr. Belgari.

Chuonradus II. Romanorum imperator ecclesiae wirziburgensi silvam quandam iuxta Madelrichesstat (Melrichstadt), terminis descriptam, tradit, consensu abbatis fuldensis, Ottonis comitis caeterorumque comprovincialium in eadem silva communionem habentium.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. p. I. p. 32. Nr. CCCXXXIV.

LXII.

Anno 1032. 6. Junii. Merseburg.

Chunradus II. Romanorum imperator Meginhardo episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae privilegium immunitatis confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. p. I. p. 34. Nr. CCCXXXV.

LXIII.

Anno 1033. 9. August. Lintburg.

Chuoradus II. Romanorum imperator eiusque contectalis Gisila Meginhardo episcopo wirzeburgensi, eiusque ecclesiae quandam proprietatem, Regenbach nominatam, in pago Mulgewe, in comitatu Heinrici comitis sitam, cum pertinentiis et nominatim duos viros

cum omni praedio, quod in Smalefeldon habent, debita solemnitate tradunt, subnotatis testibus.

Editum in Mon, Boic. vol. XXIX. p. I. p. 39. Nr. CCCXXXVIII.

LXIV.

Anno 1036. 15. August.

Bruno wirziburgensis episcopus curiam suam Sunrike (Sonnenoh, haud procul ab oppido Borgentrich) ecclesiae suae donat.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Bruno diuina annuente gracia wirciburgensis ecclesie episcopus. Notum esse uolumus nunc et semper potestati regie omnique pontificali dignitati pariterque illustribus uiris ducibus, marchionibus, comitibus, omnibusque Christi fidelibus, maxime autem successoribus nostris, quod curiam quandam in paderburnensi episcopatu sitam, ex re nomen habentem Sunricke id est regnum singulare, quam ex paterna possedimus hereditate, ob eterne remuneracionis spem obtulimus deo sanctoque martiri eius Kyliano cum omnibus appendiciis suis videlicet ministerialibus, litonibus, mancipiis, agris, cultis, et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscacionibus, molendinis, siluis, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, quesitis et quirendis usque in secula seculorum. Hec vero ex sincera deuocione oblatio et iusta tradicio nostra, quo ordine et tempore facta sit, quia non [1]) minus patere uolumus, scriptis approbamus, quod in die natiuitatis sancti Johannis Baptiste in ecclesia conpleto ad populum sermone, audiente clero et populo de predicta curia propositum nostrum deteximus, sed effectui mancipare usque in diem assumpcionis sancte Marie uirginis induciauimus, vt si forte quis per compositas raciones uoluntati et deliberacioni nostre contradicere uellet, se tunc presencie nostre exhiberet, super qua re accepto consilio ex prudencia fidelium nostrorum decreuimus annuatim dum uiueremus confratribus in festo beati patroni nostri martiris Kyliani sex salmones, et in festo sancti Andree apostoli ad uestituram eorum quinquaginta marcas argenti procurare ex supradictis predicte curie utilitatibus et de ceteris nondum expo-

sitis nec in hac pagina exponendis, quia in duabus tabulis ereis concatenatis in capella Sunrike locatis, litteris legibilibus insculptis semper quantitas reperietur de exitibus et reditibus, de cultis et incultis, et de singulis supra nominatis. Quid eciam sacerdoti, qui eidem presit capello deo suisque [2]) sanctis seruiendo, queue nobis iusticia seu summo uillico nostro debeatur, reperiuntur et attinentes proprietati nostre ministerialium iure in eisdem tabulis suis nominibus, ne illorum posteritas a suo iure alienari possit. Jlli quoque suis nominibus de utroque sexu, qui duos phundos cere quolibet anno persoluant, et de cetero omni exactione tam priuata quam communi liberi, quam diu uiuant, existant. Jtem litonum iusticia, prout exigit utilitas et necessitas de singulis singula, ut sint in memoria a generacione in generacionem. Preterea talem obtinere littones iustitiam non uxoratos, vero agriculturam habentes, statuimus, ut vno anno duobus solidis levis monete seruicium suum redimant uel seruiant, et altero anno non [3]) seruiant nec [4]) seruicium redimant, sed indigencie et utilitati sue consulant; femineo autem sexui redempcionem duodecim leuium nummorum statuimus. Ministerialibus vero nostris hoc officium iniungimus, ut singulis annis tantum quatuor ex eis in tempore messis ad supradictum curiam veniant et uillicos consulant, et vna cum illo de reditibus vniuersum debitum exquirant et suscipiant. Quorum vnum nomine Richoldum pre ceteris nobis familiarem transtulimus in consortium et ius ministerialium ecclesie nostre. Cui cum femina quedam libera et liberis orta parentibus nomine Richeze legittime nupsisset, mansos duos in Nattesigan cum omnibus attinentibus utrisque in beneficium concessimus. Jnsuper quod illa arbitrata fuit, ut libertate sua et eodem beneficio cum posteritate sua potiretur. Hiis itaque preordinatis circa que plurimum regni celestis desiderium studiosos nos reddidit ec sollicitos, statuimus ut post exitum uite nostre fidelis in domino frater episcopalis dignitatis in ecclesia wirzeburgensi successor quolibet anno in festo sancti Michaelis cum duobus concanonicis suis et decem militibus suis Sunrike veniat ibique tribus septimanis et ultra ad placitum queque pertractando permaneat et uillicus ei cum subditis uillicis de omnibus vorewerchen cum

multa copia seruiat conuocatisque ministerialibus et tota familia in die sancti Michaelis eos conuiuio participare faciat et adductis secum canonicis duos poledros dari iubeat, sic quod quolibet anno incipiens a summis et prioribus ecclesie sue usque ad infimos eandem gratiam impendat, ministerialibus autem, qui tempore messis cum uillico exploratores tocius redditus et debiti extiterint, similiter poledros duos dari iubeat. Jn prememoratis quoque ereis tabulis legendo iura et instituta nostra preuideat et de trecentis octo [5]) mansis et de quam plurimis rebus eidem curie attinentibus vniuersum debitum eodem tempore persoluendum exquirat. cuius summa ducente tres marce sunt. Jnde sex salmones magnos satis et quinquaginta marcas prenotato tempore dominis et fratribus nostris persoluat. Jnde quoque duodecim Christi pauperibus gracia et misericordia indigentibus quoquo anno in quadragesima et qualibet die cuique illorum pro remedio anime nostre panem unum similaceum sufficientem magnitudine, tres batharios ualentis ceruisie, tria allecia et in parasceue quinque ulnas lanei panni, cingulum ex corio ceruino, cultellum et uaginam. calceos duos ex corio hyrcino procurabit, et amplius duas marcas argenti, quas venerabili et dilecto fratri nostro Rodhardo [6]) episcopo et omnibus ex diuina prouidencia profuturis paderburnensis ecclesie episcopis dandas aut equum tantum valentem disposuimus eo uidelicet tenore, ut omnia bona ecclesie nostre, que longe nimis a tuicione nostra remota, eis uero commode sita sunt, tueantur. Postquam autem hec omnia ex attentissimi cordis nostri premeditacione fuerant contexta, communicato concanonicorum ecclesie nostre tam iuniorum quam seniorum consilio, quia indictus a nobis terminus, dies uidelicet assumptionis beate Marie iam instabat, dominum nostrum serenissimum imperatorem Chunradum, archiepiscopum Bardonem confratrem nostrum, Rodhardum episcopum paterburnensem in maguntina ecclesia conuenimus, et eos multa supplicacione ad hoc induximus quod ad celebranda predicte diei solempnia venturos se Wirzeburg promiserunt. Quod et adimpletum est. Jpsa uero die assumptionis sancte Marie nobis missam celebrantibus finito sermone ad populum sub testimonio et presencia Christi et predictorum principum scilicet imperatoris Conradi, Bardonis archi-

episcopi et tocius ecclesie nota nostra deo sanctoque Kyliano in oblacione sepius denominata nulla hominum contradicente persoluimus et beatorum apostolorum Petri et Pauli et iam dictorum episcoporum nostroque banno et omnium animarum deo consecratarum confirmauimus, ita ut quicumque cuiuscumque condicionis aut potestatis homo curiam Sunrike, que oblacio nostra est, ab usu ecclesie alienare presumpserit uel iura et instituta nostra, qualia continet presens pagina et tabule eree, aliquo modo inmutauerit, perpetui anathematis vinculo obligatus eterne dampnacioni cum Juda traditore subiaceat. Quare fratribus nostris tam presentibus quam futuris per uirtutem obediencie iniungimus imo precipimus, vt si quis tam temerarie tam irracionabiliter agere presumpserit, ut oblacionem nostram a domo dei alienet, in illum datam excommunicacionem auctoritati apostolice significent, et ut auctoritate apostolica rursum anathemate feriatur elaborent. Volentes itaque huius irreprehensibilis ordinacionis nostre firmitatem inconuulsam et inconmutabilem semper permanere quid et qualiter actum sit tabulis ereis iam sepedictis annotauimus, presentis cyrographi pagine seriatim inscripsimus et sigillo nostro per presenti attestacioni plumbeam inpressionem confirmauimus, ut sit memoriale a generacione in generacionem. Confratrem eciam nostrum paderburnensem episcopum virum per omnia probabilem huic accioni nostre in presenti pagina subscripcionis sue attestacione et sigilli sui inpressione testimonium perhibere rogauimus, ut eius quoque sanctitatis confirmet auctoritas, quod sue et nostre ecclesie contulimus. Jn nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Ego Rothardus dei gracia paderburnensis episcopus presentis pagine accioni per omnia racionabiliter stabilire tam subscriptionis attestacione quam sigilli nostri inpressione testimonium fidele perhibeo bannoque episcopalis auctoritatis, qua fungor, confirmo ne hec firmitas ab aliquo temere uioletur nisi eius [7]) transgressio anathemate punietur. Acta sunt autem hec anno dominice incarnacionis millesimo XXXVI. [8]), indiccione VI. [9]), die vero assumpcionis beate Marie virginis.

Ex libro copiali Lupoldi de Bebenburg. Editum in Lunig Reichs-Archiv., spic. eccl. andrer Theil, fol. 718. Nr. XLIII. et in

Schaten Annal. Paderborn. P. I. p. 508., ed. IIda. p. 351. Apographum habet: [1]) quia vero; [2]) deoque suis; [3]) vero; [4]) et; [5]) descrescentis octo; [6]) Redhario; [7]) cujus; [8]) milesimo XXVI.; [9]) VI.

LXV.

Anno 1042. 3. Januar. Heretsheim.

Heinricus III. rex, Brunoni episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae praedium cuiusdam Heroldi, in locis Sinderingen, Sunichilendorf, Geroldeshagen, Buoch et Meggedemuli, in pago Cochengowe, in comitatu Heinrici comitis situm, donat.

Editum in Mon. Boic. voll. XXIX. p. I. pag. 74. Nr. CCCLVII.

LXVI.

Anno 1049. 14. Decembr. Wirziburg.

Heinricus III. Romanorum imperator Adalberoni episcopo wirziburgensi eiusque ecclesiae privilegium immunitatis confirmat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. p. I. p. 98. Nr. CCCLXXIII.

LXVII.

Anno 1057. 3. Martii.

Adalbero episcopus Richizae Polonorum reginae pro praedio Salze ab eadem ecclesiae suae tradito bona in Thuringia, in pago Grabuelde Smalkaldun, Liudolfdorf, Meiningeromarka, Quiunfelt, Medelrichestat et Werburgohuson jure praecario concedit.

Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis Adalbero sacro sancte wirciburgensis ecclesie episcopus sancte uniuersali ecclesie gratia uobis et pax a deo multiplicetur. Agnoscat et recolat noticia omnium tam presentis quam futuri ęui fidelium, qualiter nos pro amplificanda ęcclesię nostrę utilitate cogitantes primoribus nostris

Winithero scilicet cancellario, Bernolfo preposito, Aselone decano, Hattone archidiacono, Hazechone preposito uuerdensi, Macelino preposito, Acelino preposito aliisque sacri ordinis fratribus, Eberhardo quoque ęcclesię domusque nostrę aduocato, Hartwigo et Burchardo comitibus, Gumberto, Ebone et Marcuuardo militibus pie consulentibus, insuper multis conprouincialibus una cum clero familiaque adhortantibus unanimemque consensum prebentibus iustam, firmam stabilemque precariam fecimus cum domna Richiza nobilissima matrona et religiosa Bolaniorum regina Ezonis palatini comitis filia, sorore uero Herimanni coloniensis archiepiscopi ducisque Ottonis allemannici. Jpsa enim nostro desiderio deuotam se exhibens multorumque petitiones eadem cupientium nostris postponens predium Salze, quod hereditario iure possedit, cum omnibus utensilibus ad eandem curtem rite aspicientibus uillis, uicis, mancipiis utriusque sexus, areis, ędificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, siluis, pascuis, uenationibus, forestis et forestareis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, mobilibus et inmobilibus, quęsitis et inquirendis cunctisque aliis appendiciis, que adhuc dici aliquomodo uel nominari possunt, manu propria et manu fideiussoris sui Gozuuini comitis ad altare sancti Saluatoris et sanctę Marię preciosique martyris Kyliani sociorumque eius absque omni contradictione firmissime delegauit, exceptis duobus mansis et dimidio et una uinea et tribus feminis Berhda, Hildegunda, Adelheida et aliis XX. mancipiis, scilicet Werinhero in beneficium concessis. Tradidit quoque in eadem delegatione absque precaria, sed pro salute animę suę XXVI. utriusque sexus seruientes salzensi familię conubio aliisue pro causis associatos, quorum nomina subscripta sunt, Gozzo et eius filius, Chuniza, Hildegunt eiusque filii, Ǒdelrich cum uxore et filiis suis, Hadeuuic et eius filii, Sigeuuiz cum filiabus suis, Sigeuuiza et Hilda, Saxo, Adalbraht, Gepa, Liutgart et eius filii Wizo, Sigebodo, Liebesta. Preterea uolente et etiam iubente eadem domina iuramento seruientis sui Saxonis confirmatum est, sed eandem traditionem secundum nostram uoluntatem consiliumque nostrorum fidelium omnimodo

corroboraturam. Addidit etiam et hanc conditionem, ut milites sui per successiones filiorum sua beneficia eodem iure obtinerent, quo a patre eius felicis memorie Ezone suisque progenitoribus acceperunt. Hoc ipsum deseruientibus sanctitum est, et ne ad aliam quam patres eorum seruitutem inclinentur. Ad huius ergo tantę tamque laudabilis beniuolentię recompensationem de bonis ęcclesię nostrę, quantum nostris eiusque familiaribus complacuit, prompto et uotiuo animo concessimus, scilicet quod in Turingia ad nostrum dominicatum respexit et in pago Grabfelde, Smalekaldun, Liudolfdorf, Meiningeromarka, Quiunfelt, Madelrichestat, Wernburgohusun cum omnibus appendiciis suis exceptis bonis clericorum et seruientium. Jtem ex nostra parte iuramento seruientis nostri Bernhardi fides facta est, ut eandem precariam usque ad terminum uitę suę possidendam iuxta consilium fidelium suorum stabilem faceremus. His ita feliciter diffinitis postremo pactum fecimvs huiusmodi, ut si uel nos uel successorum nostrorum aliquis de prenominatis possessionibus contra uoluntatem eius auferret quicquam uel minueret, ipsa libere sua reciperet.

Hi quorum hic nomina in testimonium subscripta sunt, traditionem hanc et uiderunt et audierunt. Winitheri cancellarius, Bernolf prepositus, Aselo decanus, Hazecho, Macelin, Acelin prepositi, Adelbrath, Uolrat, Rŏbbolt, Pecelin, Hiltiger, Eppo, Engilhart, Liupprath presbiteri, Hatto archidiaconus, Einhart, Pernger, Chŏno, Aselo, Heinrich, Sigefrit, Giso, Peceman, Suitker, Ellenbero diaconi. Hatto, Bilis, Bern, Tiemo, Willehalm, Chŏno, Otolf subdiaconi.

Eberhardus comes nostręque aduocatus ecclesię, Burchart comes, Hartuuic, Gumbracht, Rŏbbrath, Haccho, Sarrat, Heinrich, Adelhoch, Marcuuart, Diemar, Ebo, Helpreht, Arnolt, Geruuic, Rŏbbrath, Wolfrat, Ramuolt, Chunimunt, Marcuuart, Sigebrath, Wernheri, Richart, Sigebolt, Sigeboto, Walterich, Hartuuic, Sentuuin, Sigefrith, Otloch, Reginolt, Gerhunc, Alemar, Suitger, Luodouuic, Heriman, Suitker, Vocco, Suitker, Diemar, Volcprath, Albgast, Wernheri, Adelhoch, Wernheri, Pillunc, Walterich, Heinrich, Pabo, Arnolt, Ŏlderich, Gotefrit. (Monogramma) [1].

Acta sunt hec anno incarnationis dominicę millesimo quinqua-

gesimo VII. Jndictione X., V. non. Martii. Regnante domno Heinrico IIII. Presidente eodem episcopo Adelberone XII. ordinationis suę anno feliciter [2]).

[1]) Monogrammati orbiculari inscriptum est: „Domini est terra, et plenitudo eius orbis terrarum et universi qui habitant in eo“.

[2]) Appensa est bulla plumbea parva, ex una parte cum monogrammate „Jesus Christus“ exprimente, et inscriptione „Heri et hodie“, et ex altera parte similiter cum monogrammate Adalberonis episcopi et inscriptione „Jpse et in saecvla“.

LXVIII.

Anno 1060. 22. Junii. Chorbeiae.

Heinricus IV. rex Adalberoni wirziburgensi episcopo eiusque ecclesiae wiltbannum super quodam foresto, terminis descripto, tradit collaudantibus archiepiscopo mogontino, fuldensi abbate caeterisque, qui aliquid proprii in istis terminis possident.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. part. I. pag. 144. Nr. CCCXCVIII.

LXIX.

Anno 1069. 2. Julii. Wirzeburg.

Udalrich liberae conditionis homo ancillam suam Osuuindam eiusdemque liberos ecclesiae Sti. Kiliani tradit.

Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Notum sit omnibus ecclesię filiis tam futuris quam presentibus qualiter ego Ůdalrich libere conditionis homo quandam propriam ancillam meam nomine Osuuindam cum filiis suis tradidi ac delegaui ad reliquias sancti Kyliani martiris in ciuitate Wirceburg, ea conditione ut singulis annis dum uiuant, tres denarios uel pretium eorum in cera aut lino ad prefatas reliquias persoluant; de cetero ipsa et cuncta ab eo fluens posteritas ab omni prorsus seruitutis iugo inmunes existant; aduocatum nullum habeant alium preter eiusdem altaris aduocatum. post mortem autem cuiuscumque eorum quod masculus in armento

uel pecore, fémina uero in quolibet muliebri uestimento precipuum habeat, in usum custodis ęcclesię cedat, reliqua heredes accipiant. Testium quoque nomina, qui huic traditioni affuerunt, uisum est subnecti ad maiorem rei confirmationem. Adalbero episcopus. Dietmarus. Cůno, Einhardus, Gezo prepositi, Hiltegerus, Engilhardus, Bezemannvs decani, Hattho, Ecelinus, Lambertus, Beringerus, Hiltibrandus, Ellenbero, Buggo, Ebo, Wolfhardus, Ebbo presbyteri. Suiggerus uicedomnus, Burkardus, Hattho, Heinricus, Bilis, Giso, Gebehardus, Willehalmus, ŏvdalscalg, Jsingrim, Mahtolfus diaconi, Erkenbertus. Diemo, Heriman, Emehard subdiaconi, Cunradus, Bertholdus, Eberhardus comes, Fridericus comes, Richardus comes, Ruppreth, Radeboto, Zeizolf, Gotifrid, Gerung, Adalbreth, Ebo, Altum, Gotibold, Hagino, de urbanis ciuibus, Adalrich, Richalm, Ruppold. Rutheri, Ratolf, Richeri, Heilo.

Facta est traditio in cripta dominicalis ęcclesię Wirzeburg ad sarcofagum sancti martiris Kiliani anno incarnationis dominicę M. LX. VIIII. indict. VII., sexta non. Julii. Heinrico IIII. rege, Adalberone uenerabili antistite prenominatam sedem regente, Eberhardo prefecto. Siquis hanc traditionem annullare conetur, crudeli incendio gehennę deputetur. Amen.

Sigillum, quod quondam pergameno infixum erat, periit.

LXX.

Anno 1096, mense Julio.

Ecclesia wirceburgensis praedium Hisoluestath (Eibelstatt) monasterio in Kamberg pro huius praedio Hohinberg commutat.

Nullus fidelium ignoret qualiter predium nomine Hisoluestath de Wirceburc ad Kamberc pro predio Hohinberc concambio traditum sit, hoc Heinrico fratre wirceburgensis tunc episcopi Emehardi aduocato utriusque ęcclesię et cum eo Goteboldo comite de Hennenberc agentibus et in presentia predicti wirceburgensis episcopi Emehardi manu sua confirmantibus.

Sunt autem hec acta anno ab incarnatione domini M. XC. VI[to]., mense Jvlio, indictione quarta, uidentibus et audientibus testibus subscriptis, qui sunt: Heinrich, Gotebolth, Poppo, Cǒno, Gozwin, ǒdelrich, Ebo, Ebo, Bern, Gerunch, Berhtolth, Manegolth, ǒdelrich, Rǒgger, Edelrich, Libolf, Heirolth, Richarth, Egesbrath, Helenbolth, Warmunth, Eggeharth, Warmunth, Rǒppraht, Richolf, Hǒholth, Arnolth, Heinrich, Egesbrath, Senvvin, Gundeloch, Heirolth.

Sigillum impressum ex adversa parte, ex maiori parte deperditum et abscissum est, ita ut remaneant tantum caput humanum radiatum et pars inscriptionis: Emm. . . g. eps.

LXXI.

Circa finem saeculi undecimi.

Mergart matrona mulierem Hedwigam cum tribus eiusdem filiis sto Pantaleoni in wirceburgensi capitolio delegat.

C. Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Omnibus Christi fidelibus uniuersum wirceburgensis ecclesie de domo sancti Kiliani collegium perpetuam in vero salutari salutem. Quoniam uita hominum super terram breui fine concluditur, litteris plerumque solet mandari, quod in memoria desideratur haberi. Propter hoc presentis pagine cartula annotatum est, quod quedam matrona Mergart nomine cum consensu mariti sui et filiorum eius mulierem quandam nomine Hedewigam cum tribus filiis suis Adelberone scilicet et Heinrico et Cǔnrado, quos titulo dominii iure hereditario in proprietate sua libere et sine omni contradictione habuerat, pro remedio anime sue et parentum suorum salute sancto Pantaleoni in wirceburgensi capitolio de domo iusto titulo et bona fide delegauit, ipsos uidelicet et omnem posteritatem eorum, simili etiam conditione, qua prepositus Richolfus ad eundem titulum homines suos donauit, ut et illi ex quo XX[ti]. annorum fuerint, tres denariatas cere in vigilia beati Thome super altare beati Pantaleonis offerant et decetero ipsi et cuncta ab ea fluens posteritas ab omni prorsus iugo inmunes

existant. Siquis vero ex eis premoriatur, si masculus fuerit, XXXta. denarii pro cera ad idem altare pro eo persoluantur. Si vero femina XXti. si dum taxat tantum in bonis eorum inueniatur, vt in perpetuum habundanter et sufficienter lvminaria eidem capelle concinnentur. Quisquis vero hanc donationem iuste et legitime peractam euacuare aut quoquo modo irritare presumpserit, et hic et in futuro iram et indignationem dei omnipotentis se nouerit incursurum. Amen.

Testium quoque nomina qui huic traditioni affuerunt, visum est subnecti ad maiorem rei confirmationem. Clerici Berengerus decanus, Engelhardus cantor, Gerlacus noui monasterii prepositus, Heinricus cellerarius, Heinricus portonarius, Diethericus Flosculus, Jringus de Zabelstein, Gothefrit prepositus, Regenoldus. Laici Adelhunus pincerna, Rv̊thuuicus apud Mogum, Gerungus diues, Billungus de Bleifelth. Heinricus de Gubestat, Herolt longus, Helenwicus de foro stultorum, Hartmo̊t custos nemoris, Walthunus cocus, Heinricus Habenith. Hermannus.

Sigillum capituli maioris ad s. Chilianum, hunc sanctum cum pedo in dextra et evangeliorum libro in sinistra sedentem, capite radiatum repraesentans, bene conservatum et membranae impressum adest, cum inscriptione: „Sanctus Kilianus“. C. H. de Lang (Reg. B. I. 107) hoc documentum anno 1098 adiungit.

LXXII.

Anno 1103.

Emehardus episcopus praedia quaedam in Waltsahsun apud militem suum Gozwinum comparata canonicis ecclesiae suae pro anniversario suo celebrando tradit.

Jn nomine domine sanctę et indiuiduę trinitatis. Notum sit omnibus sanctę dei ęcclesię filiis, quod ego Emehardus dei dignatione sacrosanctę wirceburgensis ęcclesię licet indignus prouisor pondus meę dispensationis sedula mecum tractatione perpendens, et cum fidelibus seruis illud euge beatum a patre familias cum uenerit audire desiderans, proposui ouibus Christi non modo spiritualis, sed et temporalis alimonię necessaria fideliter ministrare, ut quasi du-

plicato talento in gaudium domini mei merear intrare. Aquisiui ergo et per manum Godeboldi aduocati altaris ęcclesię confirmaui pro remedio animę meę quędam prędia sita in loco, qui uulgo dicitur Waltsahsun, in usus canonicorum famulantium deo et inuictissimo martyri Kyliano, quatinus in anniversario meo dentur canonicis maioris ęcclesię duę libre, canonicis autem sancti Johannis una libra, et canonicis de nouo monasterio similiter una et in usus pauperum quadragesimali tempore quadraginta modii siliginis.

Prędia autem hęc donario acquisiui a milite meo Gozwino, Gozwini filio, hac ratione, quia infirmata et conculcata ea, quam omnes regimini meo subiacentes concordi uoluntate susceperant et iuramentis corroborauerant pace inimicis suis non pepercit, pro quo admisso, non modo exilii pęnam sed et omnium tam prediorum quam beneficiorum iacturam incurrere debuit. Sed mansuetudinis nostrę genibus suppliciter provolutus tanti reatus impunitatem consequi postulauit et quasi satisfactionem pro admisso predicta predia per me deo sanctoque martyri Kyliano optulit ea condicione, ut si post hac pro predicti reatus ad misso aliquid ultionis ei inferrem, ipse predia, que donauerat, suę potestati reuendicaret. Ast ego dignum iudicans pro delictis pęnitentem pocius saluare quam perdere ea suscepi et pacto, quo prefatus sum, ęcclesię tradidi, ea libertate ut nullum preter me et successores meos aduocatum uel patronum habeant. Vt autem huius donationis stabilitas inconuulsa maneret, ex auctoritate beati Petri apostolorum principis banno eam confirmaui et ut in posterum omnis contradictio sopiatur, kartam hanc ad firmamentum rei gestę conscribi iussi. Quod si quis, quod tamen non speramus, eam infirmare uel quolibet ingenio cassare temptauerit, a liminibus sanctę ęcclesię fiat extraneus et a sorte beatorum in die tremendi examinis reddatur alienus. Placuit quoque ad confirmationem rei nomina testium, qui huic donationi interfuerunt asscribi, qui sunt: Rûbbertus prepositus, Meiginhardus decanus, Beringerus decanus, Weirinherus decanus, Heirimannus, Diemo, Heinrich, Cûno, Weicil, Ôdalrich, Bobbo, Otto. Laici Godebolt comes, Heinrich comes, Wolfram comes, Gôzwin camerarius, Ebo, Rôbbrath, Brun, servientes, Richolf, Eber, Eigisbrath, Eingelhart, Jrinc, Bern, Emehort, Libolf,

Kadeloh, Rŏtwie, Arnolt, Heirolt, Bernolf, Beringer, Folcmar, Richalm.

Actum anno dominice incarnationis millesimo C. IIII., indictione XI., regnante tertio Heinrico inuictissimo Romanorum imperatore augusto, anno regni eius XLVI., imperii XX.

Annus regni unitate decurtatus est.

LXXIIII.

1104.

Engilbertus comes Billungum quendam ad ecclesiam wirceburgensem delegat.

(Chrismon.) Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Noscat et fideliter recolat tam presentium quam futurorvm sincera discretio, quibus Christus soliditatis est petra et supernę vocationis certitudo, qualiter ego comes Engilbertus cogitans de remedio animę meę delegauerim Billungvm filium Herimanni cum duabus sororibus suis Helika et Ermelint ad reliquias sancti Kyliani sociorumque eius Wirceburch, ut penitus mei iuris dominio exuti eiusdem altaris aduocati patronicio tutentur et pace, mea uxore Ŏta unanimiter mihi in hac delegatione consentiente. Ea autem delegatio tali confirmata est cautione, quod prefatos seruientęs tradidi in manum Rŏdolfi liberi hominis utroque parente et de eius manv in manvm Gozwini comitis et camerarii ea pactionis firmitate, quatinus predicti seruientes ab omni iugo seruili absoluti episcopo eiusdem loci libere seruiant eo scilicet iure quo seruiunt maiores ministeriales eiusdem ecclesię et sub eadem delegatione qua Ŏdalricus comes Ŏdalricum fratrem eorundem seruientium delegavit eidem ecclesię. Et ne hęc traditio possit ex aliqua parte calumniari uel aliquo modo infirmari alicuius iniusta tyrannide, confirmatur subscriptorvm testium nominibus, qui tunc aderant in eadem delegatione. Rŏdbertus, Meingehardus, Otto, Bobbo, Wezil, Heinrich. Laici: Heinricus comes, Ebo, Gozwin, Arnolt, Heinrich, Azzo, Liebolf, Chadalhohc, Emehart et filii eius, Dietricus,

Volcmar, Beren, Herolt, Pezzo. Hii autem aderant testes, quando Rŏdolfus accepit pueros in manum suam de potestatiua manu Engilberti comitis, Sigifridus ipsius comitis frater, Ruodolf et frater eius Waltchŏn, Amalbreht, Tiemo, Herrant, Wezil, Gundachar. Confirmata est autem hęc traditio anno dominicę incarnationis millesimo C. IIII°., indictione XII^{ma}., Heinrico imperatore, eius filio rege Heinrico, Emehardo episcopo, Goteboldo comite.

Sigillum quondam dorso infixum periit.

LXXIV.

1106.

Erlungus, wirziburgensis ecclesiae provisor privilegium restituit, ut quicumque canonicus suo confratri vel collegio canonicorum domum, quam possederit, dare tradereque possit.

Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Nouerit omnium sancte dei ecclesie sollercia filiorum, quod ego Erlungus dei dignacione nec meritis meis wirczburgensis ecclesie humilis prouisor, assidua meditacione illud mecum replicans, quod scriptum est: qui diligit fratrem suum ex deo est natus et uidet deum, optaui fraterne caritatis amore succensus dei filiis annumerari dileccionisque merito deum contemplari. Jn qua re, licet humilitatem meam rerum non sequeretur effectus, deuote tamen mentis pro captu uirium anhelat affeçtus, fretus autem interni scrutatoris equitate, qui non quantum, sed ex quanto quidquid offeratur, pensans uidue quadrantem innumeris diuitum denariis prefert, non quod uolo sed quod ualeo, in testimonium fratrum amoris exhibeo rem quidem merito paruam sed deuocione mentis et affectus sinceritate plenam, restitui itaque fratribus meis priuilegium domorum inter se tradendarum, quod olim nescio qua uiolencia eis fuerat sublatum sed a uenerabili uiro Emehardo ante me tercio prefate sedis episcopo ex parte fuerat restitutum sed et a predecessore meo uenerande memorie Ruperto absque contradiccione redditum decernens, ut quicumque canonicus,

cui uelet, vni scilicet fratri uel uniuersis fratribus domum, quam possederit tradere ualeat, ubicumque uel quandocumque sub trium uel duorum fratrum testimonio. Placuit autem ad roborandam huius tradicionis sempiternam geste rei memoriam scripto iussionis notatam et tam episcopalis banno auctoritate confirmatam quam et impressione sigilli corroboratam in perpetuum consolidare ne quis se huic decreto nostro ulterius uelit uel possit opponere. Quod si quelibet persona, quod tamen non credimus, hec a nobis gesta cassare uel quolibet ingenio immutare temptauerit fiat ei sicut Aman Agagite, sicut Naas Ammonite, sicut Moysi detractoribus, sicut Helye persecutoribus cum Juda traditore deputetur, in die tremendi examinis a cetu fidelium alienus habeatur. Actum anno dominice incarnacionis millesimo C. VI. Jndictione XIIII., regnante Heinrico quinto rege, Erlungo episcopo, Goteboldo comite. Jsti autem sunt testes, qui huic tradicioni interfuerunt: Heinrich prepositus, Heinrich decanus, Diemo, Kûno, Wezel, Dudo, Otto, Meigenhart, Vdalrich, Gerung. Laici: Heinrich comes, Rûprat, Vdalrich, Gerung, Marcwart, Erchenbrechet, Cunrad, Richolff, Bern, Dietherich, Engelhart, Yring, Diemo, Ruger, Herold, Bernolff.

Ex libro copiali Lupoldi de Bebenburg.

LXXV.

1113.

Erlungus episcopus canonicis in ecclesia s. Kiliani delegat possessionem suam Chunedorf, et praedium Gowenheim, quod ecclesiae suae pro beneficio Sigeloldi a milite suo Berchtoldo de Andehesin acquisivit, situm in pago Weringowi, in comitatu Cuonradi comitis.

† Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Nouerit omnium tam presentium quam futurorum Christi fidelium industria, quod ego Erlungvs nullis meritis sed gratia superni regis, qui uocat ea quę non sunt tanquam ea quę sunt, ad wirziburgensis ęcclesię regimen sublimatus, dispensationis meę pondus sedula meditatione perpendens,

decreui iuxta apostolicę ammonitionis instituta bonum ad omnes operari, maxime autem ad domesticos fidei. Ad cuius tam sanctę meditationis affectum ut largiflua benignissimi regis munificentia conferre dignaretur effectum, statui interim pro modulo meo minora ipsi bonorum largitori offerre, quatinus per hęc promererer ipso largiente largioribus hostiis faciem eius honorare et pro exhibitis misericordię operibus misericordiam misericordibus promissam inuenire. Ad supplementum igitur stipis cottidianę canonicis in ęcclesia beati martyris Kyliani deo seruientibus non quod uolui sed quod ualui, curaui adicere, ut preter stipendia ante meum tempus constituta in refectorio pariter uescentes propriis sumptibus necessaria possint habere et tam pro meis quam suis excessibus refectioni pauperum largius ministrare. Tradidi ergo eis et perpetuo possidendam delegaui possessionem mei iuris, quę dicitur Chunedorf et predium Gowenheim, quod acquisiui ęcclesię meę pro beneficio Sigelohi a milite meo Berehtoldo de Anedehesin, situm in pago Weringowi in comitatu Cuonradi comitis, cum mancipiis et omnibus pertinentiis ipsius siluis, pratis, areis, uenationibus, piscationibus, molendinis, aquis, aquarum decursibus, viis, inviis, exitibus, reditibus, quęsitis seu inquirendis nec non et cum omnibus utilitatibus, quę de cętero excogitari aut adinueniri possunt, ut liberam habeant facultatem mutandi, conmutandi et pro sua utilitate dispensandi, sic tamen ut a cottidianis refectorii refectionibus reditus eius non transferantur. Predium quoque Gowenheim nullum preter principalis altaris aduocatum habeat, cui pro seruitio suo nouem uncie persoluantur et ad maioris impensę damna nequaquam cogantur. Apices ergo hos gestę rei indices placuit ad posterorum notitiam transmittere et ne quid deinceps contradictionis in hac re sustineant, inpressione sigilli nostri et confirmatione banni episcopalis nec non et testium nominibus subscriptis diligenter cauere. Testes autem hi sunt: Otto prepositus, Ŏdelrich decanus, Wecil prepositus, Cŭno presbyter, Tudo presbyter, Rŭggerus prepositus, Boppo presbyter, Ŏdelrich, Otto, Erchembraht, Cŭnrat, Reginhart, Marcwart, Adalbraht, Richolf, Eingilhart, Irinc, Bern, Bernolt, Herolt, Richalm.

Acta est autem hęc traditio in ecclesia sancti et beati martyris

Kyliani anno dominicę incarnationis M. C. XIII., indictione VI. Regnante gloriosissimo imperatore IIII. Heinrico, regente ecclesiam wirziburgensem Erlvngo uenerabili episcopo, Godeboldo comite.

Sigilli impressi ea tantum pars superest, quae imaginem episcopi pectore tenus exhibet, ac partem inscriptionis: . RA. WIRCEBVR. .

LXXVI.

Anno 1115.

Erlungus episcopus homines quosdam in Lonerstat et Forcheim ab Ekeberto marchione de Rotenburc vel de Uverberc tempore Adalberonis episcopi ecclesiae suae delegatos, sed postea a comite Ruperto de Kastele in servitutem redactos pristinae libertati restituit.

C. Jn nomine sancte et indiuiduę trinitatis. Erlungus dei gratia wirzeburgensis ecclesię minister humilis. Officii nostri cura pastoralis discretionem euidenter cohortatur et perspicue commonet, quod laudabilia uenerabilium predecessorum nostrorum preclaris factis precipue in hiis studeamus imitari exempla, ut quemadmodum sacram uicem, nomen et officium summi pontificis in ecclesia gerimus, ita quoque sanctę eidem ecclesię in suis iusticiis et iuri[s]dictionibus, in prediis et mancipiis commode prouideamus eique contra prauorum importunitatem in posterum memorabilem priuilegiorum adhibeamus munitionem. Ea propter omnibus ecclesię fidelibus per presentem paginam notum facimus, qualiter dominus Ekebertus marchio de
uel de Uverberc
Rotenburc [1]) aspirans regnum uite, quosdam homines sue proprietatis in Lonstat [2]) et Forcheim habitantes scilicet Rutharдum, Rupertum, Selindam, Heinricum, Hazecham, Frouvvesen, Gerbirgam tempore domini Adelberonis uenerabilis episcopi cognati sui, predecessoris nostri, ob honorem omnipotentis dei et saluatoris nostri Jesu Christi libera manu liberaque potestate ad sacras reliquias et patrocinia inclyti martyris Kylyani in maiori ecclesia patrocinantis coram testibus ydoneis liberis, et ministerialibus delegans contradidit et ita sane donauit quatenus idem homines

cum tota posteritate sua annuatim in festo predicti martiris singuli a pubertatis sue anno tres denarios persoluant sicque ab omnimoda exactione atque maxime aduocatorum temeraria uexatione liberi et ubicunque locorum aut terrarum elegerint, optata pace tuti degant atque securi habitent. Verumtamen ciuitatis episcopus omnem inuasorem eorum omneque consilium malignantium auctoritate sua reprimat et restringat eosque iuxta donationis tenorem in suo iure et iusticia tueatur, adiuuet atque muniat. Jtaque siquis illorum humane condicioni cedens de presentis uitę decesserit meta optimę uestis in redemptionem solidum unum super altare matricis ecclesię per suos heredes relinquat ac disponat deferendum. Neque uero hoc esse pretereundum censuimus, quod hec donatio in presentia predicti antecessoris nostri domini Adalberonis ab auctore suo Ekeberto marchione primitus est habita, ordinata et recognita atque pragmatica priuilegiorum sanctione stabilita, set paulo post propter inertiam hominum in obliuionem est ducta et ob idem malum Rupertus de Kastele quorundam praua persuasione suggillantium quasi consilio Achitofel animatus atque auaritię morbo delusus eosdem homines velut e iure aduocaticio sibi sugiere [3]) et in seruitutem suam nimirum conatus est destringere. Jdem ergo homines, dum sese uident iniusti angariari, mox ad nostre personę serenitatem in manifesta synodo tamquam ad iudicem et oppressorum consolatorem recurrentes flebiliter ceperunt iniurias sibi uiolenter illatas vociferari et conqueri, quorum lacrimabili et iniuriosa oppressione pro tempore miserendi misericordia moti una cum omni clero et populo ciuitatis miserti sumus illorum seriemque donationis uerius rescitam atque iusticiam eorum aperta ueritate coram liberis et ministerialibus restauramus restauratamque testificamur et testificatam adprobamus atque iterato nostra auctoritate rescribimus et rescriptam nostra sacri sigilli imagine reformatam illibatamque omni euo seculorum transmittimus recitandam atque in sacrario sancti Kyliani propter necessariam monimenti cautionem constituimus esse reseruandam. Et siquis hanc adnullare kartam presumpserit districti iudicis terribilem impiorum condempnationem sine fine permanentem tenebrosis infernorum regnis Juda deputatus anathema maranatha eternaliter

luiturus exspectabit. Testes. abbates IIII^or. Ezzo. Albrich. Adelger.
prepositus. decanus. pre po siti.
Růtpreth. Clerici XX^i. Otto. Vdalrich. Uvecil. Gebehart. Cunraht.
Cantor. Capel la ni. Capel lani.
Boppo. Cunraht. Adelbreht. Gundram. Burchart. Regengrim. Heinrich. Fridehalm. Friderich. Lůthvvin. Ebo. Albuvvin. Heinrich.
Du ces. Co m
Dyezman. Laici. Liberi: Friderich. Cunraht. Heinrich. Goezvvin.
i t tes Rieneke. Ense.
Gothebolt. Uvolfram. Arnold. Crapht. Rutpreht. Regenhart. Ministeriales: Richolf. Engelbreth. Yring. Eber. Rutpreht. Dytherich. Billung. Eberhart. Bern. Arn. Herman. Eyspreth. Urbani: Eyspreth. Herold. Bernolt. Richalm. Gotefrit. Ebo. Arnold. Karl. Udelrich. Růthunic. Herold. Burchart. Edelrich. Bern. Cunraht. Yring.
triplex.
Gothebolt. Regenboto. Ebbo. Gerloch. Heinrich. Rudeger. Libolf. Kadelhoch. Beltvvin. Thigedo. Gundeloch. Sicco. .....

Acta anno domini M̊. C̊. X̊. V̊. indictione XI^ma. domino Heinricho V^o. glorioso inperatore feliciter regnante, domino Erlungo uenerabili episcopo, Gotheboldo urbis prefecto.

1) Verba, hic et infra super nomina testium, litteris minoribus expressa in diplomate ab eadem, certa quidem a coaeva, non ut de Lang (Reg. I. 115) existimat, a recentiori manu scripta sunt.

2) Sic, loco Lonerstat.

3) Sine dubio scribendum erat: subigere.

Sigillum impressum et optime conservatum, superiorem partem effigiei episcopi exhibet cum epigraphe: „† ERLVNGVS DEI GRA. EPS. WIRZIBVRG." Diploma hoc edidit P. Oesterreicher in libro: Darstellung des alten Königshofes Forcheim. Bamberg 1824. 8. Docum. pag. XVIII.

LXXVII.

Anno 1120. 1. Mai. Wirceburc.

Heinricus V. Romanorum imperator Erlungo wirceburgensi episcopo eiusque ecclesiae iudiciariam potestatem in tota orientali Francia, suis temporibus inde alienatam, denuo restituit.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. part. I. pag. 238. Nr. CCCCXXXXIV.

LXXVIII.

Anno 1131. s. d. Wirceburc.

Embrico episcopus ministeriales et censuales, quos Otto dux eiusque soror Richeza ad custodis officium legavit, sed Otto praepositus in iura praeposituræ traxit, officio praedicto restituit.

C. Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Embrico dei gratia wirzeburgensis ęcclesię episcopus notum facio omnibus tam futuris quam presentibus apices istos inspicientibus, quod felicis memorie dux Oddo et soror eius Richeza alios heredes non habentes, ut Christum sibi lucrifacerent omnia predia sua in Salze una cum ministerialibus suis tam uiris quam feminis tradiderunt ęcclesię sancti Kyliani martiris in Wirzeburc unumquemque secundum ius suum, uidelicet ut ministeriales sint in ordine ministerialium et censuales habeantur sub regula legalis census, scilicet ut uir quinque denarios femina tres quamdiu uiuant, persoluant in festo sancti Kyliani ad custodis officium, aliquo autem eorum mortuo, uir si fuerit, quod in pecudibus optimum habuerit, femina preciosius indumentum predicte ęcclesię persoluent. Hec tradicio durauit usque ad tempora Oddonis prepositi, qui conaus est aliquos ex eis choartare ad iura prepositure, unde permoti et iuris non ignari seniores inter eos, quidam uidelicet Cůnradus de Witegehusen et cognatio sua uenerunt ad audientiam nostram maiorumque ecclesię nostrę tam clericorum quam laicorum parati suam defendere iusticiam, vnde communi consilio decreuimus, ut idem Cůnradus ignito ferro hoc probare deberet, quod et factum est. Quo conprobato summus ęcclesię aduocatus Godeboldus de Hennenberch tercia manu coniurauit iusticię illorum, ipse et omnis cognatio illa cum cuncta sua posteritate in perpetuum pertineant ad custodis officium iure supradicto. Vt autem hęc hominum illorum iusticia firma et intemerata in posteras generationes permaneat, precipimus et ne posterorum aliquis similimodo eos inquietare presumat, hac conscriptionis paginula et sigilli nostri inpressione signari fecimus. Facta est autem hęc iuris renouatio uel confirmatio in ciuitate Wirzeburc anno incarnationis

dominice M. CXXXI. regnante Lotario Romanorum inperatore, in presentia uenerabilis Embrichonis episcopi, coram testibus qui subscripti sunt. Gebehardus Longus, Babo, Heinricus Benzo, Heinricus Muchelin, Richolfus archidiaconus, Burckardus decanus, Reinboto parrochianus, Billungus, Edelrich et frater eius Gotebolt in foro, Herolt, Colman, Reginhart, Gotebolt der Lincgo, Engelbreth, Heinric, Cûno et frater eius Rutwic Albus et omnes potentissimi ciuitatis. Si quis ergo hoc in posterum adnichilare temptauerit, auctoritate dei omnipotentis et nostra excommunicationi subiacebit nisi condigna satisfactione emendaverit.

Sigillum optime conservatum, episcopum repraesentat sedentem cum inscriptione: „† EMBRIHCO DEI GRACIA WIRZEBVRGENSIS EPC".

LXXIX.

Anno 1131. 23. Mai. Wirciburg.

Embricho episcopus litem canonicos ecclesiae suae inter et Wibertum eiusque filium marchionem Heinricum de bonis ecclesiae dictae Nibbene componit.

C. Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Ego Embricho sanctę wirziburgensis ęcclesię humilis minister notum fieri uolumus tam futuri quam presentis ęui fidelibus, quod canonici beati Kyliani de domo dudum habita querimonia de bonis ęcclesię, quę Nibbene uocantur, eo quod dominus Wibertus et filius eius marchio Heinricus iniuste et uiolenter ea sibi uendicauerant, nodum huius quęrimonię ea ratione preciderunt et ad pacis uinculum in presentia domini regis Lotarii et multorum principum Aquisgrani inuicem tali cautela peruenerunt quod idem prefatus marchio eadem bona predictę ęcclesię wirziburgensi recognouit et ea de manu domini wirciburgensis episcopi Embriconis et maioris prepositi Ottonis uice et loco fratrum recepit, ea uidelicet interposita conditione ut singulis annis ipse, dum uiuit, et post eum eius posteritas, nummum

unum fratribus persoluat et pro hoc censuali reditu eadem bona cum pace et quiete obtineat. Huius autem pactionis factę precipue firmamentum extitit presentia regię maiestatis et aliorum testium tam clericorum quam laicorum quorum nomina subscripta sunt. Clerici: Otto prepositus, Babo decanus, Sigefridus prepositus omnium sanctorum, Bruno prepositus sancti Johannis, Gozelinus scolasticus, Berno cantor, Hartwicus cellerarius, Cůnradus, Guntrammus, Grimo, Lůttwinus, Gebehardus, Burkardus, Heinricus, Cůnradus, Fridericus, Guntherus, Beragerus, Heinricus, Folcnandus, Eberhart, Bertholdus. Laici. Liberi: Bertholdus comes, Boppo, Růbertus et filii eius, Otto camerarius, Herimanus, Marcwardus. Clientes: Egispertus, Engelhardus, Folcnandus, Folcgerus, Cůnradus, Adelhelmus, Cůno, Eber, Lvibernus, Richelmus.

Acta sunt autem hęc anno ab incarnatione domini M. C. XXXI. indictione VIIII. regnante glorioso rege Lotario huius nominis III., presidente sedi wirciburgensi domino Embricone episcopo, cuius signi impressione prescripte conuentionis nititur certitudo.

Data Wirciburc X. Kalendas Junii, per manum Gozelini scolastici.

Sigillum nunquam impressum fuit.

LXXX.

Anno 1135, ante 4. Juni.

Embricho wirziburgensis episcopus donationem Friderici ducis, de certis suis servis et ancillis factam ecclesiae wirziburgensi confirmat.

Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Embricho per graciam dei wirzeburgensis episcopus notum esse cupio omnibus tam presentibus quam post futuris Christi fidelibus, qualiter nostro consilio et petitione dux Fridericus quosdam proprii iuris sui servos et ancillas, quorum nomina hec sunt: Eberhart et uxor ipsius Hilteburg et liberi ipsorum Sigefrit, Hilteburg, Mechthild et horum puerorum auunculus Sigefrid et filius illius Walbrun, matertera ipsorum Chuneza et pueri illius Heinrich, Adelbrecht, Adelheit, Wendel-

mut, in presencia multorum tradiderit ac delegauerit in manus domini Adelberti de Ludun sub tali condicione, ut ipse predictos uiros et mulieres ad reliquias preciosi martiris Kyliani traderet ac delegaret, pacta eis iusticia, quam ipsi postularent. Jn quorum autem presencia dux Fridericus domino Adelberto istos tradiderit, subscripti habentur ministeriales ipsius ducis: Gotebolt, Hunger, Walter; alterius conditionis: Herold, Steuen, Gotefrid, Engenbrecht, Godebolt, Heinrich. Confecit itaque idem Adelbertus sicut erat commonitus et in nostra presencia predictos uiros ac mulieres ad reliquias predicti martiris Kyliani tradidit ac delegauit sub tali condicione ut quisquis in ista cognacione maior natu exstiterit singulis annis in festo eiusdem martiris quinque denarios persoluat et sic cetera omnis cognacio ab omni seruili exaccione penitus inmunis existat, nullum nisi principalem eiusdem altaris aduocatum habeat, post mortem uero cuiusque, si masculus fuerit, quitquit inter animalia preciosius habuerit, si femina, quid in uestimento quod ipsa operata fuerit melius habuerit, ad custodiam eiusdem ecclesie pertineat. Vero quia ista delegacio in nostra et multorum, qui subscripti habentur, presencia contigit, nos super hac eadem delegacione hanc cartam fieri iussimus, quam et subscriptorum testium testimonio et sigilli nostri inpressione officii eciam nostri auctoritate sub anathemate confirmauimus. Clerici: Otto prepositus, Sigefridus prepositus, Babo decanus, Hertwic, Gunderam, Grim, Gebehart, Heinrich, Gozelin, Burchart, Richolff, Heinrich, Rûger, Cunrad, Friderich, Wintter, Bernger, Burckart, Rûger. Ministeriales: Cunrad, Volger, Edelrich, Gotefritt, Billung, Heinrich, Herolt, Heinrich, Gotebolt, Engelbert, Gozwin, Wolfmar, Godebolt, Chadeloch, Richolff, Beseman, Libolff, Franco, Heinrich, Gebo, Engelhart, Heinrich, Walther, Erchenbrecht, Bruning, Wernher, Winther, Walthreht, Heinrich, Elbwin, Herolt, Friderich, Walthere, Ratolff, Cucil, Engilprecht, Dithere, Coloman, Trutman, Gerbolt, Wortwein, Gerung.

Acta sunt hec anno incarnacionis dominice millesimo C°. XXXV°., indictione XIII°. regnante glorioso imperatore III°. Lothario, anno regni ipsius X°., imperii uero secundo, Godeboldo comite.

Ex libro copiali Bebenburg.

LXXXI.

Anno 1136.

Embrichonis wirziburgensis ecclesiae ministri notitia de constructione et dedicatione ecclesiae in Sesselbach eiusdemque unione cum ecclesia matrici in Augia.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Embricho sanctę wyrziburgensis ęcclesię minister. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam posteris quam presentibus, quod quidam Hartmanus cum coniuge sua Seburga nomine, libere conditionis in uinea domini cupientes operari ne denarii diurni mercede uiderentur priuari, sanctam dei genitricem Mariam sibi in hac eadem re fieri deposcunt adiutricem, quatinus ipsius interuentu quod uotis expetebant, perducerent ad effectum. Igitur in uilla quadam Sesselbach nominata, in prędio suo ęcclesiam proprio sumptu construentes ad perfectum usque perduxerunt, quam a nobis in honore sancti Stephani prothomartyris dedicatam nostro consilio et consensu ad altare sanctę dei genitricis in Augia tradiderunt, ea uidelicet ratione ut eidem ęcclesię in Augia quasi matri filia subdita sit et quicunque sacerdos eidem ęcclesię pręsideat, illi etiam in omni ęcclesiastico iure prouideat. Illud etiam adiciendum quod in die dedicationis predicte ęcclesię in Sesselbach, que est VX.[!] kal. Julii prefatus Hartmannus et uxor eius Seburga mansum unum et aream cum tribus mancipiis in dotem altaris tradiderunt, ea videlicet ratione, ut mansus et area in potestate ęcclesię libere cedat, mancipia uero, masculus unus nomine Cůnradus quinqe denarios, et duę mulieres, utraque illarum denarios duos ad altare in die eiusdem sancti Stephani prothomartyris persoluant. Quę omnia sicut diximus in nostra et multorum presentia disposita et determinata, ut firma et stabilia perpetuo permaneant presentem cartulam inde conscribi fecimus, quam sigilli nostri inpressione signatam ad posterorum notitiam transmittimus. Testes qui uiderunt et audierunt isti sunt. De clericis: Babo decanus, Wortwinus decanus, Wignandus, Gebehardus prepositus, Winitherus, Sigefridus prepositus, Dietmarus Ernest, Friedehalm. De laicis: Cůnrat de Tungeden Cunrat de Phuzzechen, Friderich et

Adelbraht fratres de Truhentingen, Ramuolt de Waltmanneshouen, Bobbo des Lindenfels, Gerung de Enggeresberge, Eberhard de Ollingen, Heinrich, Hatto, Volmar, Volcnant, Hertwig, Cuno, Meginwart de Goulichesheim, Gernot de Hemeresheim, Gernot filius eius, Heinrich, Ůdalrich Niger, Ůdalrich Albus, et alii quam plures.

Acta sunt hęc anno dominę incarnationis millesimo C. XXXVI. Indictione XIIII.

Sigillum, olim impressum, periit.

LXXXII.

Anno 1137.

Embricho episcopus wirziburgensis controversiam inter Bertam, viduam Gerungi de Wilandesheim et canonicos wirzeburgenses de quibusdam prediis circa Tuberam terminat.

Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit tam futuri quam presentis eui fidelibus, quod ego Embricho gratuita dei prouidencia wirzeburgensis episcopus iure officii et prelacionis nostre utilitatibus ecclesie studens consulere statui ubicumque oportunitas, se offerebat dissidencia et conpungnancia vinculo pacis et caritatis unire, maxime que ad obsequium diuini cultus et usum fratrum nostrorum uidebantur pertinere. Litem igitur quandam et diuturnam controuersiam, que fuerat inter fratres nostros et dominam Bertam uiduam scilicet Gerungi de Wilandesheim pro quibusdam prediis, que idem Gerungus adhuc uiuens pro remedio anime sue fratribus nostris contulerat, saniori consilio fidelium nostrorum tam clientum, quam liberorum tali cautela terminauimus, quod eadem prefata mulier in presenciam nostram Wirzeburg veniens cum marito suo Wolfrado multis astantibus recognouit ecclesie nostre eadem predia citra Tuberam fluuium adiacentia preter quedam, que causa pacis conponende inter eos fuerant excepta.

Sunt autem hec, que excepta fuerunt, Gnezesheim et Bucheim et ea tantum bona, que in Wilandesheim pertinent ad predium illud Gnezesheim; preterea Scuhesbach, Gůde-

lendorff, Herphridesdorf, Rugelandum, Horewen. Supradictis exceptis cetera omnia citra fluuium, ut dictum est, sita in agris, pratis, pascuis, viis et inviis, siluis, vinetis, molendinis de manu nostra recepit et fratrum nostrorum ea uidelicet paccione, ut tantum in vita sua possideret et annis singulis ob monimentum huius conueniencie urnam uini in festo beati Nycolai fratribus persolueret, post decessum vero ipsius omnia hec in usum et in possessionem fratrum cederent per manum ipsorum libere disponenda sicut ipsi decernerent. Porro ut hec inconuulsa et fixa permaneant banno nostro confirmari et sigillo nichilominus placuit consignari subnotatis quoque testibus qui huic interfuere conposicioni. Clerici hii: Otto prepositus, Babo decanus, Sifridus prepositus, Guntherus prepositus, Conradus prepositus, Bruno, Hertwicus, Guntramus, Bruno, Conradus, Gebehardus, Fridricus, Gozelinus, Burckardus, Richolfus, Heinricus, Eberhardus, Adelbero, Berengerus, Folcnandus. Laici uero isti: Godeboldus comes urbanus, Rupertus, Conradus, Waltherus, Engelhardus, Conradus, Wolframus, Otto, Conradus, Adelbertus, Giso, Heinricus, Burckardus, Rupertus, Hermannus, Gozwinus. Ministeriales vero isti: Conradus, Otto, Folcnandus, Conradus, Burckardus, Kuno, Arnoldus, Theodericus, Conradus, Warmundus, Otto, Ebo, Richolfus, Billungus, Adelricus, Heroldus, Kadelohus, Richalmus, Gotefridus, Engelbertus, Rutwicus, et alii quam plures. Facta sunt hec anno dominice incarnacionis millesimo C°· XXXVII°·, indiccione XV. Regnante glorioso Romanorum imperatore augusto Lothario feliciter.

Ex libro copiali Bebenburg.

LXXXIII.

Anno 1137.

Embricho episcopus donacionem vinearum in via dicta curva a cive quodam wirziburgensi certis conditionibus factam confirmat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Sciat et perenni memoria teneat tam futuri quam presentis ęui ęcclesia, quod ego

Embricho per dei misericordiam wirziburgensis episcopus approbans pia uota et elemosinas fidelium, qui per bona temporalia felici commercio sibi merentur ęterna, auctoritate et banno nostro confirmaui, si quid ęcclesię nostrę sub nostra prouidentia traditum memoriaque dignum episcopali censura et priuilegio necesse fuit approbari. Jtaque notum facimus ęcclesię dei, quod quidam conciuis noster Adelbero nomine et Ellekint uxor ipsius, sicut pio coniugio in domino copulati ita una deuotionis catena erga deum connexi, inter cętera quę bene et feliciter pro remedio animarum suarum Christo obtulerunt, quasdam etiam uineas proprietatis suę sitas in uia, quę uulgo curua dicitur, ad altare beati patroni nostri Kyliani in usum fratrum nostrorum communi uoto tradiderunt, ea uidelicet pacti cautione, ut post decessum eorum filius ipsorum Godefridus nomine eiusdem ęcclesię canonicus easdem uineas possideret et annualem censum, dimidiam scilicet carratam uini, tres urnas in anniuersario patris, et tres in anniuersario matris fratribus et concanonicis suis persolueret et cereum lumen die et nocte continue ardens ante altare prefati martyris procuraret. Porro si contingeret, ut mortuo Godefrido frater eius Heroldvs laicus superstes esset, ipse easdem uineas pro censu prenominato tantum in uita sua retineret et demum post obitum utriusque fratris eędem uineę in usum et liberam possessionem fratrum transirent non uni committendę sed communi consilio communi etiam cultura et sumptu per manum fratrum disponendę. Quod si quis cognatorum uel affinium uel extraneorum hanc tradicionem euacuare aut quolibet ingenio cassare temptauerit, anathema sit et cum Juda proditore perenni dampnatione inuoluatur et a consortio sanctorum, nisi resipuerit, in mediis tenebris extinguatur. Hos igitur apices ad noticiam et memoriam rei gestę placuit conscribi et impressione nostri sigilli confirmari subscriptis testibus, qui interfuere supradictę allegationi. Clerici hi: Otto prepositus, Babo decanus, Sigefridus prep., Guntherus prep., Hertwicus, Gunthram, Gebehart, Heinrich, Gozelin magister scolarum, Burchart, Richolf, Herolt, Heinrich, Herman, Bern, Cůnrat, Friderich, Winthere, Burchart, Berenger, Heinric, Adelbero, Berenger, Wolcnant, Bernolf, Cůnrat, Sigefrit, Sigeloch. Laici: Godefrit, Herolt, Edelrich, Billunc,

Richalm, Engelbret, Gozwin, Billunc, Godebolt, Engelbret, Engelhart, Heinrich, Regenhart, Cadeloch, et alii quam plures.

Facta sunt hęc anno dominicę incarnationis M. C. XXX. VII., indictione XV. regnante glorioso Romanorum III°. Lůthario, Godeboldo urbano comite.

Sigillum olim impressum in plures partes fractum est.

LXXXIV.

Anno 1137.

Embricho episcopus Jutam censualem esse ecclesiae suae declarat.

C. Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Embrico dei gratia sancte wirzburgensis ecclesię episcopus. Quoniam que in tempore geruntur, ne de facili ab humana dilabantur memoria, literarum munimine dignum duximus perennare ea, que nostris temporibus iuste et rationabiliter fuerint instituta, ne in posterum ocasio relinquatur ea infringendi siue permutandi. Ea propter notum esse uolumus tam presentibus quam futuri eui hominibus, quod quedam mulier censualis ecclesię nostre nomine Jůta singulis annis quoad uiuit et post obitum ipsius quicumque vel quecumque maior natu in omni illa fuerit posteritate, tres denarios ad altare sancti Kyliani festo ipsius pro censu persoluet uel eorum precium in cera sive lino et ab omni iugo seruitutis prorsus erit inmunis omnibus diebus uitę suę et cuncta illa progenies et a statu iuris sui nulla umquam ratione humiliabitur nec a quoquam inbeneficiari poterit, neque alium aduocatum habebit preter iam dicti altaris aduocatum et hoc solummodo ad defendendum et protegendum. Post obitum uero iam dictarum personarum uidelicet earum solummodo que predictum censum exsoluere tenentur, quod preciosius habuerint in uestimento et carius in usum cedet custodis ecclesie ipsius. Huius rei testes sunt: Otto maior prepositus. Babo decanus. Sifridus prepositus noui monasterii. Go-

zilinus scolasticus. Harthwigus celerarius. Grimo portenarius. Goteboldus purgrauius. Popo filius eius. Ludewicus de Franchenstein. Goteboldus de Henninberch. Otto de Wigershusin. Heroldus vicedominus. Pillunch scultetus. Otto. Chûnradus. Heinricus. Jringus. Herolth. Ludiuuicus, et alii quam plures.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis millesimo centesimo[1]) tricesimo VIImo. indictione XV. Regnante Lothario Romanorum rege, Gotheboldo purgrauio.

[1]) Verbum „centesimo" a posteriori manu, ut videtur, ad scriptum est.

Sigillum impressum et optime conservatum, episcopum exhibet sedentem, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem, cum inscriptione: † EMRICHO. DEI. GRA. WIRZBVRGENSIS. EPSC.

LXXXV.

Anno 1139.

Embricho episcopus cives de Gelteresheim et Romveld de pascuis litigantes pacificat.

Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Embricho Wirziburgensium episcopus. Dispensationis nobis creditę iusticia postulat, ut non solum maiora iudicia attendamus, uerum etiam uulgares lites et contentiones ad pacem et quietem reformare studeamus. Vnde cunctis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus notum facimus, qualiter ciues de Gelteresheim et de Romueld de pascuis interiacentis paludis diu inter se litigantes, cędibus, rapinis, uulneribus, incendiis multum disceptantes hoc modo pacificauimus rogatu et obtentu karissimi nostri Wignandi tharisiensis cęnobii abbatis, quo Romueld pertinet, et consilio plurimorum ęcclesię nostrę fidelium predictam paludem sic diuidi fecimus, ut minor pars ad Tharisse pertineat, et interfluens amnis huius diuisionis terminum faciat, ne inperpetuum aliqua seditio amplius inde proueniat. Jn hac disiunctione utriusque partis aduocati comes scilicet Rapoto et comes

Erkenbertus consenserunt et hoc suo iure stabile fecerunt. Ergo ut hoc pactum inconuulsum permaneat hanc cartam utrobique seruandam scribi fecimus et sigilli nostri inpressione confirmauimus. Si quis autem hoc pactum infringere presumpserit, banni nostri uirga percussus anathema sit. Huius rei testes sunt: Otto prepositus. Babo decanus. Sigefridus prepositus. Gebehardus. Burkardus. Henricus cantor. Goteboldus comes. Otto. Cůnradus. Folcnandus. Cůnradus. Ebo. Jring. Bern. Burchardus et alii quam plures.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis Millesimo C. XXXVIIII°. indictione II^da^., anno I°. Cůnradi regis, Ottone babenbergense episcopo.

Sigilli impressi tantum pars superior adest.

LXXXVI.

Anno 1140.

Embricho episcopus ministeriales a Gerungo quodam, liberis orto natalibus, cum castro Wielandesheim ecclesiae suae delegatos ab omnis servilis angariae exactione liberos declarat.

C. Jn nomine sancte et individue trinitatis. Embrico dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Ratio nobis diuinitus credite dispensationis expostulat, omnibus nostre speculationis presidia ex debito sue conditionis amplectentibus nos pio studio respondere ac summa prouidentia ne in posterum eos a sui iuris statu forte declinare contingat prouidere. Cuius rei contemplatione notum esse uolumus uniuersitati tam presentium quam subsequentium Christi fidelium, quod cum nobilis quidam Gerungus nomine, liberis ortus natalibus, pro remedio anime sue castrum suum uidelicet Wielantesheim cum omnibus prediis adiacentibus, cum ministerialibus, cum mansionariis, cum pratis, cum paschuis, cum uineis sancto Kyliano martiri sociisque suis delegaret, quosdam ministeriales suos, Fridebarc, Dietburc,

Richeith, Herolt, Hilteburch ad altare preciosi martyris huius rationis conditione contradidit, quatinus qui inter eos prouectioris etatis fuerit, uir siue mulier, annuatim in festo predicti martiris ad officium custodie tres denarios uel precium eorum in cera, thure uel lino ad eius reliquias pro censu offerat et de cetero liberi existent ab omni coactitia seruitute nulliusque defensionem uel mundiburdium aliunde requirant nisi a legitimo ipsius altaris aduocato. Post obitum uero eius qui inter eos prouectioris est etatis, uel uiri uel femine quicquid in uestibus preciosius reliquerit in utilitatem custodie debebit uendicari. Nos inquam pro debito equitatis iuste petitioni iam dicti Gerungi clementer annuentes, traditionem ipsius in generali placito nostro ex consensu burgrauii aduocati Goteboldi et ex sententia beneficiatorum et ministerialium nostrorum ita confirmauimus, ut prefati homines et omnis eorum posteritas libera ab omni seruilis angarie exactione permaneat nec umquam eos aduocatus uel aliquis inbeneficiare presumat. Sic igitur generali nostri priuilegii cautione muniuimus ueterum simplicitatem, que cum pura ueritate gradiebatur, ne in posterum aduersus eiusdem conditionis homines tam futuros quam presentes, nequicia seu dolositas iuniorum in aliquo casu moliatur, et ut hec rata et inconuulsa permaneant, hanc cartam sigilli nostri impressione fecimus consigniri. Siquis autem hoc scriptum in posterum aliquo mali ingenii dolo, seu iniqua sue temeritatis presumptione infringere uel infirmare attemptauerit, iram dei omnipotentis et sanctorum martyrum Kyliani et sociorum eius se sciat incursurum. Testes: Otto maior prepositus, Babo decanus, Sifridus prepositus noui monasterii, Guntherus prepositus sancti Johannis, Gozelinus scolasticus, Hartwicus cellerarius, Grimo portenarius, Guntramus, Berngerus. Laici: Goteboldus burgrauius, Boppo filius suus, Ludewicus de Franchenstein, Goteboldus de Hennenberch, Boppo de Jrmenoldeshvsen, Giso de Hiltenburch, Hermannus comes de Bilhildehvsen, Rvbertus de Castel, Otto de Wiggershusen, Heroldus uicedominus, Billungus scultetus, Adelricus, Richalmus, Goteboldus Sinister, Heinricus Weiso, et frater suus Heroldus, Cadelhoch, Godefridus de foro, Conradus de Buzensheim, Volgnandus de Burcarderod, Otto de Windeheim, Cunradus de Hohenburch et alii quam plures.

Acta anno dominice incarnationis M^o. C^o. XI°. indictione III^a. Regnante Cvnrado, anno II°. regni sui, Goteboldo urbano comite existente.

Sigillum impressum et bene conservatum, concordat cum illo in diplomate sub Nr. LXXXIV.

LXXXVII.

Anno 1140.

Embricho episcopus homines proprios in Ossenfurt a Gerungo cum castro Wielandesheim ecclesiae suae delegatos ab omnis servilis angariae exactione liberos declarat.

C. Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Embricho dei gratia wirceburgensis episcopus. Ratio diuinitus credite dispensationis expostulat, omnibus nostre speculationis presidia ex debito sue conditionis amplectentibus nos pio studio respondere ac summa prouidentia, ne in posterum eos a sui iuris statu forte declinare contingat prouidere. Cuius rei contemplatione notum esse uolumus uniuersitati tam presentium quam subsequentium Christi fidelium, quod cum nobilis quidam Gerungus nomine, liberis ortus natalibus, pro remedio anime sue castrum suum videlicet Wielandesheim cum omnibus prediis adiacentibus, cum ministerialibus, cum mansionariis, cum pratis cum pascuis, cum uineis sancto Kiliano martyri sociisque suis delegaret, quosdam proprios homines suos utriusque sexus in Ossenfv̊rt scilicet Reimbote, Erkenger, Hertwic, Sigeburc, Geze, Jrmengart, Juta, Methilt, Mergart, Meza, Gernot, Cunco, Alber ad altare preciosi martyris huius racionis conditione contradidit quatinus, qui inter eos prouectioris etatis fuerit, uir siue mulier annuatim in festo predicti martyris ad officium custodie tres denarios uel precium eorum in cera, thure uel lino ad eius reliquias pro censu offerant et de cetero liberi existant ab omni coacticia seruitute nulliusque defensionem uel mundiburdium aliunde requirant nisi a legitimo ipsius altaris aduocato. Post obitum vero eius qui

inter eos prouectioris fuerit etatis vel uiri uel femine quicquid in uestibus preciosius reliquerit, in vtilitatem custodie debebit uendicari. Nos inquam pro debito equitatis iuste peticioni iamdicti Gerungi clementer annuentes traditionem ipsius in generali placito nostro ex consensu burchrauii aduocati Goteboldi et ex sententia beneficiatorum et ministerialium nostrorum ita confirmauimus, ut prefati homines et omnis eorum posteritas libera ab omnis seruilis angarie exactione permaneat nec umquam eos aduocatus uel aliquis inbeneficiare presumat. Sic igitur generali priuilegii cautione muniuimus ueterum simplicitatem que cum pura ueritate gradiebatur, ne in posterum aduersus eiusdem conditionis homines tam futuros quam presentes nequicia seu dolositas iuniorum in aliquo casu moliatur, et ut hec rata et inconuulsa permaneant, hanc cartam sigilli nostri inpressione fecimus consigniri. Si quis autem hoc scriptum in posterum aliquo mali ingenii dolo seu iniqua seu temeritatis presumptione infringere uel infirmare attemptauerit, iram dei omnipotentis et sanctorum martyrum Kyliani et sociorum eius se sciat incursurum.

Testes: Otto maior prepositus, Babo decanus, Sifridus prepositus noui monasterii, Gunterus prepositus sancti Johannis, Goxelinus scolasticus, Hartwicus cellerarius, Grimo portenarius, Guntramus, Berngerus. Laici: Gotebolдvs bvrchrauius, Boppe suus filius, Ludewicus de Frankinstein, Goteboldus de Henneberc, Boppo de Irmenoldeshusen, Giso de Hiltenburc. Hermannus comes de Bilhildehusen, Rupertus de Castele, Otto de Wikershusen, Heroldus uicedominus. Billungus scultetus, Adelricus, Richalmus, Cunradus de Bvzenseim, Otto de Windeheim, Cunradus de Hohenberc, et alii quam plures.

Acta anno dominice incarnationis. M$^{o.}$ C$^{o.}$ XL$^{o.}$ indictione III. Regnante Cunrado, anno II$^{o.}$ regni sui, Godeboldo urbano comite existente.

Sigillum impressum concordat cum illo in diplomate sub Nr. LXXXIV.

Exstat aliud adhuc diploma, ex archivo quondam onoldino, nomine Gebehardi episcopi per schisma electi editum ac de verbo ad verbum cum duobus praecedentibus consonum, indicans: „quod cum . . Gerungus . . castrum suum Wielandesheim . . S. Kyliani

martyri . . delegaret, quosdam ministeriales suos de Waltmanneshoven, scilicet Gundeloch, Kuterun, Jrmingart, ad altari preciosi martyris huius rationis conditione contradidit . . . "

LXXXVIII.

Anno 1140.

Embricho episcopus iura censualium custodiae ecclesiae suae attinentium declarat et corroborat.

C. Jn nomine sanctę et indiuiduae trinitatis. Embrico Dei wirceburgensis ecclesie episcopus. Ratio diuinitus nobis credite dispensationis expostulat omnibus nostrę speculationis presidia ex debito suę conditionis amplectentibus, nos pio studio respondere, ac summa prouidentia ne in posterum eos a suis iuris statu forte declinare contingat, prouidere. Cuius rei contemplatione notum esse uolumus uniuersitati tam presentium quam subsequentium Christi fidelium qualiter homines nostrę custodię censuales, se aliquatenus, in suo iure a predecessoribus nostris beatę memorię episcopis Alberone, Emehardo, Erlungo et ceteris quam pluribus in cartulis suis quibusdam non sigillatis ex negligentia antiquę simplicitatis conscripto, grauari uidentes, rationabili apud nos sua peticione obtinuerunt, suam sibi iusticiam inposterum ex nostrę auctoritatis decreto corroborari et inconuulsam perpetualiter conseruari. Quibus pro debito equitatis annuentes in generali placito nostro ex consensu burgrauii aduocati nomine Goteboldi et ex sententia beneficiatorum et ministerialium nostrorum satisfecimus presignata eis et legitime confirmata suę conditionis iustitia, ut uidelicet inter eos masculus suę ętatis solito censu annuali aduocato prefato burgrauio cum duobus denariis mensuram auenę quam tribus adiectis modius capit, persoluat et sic liber ab omni seruilis angarię exactione permaneat nec umquam eos aduocatus uel aliquis inbeneficiare presumat, quod si fecerit infra XV. dies uocatus resipiscat et factum in irritum reducat, aut episcopo X. talenta componat. Secundo uocatus eandem legem subeat. Tercio si nondum resipuerit, excommunicetur tam inbeneficiator quam inbeneficiatus. Sic igitur generali nostri

priuilegii cautione muniuimus ueterum simplicitatem, que cum pura ueritate gradiebeatur, ne in posterum aduersus eiusdem conditionis homines tam futuros quam presentes tam priuilegia specialia habentes, quam eis carentes nequitia seu dolositas iuniorum in aliquo casu uideatur. Hec ergo ut rata et inconuulsa permaneant, presentis scripti pagina confirmauimus, eisque auctoritatem impressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur ea in posterum aliqo mali ingenii dolo seu iniqua sue temeritatis presumptione infringere uel infirmare attemptaverit, anathema sit maranatha. Testes: Otto maior prepositus, Babo decanus, Sifridus prepositus noui monasterii, Guntherus prepositus sancti Johannis, Gozelinus scolasticus, Hartwicus cellerarius, Grimo portenarius, Gunderamus, Berngerus. Laici: Goteboldus burgravius, Boppo filius suus, Ludewicus de Franchenstein, Goteboldus de Hennenberg, Boppo de Jrmenoldeshusen, Giso de Hiltenburg, Hermannus comes de Bilhildehusen, Rubertus de Castel, Otto de Wiggershusen, Heroldus uicedominus, Billungus scultetus, Adelricus, Richalmus, Goteboldus Sinister, Heinricus Weiso et frater suus Heroldus, Cadelhoh, Gotefridus de foro, Cůnradus de Bůzensheim, Volgnandus de Burcarterod, Otto de Windehein, Cůnradus de Hohenburg et alii quam plures.

Acta anno dominicę incarnationis M. C°. XL°. indictione III^a.

Regnante Cůnrado anno II. regni sui, Goteboldo urbano comite existente.

Sigillum impressum, cuius pars superior valde laesa est, concordat cum illo sequentis diplomatis.

LXXXIX.

Anno 1140.

Embricho episcopus ecclesiae suae plerosque homines sibi proprios iure ministerialium donat.

Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Embricho dei gratia herbipolensis episcopus. Ecclesiarum prelati hoc officium gerere habent et sollicitudinem studiosam, vt ecclesias suas exaltent in quan-

tum decet, et ad honorem et laudem Jesu Christi studium impendant sollicite ac frequenter. Nos igitur ex nostre dignitatis officio nostram ecclesiam, cui preesse tenemur et prodesse in omnibus exaltari ac promoueri cupientes, ad honorem et laudem beatorum martirum Kyliani et sociorum eius ac in remedium et salutem nostre anime contulimus eidem homines nostre proprietati attinentes videlicet Erbonem de Espenvelt, Jmekindam de Heitingesvelt, Richolfum de Spiezesheim, Diemůdam et Ottonem de Espenvelt, Giselam, Adelheidim, Heroldum, Hiltegvndim, Jrmengardim, Heinricum de Spiezesheim, quos homines cum omnibus posteris suis successiuis nos manu mittentes ecclesie nostre esse uolumus et statuimus ministeriales ab omni seruiciorum angeria liberos et inmunes. Qvicumque autem huic nostre donationi uel predictorum hominum priuilegio presumpserit ausu temerario contraire uel ipsos aliquo modo molestare, indignationem beatorum martyrum Kyliani et sociorum eius et nostri banni comminationem se nouerit incursurum. Et quod dubium super nostra donatione seu predictorum hominum conditione in posterum non oriatur, presentis eam scripti testimonio confirmamus nostro sigillo roborati. Testes: Burchardus maior prepositus, Babo decanus, Sifridus prepositus in Hŏge, Gvntherus prepositus noui monasterii. Laici: Goteboldus burgrauius, Giso de Hiltenburc, Rupertus de Kastele, Heroldus vicedominus et alii quam plures. Actum anno dominice incarnationis M°. C°. XL. Regnante Cunrado, anno secundo regni sui.

Sigillum paene illaesum filis sericis caerulei, flavi et rubri coloris adpendet, inscriptionem habens: „† EMBRICHO. DI. GRA. WIRZIBVRGENSIS EPS.“

XC.

Anno 1140.

Capitulum maioris ecclesiae in Wirceburc ad restaurandum hospitale S^ti. Egidii et S^ti. Theoderici nova statuta ordinat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otto prepositus et totus maioris ecclesie in Wirceburc conuentus vniuersis Christi

fidelibus salutem in domino. Eterni premii subsidiis proficimus apud deum, et eterne dingnitatis titulos crescere credimus apud homines et augeri, dum illorum profectibus ampliandis nostra beneficia non negamus, qui infirmorum et peregrinorum indigencie sincera ministrant ac subueniunt caritate. Notum siquidem facimus uniuersitati fidelium, qui hanc cartam inspexerint, quod cum magister Burchardus ecclesie nostre vicarius et sui confratres sacerdotes, quibus hospitale sancti Egidii et sancti Theodrici contuleramus, dictum hospitale in presencia conuentus nostri resingnirent, eo quod ipsi in procuracione multos sine fructu sustinerent labores, et racione illius procuracionis in diuersis negociis nociuum et cottidianum sentirent defectum, nos pie considerantes, quod iuste mouerentur et quod hospitale propter hoc defectum et iacturam posset ac deberet sustinere, rogauimus ut domum habitam a nobis reciperent sub hac forma, ut nos ut nos [!] de nostro capitulo arbitros tres uidelicet honorabiles viros prepositum Theodricum de Hauge, prepositum Gotefridum de Culenberc, et ipsi de fraternitate sua tres arbitros videlicet magistrum Burchardum et Ottonem de Meiningin et Symonem constituerent, et quidquid per istos ordinaretur, ex utraque parte ratum et inconuulsum haberemus. In hanc itaque formam arbitri conuenerunt, quod sacerdotes de omni genere elemonsinarum, que ad hospitale conferuntur, a quacunque persona uel quocunque modo domui accederent, mobilia siue inmobilia, que ad quinque solidos estimari possent uel ultra quinque solidos dabitur, pauperes precise debent recipere. Ecouerso sacerdotes de omni elemosina, que confraternitati eorum confertur, pauperibus in hospitali dimidietatem debent distribuere exceptis triginta denariis, quos ipsi pro memoria defunctorum agenda solent recipere, sicut predictum est et expressum, ita quod pro celebrandis anniuersariis a fidelibus defunctis, quidquid pro remedio eorum statuendum duxerint et legandum pauperes et infirmi eiusdem hospitalis, ut statuimus, participes fieri debent vel quidquid propter deum predicto hospitali confertur et porrigitur, fieri debent et consortes. Nos igitur conuentus memoratus presenti scripto publice recognoscimus et protestamur, quod habito prouido consilio inter nos et prudenti, domum et predictum hospitale

sancti Theoderici herbipolense honorabilibus Ottoni preposito memorato et decano Perseo fideliter ac diligenter duximus committendum ut predictum hospitale et domum in ipsorum pia procuracione diligencius teneant et tutela, ita quod predicte domui in nullo detrahere debeant nec in aliquo contra iusticiam permittant molestari. Ita eciam quod in nullo prepositus et decanus memorati contra predictam domum vel eorum successores procedere debent nisi iusta causa et eorum merito, quod absit, exigente. Item nos Otto prepositus et Perseus decanus statuimus ex mandato conuentus nobis dato et iniuncto, quod prebende canonicorum, qui debitis horis canonicis non interfuerint et neglexerint ad hospitale predictum transferri debent, ut est statutum. Si qui autem canonicorum viam uniuerse carnis iubente domino, [1]) eorum lectisternia et elemosinas, si quas pro remedio anime eorum, dum ingressi fuerint, duxerint dandas et legandas ad hospitale predictum debent presentari, sicut a conuentu et a nobis sanius tractatum est, diligentius et ordinatum. Idem vero statutum et huiusmodi ordinatio a nostris successoribus in perpetuum rata et inuiolabiter teneatur et obseruetur hoc adiecto, quod necessitate instante si familia nostrorum concanonicorum aliqua infirmitate vel incommodo oppressa fuerit vel turbata, ad predictum hospitale, dum eis placuerit, deportentur et quidquid eis commodi vel quietis impertiri potuerimus bonam et plenariam exibebimus uoluntatem et eam, si ad nos peruenerint, pie studebimus pertractare. Similiter domini in Hovge et domini Nouimonasterii facient omnia prelibata. Et eciam ipsorum familia, si necesse fuerit, commodum inveniet prenotatum. Item Otto prepositus et Perseus decanus curiam, aream, pratum et piscinam in fluuio, qui dicitur Werna, de consensu ecclesie maioris libere dederunt ad hospitale sancti Theoderici herbipolense, que bona sita sunt in Stetin, de quibus nulla decima datur, nec precaria, nec aliquod ius advocacie; in piscina vero nullus debet piscare nisi de voluntate hospitalis sancti Theoderici herbipolensis supradicti, set perpetuo pacifica possessione gaudere debent et quieta. Si quis autem hec statuta predicta infregerit ausu temerario vel in-

[1]) Deest verbum.

fringere presumpserit vel aliquam violenciam contra iustitiam intulerit sicut a conuentu et a nobis vnanimiter et deuocius est statutum indingnacionem et offensam dei omnipotentis nec non beatorum Kylyani et sociorum eius se senciat grauius incurrisse. Hanc igitur ordinacionem, ut rata inperpetuum permaneat, sigilli nostri munimine diligencius roboramus.

Acta sunt hec anno dominice incarnacionis M°. C°. XL. venerabili in Christo patre Emerichone episcopo extunc rengnante.

Sigillum capituli ecclesiae cathedralis wirciburgensis appendet ex filis sericis, sanctum Chilianum repraesentans, sendentem in solio episcopali, dextraque pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem, cum inscriptione: SANCTVS CHILIANVS.

XCI.

Anno 1141.

Embricho wirzeburgensis episcopus ius censualium hominum in Horlohen confirmat.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Embricho wirzeburgensis episcopus memorie omnium tam futurorum quam presentium Christi fidelium insinuare curaui, quod quidam homines nostri Ekkehardus scilicet et Gerhardus cum sorore sua Adelheida et cum filiis et filiabus martertere sue, simul cum ipsis ad altare beati Kyliani martiris in Horlohen pertinentibus, in presentiam nostram uenerunt, et qualiter de libera manu predecessorum suorum diuina amminitione seruicio predicti martiris mancipati fuerint in uetustissimo cyrographo suo nobis exposuerunt, hac uidelicet conditione, ut singuli singulis annis duos denarios eorumue pretium in cera uel in lino ad predictum altare soluerent et sic reliquum temporis ab omni debito absoluti, nullius obpressione grauari pertimescerent; si uero alicuius uel aliquorum tyrrannide infestarentur in Wirzeburg concilio debita inde uindicta summeretur, et post obitum alicuius eorum si uir esset optimum de pecoribus, si mulier optima uestium sacerdoti predicti

altaris offerretur. Verum nos, quorum officii est, clamores pauperum Christi exaudire, et eis in necessitatibus eorum pro facultate nostra succurrere, quia contra prescriptam iustitiam eorum illicitis eos exaccionibus iniustorum aduocatorum grauari persensimus, cum communicato consilio ecclesie nostre manuscripta eorum renouari fecimus, in quibus antiquam iustitiam eorum auctoritate dei et nostra in hunc modum confirmauimus, ut prenotatam censum eorum nemo nisi predicti altaris prespiter accipiat, et neminem nisi ipsius altaris aduocatum habeant, a nullo etiam iusticia eorum in beneficio dari possit. Nos igitur eis conpatientes ad maiorem confirmationem iuris eorum hanc cartam conscribi ferimus et sigilli nostri inpressione signatam ita banni nostri sententia obligauimus, ut siquis hanc renouacionem infringere uel irritare presumat eterne dampnationi subiaceat.

Huius rei testes sunt hii clerici: Otto prepositus, Gebehardus decanus, Sigefridus prepositus, Guntherus prepositus, Sigefridus, Folcnandus cappellani, Dietmarus cappellanus; hii laicii: Heroldus uicedominus, Billungus scultetus, Dudo scultetus, Richalmus, Heinricus cum ceteris quam pluribus.

Facta sunt autem hec anno dominice incarnacionis M° C° XLI°, indictione IIII^a^, regnante gloriosissimo rege Romanorum Cunrado IIII°, Gotheboldo existente urbano comite.

Ex libro copiali Bebenburg.

XCII.

Anno 1144.

Embricho wirzeburgensis episcopus hospitali ab Ottone maiori preposito in Wirzeburg constructo plura praedia tradit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Embricho dei gratia wirzeburgensis ecclesie episcopus. Si de rebus terrenis et transitoriis, que ad nos spectant, fidelibus nostris oportunitatem ampliandi elemosinas suas prebuerimus, eterne remunerationis partem

cum deuotione illorum nobis pariter contrahimus. Quapropter notum sit omnibus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus, quod dilectus noster Otto maior prepositus in Wirzeburg, diuina inspiratione admonitus pro remedio anime sue hospitale infra ambitum ciuitatis Wirzeburg, in area ante palatium nostrum, quam deo et prefato preposito tradimus, construxit. Ad cuius etiam supplementum nos decem mansos de nouali, quod est iuxta uillam Hespeneuelt, et unum in ipsa uilla cum molendino in Hochfluor libere et sine omni contradictione contradimus. Inuadiamus etiam ad predictum hospitale alterum molendinum pro decem marcis a nobis uel a successore nostro redimendum in predicta uilla ea uidelicet conditione et pacto, ut fidelis noster prepositus Otto accepeto auro, quod ad reparandam crucem nostram in maiori ecclesia collectum est, hoc quod adhuc deest, de proprio sumptu suppleat et crucem aliquando pro necessitate ecclesie et nostra diminutam quatuor talentis auri reparet. Statuimus autem et sub banno confirmamus, ut cura eiusdem hospitalis ad nullum omnino nisi ad decanum et generalem conuentum sancti Kyliani pertineat, ita ei conmuni consilio prouidentes, ut a facie dei non pereant. Huius rei testes sunt: Guntherus camerarius, Sigefridus prepositus, Gebehardus prepositus, Gundramus, Hartwicus cellerarius, Conradus sacerdos, Burcardus cantor, Burkardus arch., Richolfus, Gebehardus, Heinricus, Eberhardus, Heroldus, Berngerus, Hainricus magister scolarum. Laici testes: Boppo comes et frater eius Bertoldus, Heroldus uicedominus, Heroldus camerarius, Billungus, Dutho, Hainricus, Rutwicus, Heroldus et frater eius, Heinricus, Heitfolc, Gotefridus et filii eius Engelbertus et Goteboldus. Facta est autem hec traditio anno dominice incarnationis M°. C°. XLIIII°., indictione VII, regnante gloriosissimo rege Cůnrado VII°., aduocato Boppone.

Ex libro copiali Bebenburg, qui mendose habet „indictione II, regnante... Cůnrado II°.“

XCIII.

Anno 1148.

Sigefridus wirzeburgensis ecclesiae minister hospitale ab Ottone maioris ecclesiae preposito constructum et dotatum confirmat.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Sygefridus dei gratia sancte wirzeburgensis ecclesie minister humilis. Omnibus eiusdem ecclesie filiis et vniuersis fidelibus eterne beatitudinis gaudia consequi in celestibus. Quia superna dispositione familie Christi dispensatio nobis licet minus ydoneis credita est, iustum, ymo necessarium uidetur, ut et ipsi pro posse nostro eiusdem familie utilitati prouideamus et aliis ad hoc item pie uoluntatis affectum habentibus quando facultas suppetit, oportuna subsidia prebeamus. Proinde notum esse uolumus tam presentibus quam futuri eui Christi fidelibus, qualiter dilectus noster Otto maioris ecclesie prepositus diuina inspiratione ammonitus cum assensu predecessoris nostri beate memorie Embriconis episcopi infra ciuitatis nostre ambitum in area ante palatium nostrum pro remedio anime sue receptioni pauperum Christi hospitale proprio sumptu construxit, ad cuius tam felicis propositi inceptum idem venerabilis predecessor noster, ob sui memoriam deuote largitatis prebere cupiens supplementum X. mansos de nouali iuxta uillam Espenuelt cum suis decimis et vnum mansum in eadem villa et molendinum in Hochfluor libere et sine omni contradictione contradidit. Alterum uero molendinum in eadem villa pro X. marcis a se uel a successoribus suis redimendum inuadiauit. Ipse uero prepositus Otto ad stipendia Christi pauperum peregrinorum siue hospitum quasdam sue proprietatis possessiones ad hospitale, quod edificauit, firma et legitima donatione delegauit, uidelicet in predicta villa Espenuelt XXV. mansos et vnum molendinum et in nouali, quod est iuxta eandem villam, VI. mansos, quorum tres a quadam consanguinea sua Geppa pro VII. marcis comparauit cum decimis, que ad eosdem mansos pertinent; in Taleheim XIIII[cim.] mansos cum decimis totius uille; in Suaneuelt mansum vnum cum decimis totius ville eiusdem; in Stetin VI. mansos et curtim

vnam et pratum vnum; in Haholdesheim IIIa iugera vinearum et vnam curtim et molendinum et pratum a quodam Berngero et fratre eius Gebehardo pretio acquisuit et ad hospitale ea conditione delegari fecit, ut singulis annis dum idem Berngerus vixerit dimidium inde talentum uel porcum vnum, qui tantum pretii ualeat, persoluat; quorum censum si annuatim soluere renuerit, eadem bona in potestatem et utilitatem hospitalis libere cedant, post obitum uero eiusdem Berngeri eedem possessionis in usum et ius hospitalis pertineant; in Otolfesloch XI. iugera uinearum; in Hoenbuch XI. iugera; in Bleseberg IIIa. iugera; in Thaleheim XII. iugera. Que omnia, sicut a predicto antecessore nostro ordinata et disposita sunt siue in hiis, que uel ipse eidem hospitali concessit, uel que prepositus ex suis propriis possessionibus illuc contradidit, uel que deinceps largitione principum concessione pontificum oblatione fidelium seu aliis iustis modis domino prestante ibidem collata fuerint, firma in perpetuum et illibata absque omni penitus cuiusquam aduocati dominio uel exactione in usus pauperum permaneant auctoritate officii nostri sub anathematis uinculo confirmamus. Si quis autem, quod absit hanc institutionem cassare presumpserit in dominum pro certo se peccare nouerit et si non resipuerit in vltimo examine cum iniquis dampnatus eterno supplicio subiacebit. Huius institutionis testes subnotati sunt hic: Eberhardus prepositus; decani: Burgkardus, Wortwinus; canonici: Conradus, Heinricus, Burckardus, Gebehardus, Richolfus, Berngerus, Eberhardus, Sygfridus, Sygeloch, Herold, Heinrich, Emicho, Heinrich, Warmundus, Ernost, Fridehalm, Hartmût, Adalbertus, Engelhardus. De laicis: Herold vicedominus, Billung, Herold, Dutho, Gotebolt, Engelbrecht, Gotefrid, Gotebolt, Kadeloch, Heinrich, Herolt, Heinrich, Rutwic, Adelhun. Super hiis igitur presentem cartam conscribi fecimus, quam sigillo nostro signatam ad posterorum notitiam transmittimus. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini Mo. Co. XLVIIIo., indictione XI., regnante glorioso Romanorum rege Conrado, anno regni eius Xo., Boppone Comite.

Ex libro copiali Bebenburg.

XCIV.

Anno 1148.

Sigefridus episcopus testimonio suo roborat, Adelheidim de Rihtilbach sese cum liberis suis in censualem ecclesiae wirciburgensis contradidisse.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Sigefridus wirceburgensis ecclesie humilis minister. Quia diuina fauente clementia inter ęcclesię pastores etsi indigni locum sortimur et officium, in exsequendis bonorum hominum iustis ac deo placitis petitionibus facilem et promptum prebere debemus nostri consensus effectum. Qua propter notum esse uolumus uniuersitati fidelium qualiter quędam liberę conditionis matrona Adelheid nomine de Rihtilbach liberos suos Berengerum videlicet et Richeidem cum quinque filiis eius Berengero, Adelhoho et Egisberto, Adelberone et Cunrado, et tribus filiabus Adelheida, Adelburga et Richeida super reliquias preciosi martyris Christi Kyliani legitime contradidit, se ipsa personaliter adiecta; secundum genus seculi eligens potius in familia domus dei computari, quam inter filios hominum uana quadam libertate gloriari. Hanc tamen conditionis formam sue traditioni prefata matrona interposuit, ut tam ipsa quam heredes prescripti omnisque eorum posteritas, annuatim in festo eiusdem gloriosi patris ac patroni nostri, tres denarios aut eorum pensionem ad altare principale persoluant, et ita sub emunitate censualium ecclesie wirceburgensis liberi ab omni omnium mortalium violenta oppressione, deinceps, ubicumque terrarum habitare decreuerint, consistant. Verum quia nutu dei in ipso die festo sepe nominandi martyris missarum sollemnia celebraturi, huic donationi corporaliter interfuimus, exorati tam ab ipsa quam diximus femina, quam a nobili clero et honorabili laicorum instantia, deuotioni deo deuotę mulieris supremam manum auctoritatis nostrę imposuimus, presentis paginę testimonio quod factum est roborantes et ne ulla ęcclesiastica sęcularisve persona prefatos homines aut posteros eorum iuri suo uendicare, a beato Kyliano alienare uel ab ipsis prępter id quod constitutum est eis vio-

lenter exigere presumat ullomodo sub pęna excommunicationis perenniter inhibentes. Testes. Gebehardus prepositus, Burkardus decanus, Gebehardus et omnis conuentus. Rabboto, Gotebolt, Berhtolt, et Bobbo comites; Marquart de Grumbach, Gotefrid et Heinrich de Ludin. Ministeriales: Edelrich et Billung fratres Goswin, Engilbreh, Gotebolt et Gotefrid fratres, Erchenbolt, Wolfmar, Cunrad et Ruegerus de Hohinburc, Gnanno, Enzilo, et alii plures.

Acta sunt hec anno domini millesimo centesimo XL°. VIII, indictione XI, regnante glorioso rege Romanorum Cunrado, pręfecto Bobbone.

Sigillum Sigefridi episcopi wirciburgensis impressum adest, episcopum vestibus pontificalibus indutum, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem repraesentans, cum inscriptione: † SIGEFRIDVS ..... BVRGENSIS EPISCOPVS.

XCV.

Anno 1149 [mense Julio] Wirceburch.

Sigifridus wirzeburgensis episcopus assentit concambio inter maius monasterium S. Kiliani wirciburgense et abbatem primum ebracensem Adam inito.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis ejusdemque inseparabilis unitatis. Sigifridus dei gratia wirzeburgensis episcopus. Decet nos honorem, quem gerimus nomine, moribus exercere, colere et amare iusticiam, qui suscepimus locum ad equitatem preferendam, ne fiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile noscitur institutum, sed per uirtutum exemplum luceat gratia dignitatum. Ideoque libenter omnimodis operam damus prebere assensum quoties est uox iusta poscentium, nec a nobis difficile prodibit beneficium, quod non patitur largitate detrimentum. Ea propter ex omnipotensis dei potestate et officii nostri auctoritate decernimus, ut ratum permaneat et inconcussum concambium, quod domini nostri confratres de maiori monasterio sancti et preciosi martyris Kiliani fecerunt cum filiis et

fratribus nostris eberacensibus in nostri presentia ope nostra et consensu de bonis suis utilius et commodius sibi dispositis. Venerabilis itaque frater noster Adam abbas primus in Ebera cum fratribus suis contulit et contradidit allodia quedam quorum hęc sunt nomina: Zubelrod, in Habretheshusen superiori tredecim mansos, in Habrethteshusen inferiori quatuordecim mansos, in Hoveheim undecim mansos, in Weterunge undecim mansos, in Hochusen et Wegencheim et in Chennenkeim XX$^{u.}$ mansos, et tria molendina cum uineis eisdem locis sitis et nemoribus per manum domini gloriosi Henrici iunioris regis et Friderici fratris eius, nec non Marquardi de Grunbach ad altare preciosi martyris Kyliani in maiori monasterio in perpetuos usus fratrum ibidem deo servientium mediante domino gloriosissimo principe pio Cvnrado rege, patre prefati Henrici iunioris regis, cuius largitione prefata allodia legitimis et iustis modis adepti sunt, absque omni contradictione possidenda, hac cautione interiecta, ut si qua ecclesiastica secularisue persona iusta ac rationabili causa prelibata bona retraxerit et abstulerit, ac subtraxerit usibus predictorum fratrum confratres illi de Ebera aliis bonis et congruentibus iacturam illatam reconpensent. Sed ut equitatis libra seruaretur utrimque reducta domni ac fratres nostri supra dicti de domo pro allodiis sibi et ecclesię suę contraditis curiam suam Sulzheim et Trutbach eberacensi cenobio in usus fratrum ibidem regularem uitam professorum libere et absolute sine alicuius contradictione in perpetuum possidendam tradiderunt. Huic per manus predictorum principum facte traditioni. Boppo comes aduocatus altaris maioris ęcclesię intererat, et aduocatiam omniaque aduocatię iura, quę de prefatis bonis sibi et suis heredibus persoluenda deinceps fuerant, in usus presignatorum fratrum resignauit. Sanctientes itaque nos hanc traditionem statuimus, ne aliqua magna uel parua persona aduocatiam illam uel iura aduocatię ipsi sibi usurpare presumat, nisi quem communis fratrum uoluntas aliqua forte necessitate interueniente sibi aduocatum asscíuerit et super hęc bona constituerit. Statuimus quoque ut nulli episcoporum successorum nostrorum liceat ipsam aduocatiam, uel iura ipsius aduocatię aduocato supradictę aecclesię seu cuiquam

personę in beneficiare sine fratrum consensu uotiua concordia et unanimi peticione. Traditiones autem siue commutationes istę factę sunt et compositę caute et integre in areis et agris, siluis, pratis et pascuis, uiis et inuiis, in dimensionibus iustę particionis, ut commoditatem et utilitatem utriusque ęcclesię par equitatis libra in legitima iusticia conponeret et leges ciuilitatis in terminis et limitibus utrorumque bonorum cum dispensatione conuenirent. Si qua igitur infuturum ecclesiastia secularisue persona hanc nostrę constitutionis paginam sciens contra eam temere temptauerit uenire, secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, se diuino iudicio ream existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine domini et dei redemptoris nostri aliena fiat atque in extrema animaduersione districtę ultioni subiaceat. Cunctis autem constitutionibus his iusta seruantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi quatinus et hic fructum bonę actionis percipiant et apud districtum iudicem gratiam inueniant. Amen. Huius rei testes sunt Adelbertus marchio de Saxonia, Boppo prefectus urbis et frater eius Berectoldus, Sizo comes de Turingia, Rupertus de Castello et fratres eius Hermannus et Adelbertus, comes Ernest de Turingia, Fridericus de Truhendigen et Adelbertus frater eius, Manegolt de Tuncdorf, Cunrat de Tungede, Wolfram de Bebenburch, Wolfram de Wertheim et alii multi liberę conditionis uiri. Ministeriales hii sunt: Ricwin, Jring, Billunc, Ebo, Hartmůth, Richolf et alii multi. Hanc autem cartam sigilli nostri titulis signari decernimus, ut eam in posterum munere incorrupto transmittamus. Data Wirceburch, anno domini M^{o}. C^{o}. XL°. VIIII°., indictione XII^{a}., regnante Cunrado Romanorum rege secundo, anno regni eius duodecimo.

Sigilli impressi pars superior tantum adest.

Pluries editum est hoc documentum, e. g.: in Lünig. Spic. eccl. II. Th. p.. 941, ac in libro, cui titulus: Frage ob der Abtei Ebrach etc. 1786 fol. p. 248 Nro. V.

XCVI.

Anno 1149. [mense Julio.] Wirceburg.

Cunradus III., rex concambium bonorum, nominibus expressorum inter maius monasterium sancti Kiliani wirceburgense et monasterium eberacense initum confirmat, curiasque monasterio Ebera concambio traditas a iure advocati wirceburgensis eximit.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX. P. I pag. 299 Nro. CCCCLXXX.

XCVII.

Anno 1152. 20. Febr., in ripa Mogi.

Gebehardus episcopus pro praedio Dobene ecclesiae langheimensi concambii more delegat decimas villularum quarundam nominibus suis expressarum.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis eiusdemque inseparabilis unitatis. Ego Gebehardus, dei gratia wirzeburgensis uocatus episcopus. Decet nos, qui pontificalis officii dignitatem nomine gerimus, moribus hanc implere, ornare uitam, diligere iusticiam, actibus inuigilare pietatis, affectum nulli denegare nostrę humanitatis, cunctis in commune prospicere, sed illis attentius, quos diuinis studiis et regularibus disciplinis purius atque deuotius nouerimus inseruire, ut eo supernę gratie copiosius nobis fauorem conciliemus, quo eorum piis peticionibus libenti animo assensum prebere non tardauerimus. Ea propter notum esse cupimus omnibus tam presentibus quam post futuris Christi fidelibus, qualiter ego Gebehardvs per dei gratiam wirzeburgensis episcopus rogatu domini Adam reuerendi abbatis primi in Langheim quarundam villularum decimas a Bertholdo comite de Blassenberc redemerim et langheimensi ęcclesię legitime commutationis ivre possidendas contulerim. Cum

igitur predictus abbas de Langheim villulas quasdam sui ivris, quę propriis subscribuntur uocabulis Jvdendorph, Kimelendorph, Brecensdorph, Widendorph, Suinesberg in proprie possessionis usus excoleret et prenominatus Bertholdus comes de Blassenberg earumdem a nobis decimis beneficiatus esset, habita cum eodem prius comite conuentione, perpensis etiam utrimque iuste commodidatis usibus, predium quoddam Dobene dictum, quod reuerendus babenbergensis episcopus Eberhardvs langheimensi contulerat ęcclesię, nobis offerre et prescriptas redimere a nobis decimas decreuerit. Nobis itaque congregatis in unum sepe dictus abbas de Langheim, presente ac concordi assensu pariter suffragante uenerabili fratre nostro Eberhardo babenbergensi episcopo, prenominatum predium Dobene per manum Friderici, tunc strenui ducis postea gloriosi Romanorum regis, nobis contradidit, quod nos in ivs proprie susceptum ęcclesię, predicto Bertholdo de Blassenberg mox in beneficium dedimus et decimas de antedictis villulis ab eo receptas ęcclesię de Langheim sollempni concambii more inposterum possidendas perpetuo ivre per manum Poponis comitis, fratris nostri de Hennenberg delegauimus, ut nulla deinceps persona de ipsis decimis persoluendis aliquid ab abbate exigat, sed in fratrum usus de Langheim perpetualiter cedant. Hoc ordine ergo et hoc modo firmatis atque compositis unanimiter per concambii pactionem partium finibus, nos paci et quieti utrimque cupientes in posterum prospectum iri, ut omnia ita rata et inconuulsa, ut sunt acta, a nobis permaneant, hanc super his cartam scribi fecimus, quam sigilli nostri impressione insignitam subscriptorum testimonio ex dei omnipotentis et officii nostri auctoritate sub anathemate confirmamus, ut quicumque aliquid ex his infregerit, sit anathema maranatha.

Testes autem huic rei interfuerunt: Burchardus decanus, Burchardus prepositus, Sigefridus prepositus, Heroldus prepositus, Conradus prepositus, Henricus cellerarius, Richofus, Sigelous.

Liberi: Fride[ri]cus dux postmodum rex, Bertholdus comes de Anedessen, Popo comes de Hennenberg, Wolframus comes de Wertheim, Hermannus comes de Wohteswach, Marcwardus de Grunbag, Adelbertus de Truntingin. Ministeriales: Jring de Zuueisten, Richol

de Sudra, Herolt de Wirzeburg, Hartmuth de Vreheim, Billung de Memestorph et frater eius Gundelog, Herman de Esscha et alii multi.

Acta sunt autem hec anno dominice incarnationis M. C. LII. Indictione XV., quinta die post obitum domini Conradi gloriosi Romano[rum] regis, in ripa Mogi fluminis inter colloquium, quod dux Fridericus cum wirzeburgensi et babenbergensi episcopis celebrauit, qui dehinc XIIII die diuina ordinatione ac cunctorum principum electione in regem eleuatus ad celsa imperii fastigia potenter conscendit patruo succedens.

Sigilli fracti pars superior ammissa est; reliqua repraesentat episcopum in cathedra episcopali sedentem, pontificali habitu indutum, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem; tenor inscriptionis residuae est: „... ARDVS. DI. GRA. WIRZIBVRGENSIS...“

XCVIII.

Anno 1154. 5. Januar. Erbipoli.

Gebehardus episcopus recipit ab ecclesia langheimensi mansum in Grefistorf pro decimis in Burchartstorf.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis eiusdemque inseparabilis unitatis. Gebehardvs wirzeburgensis episcopvs. Decet sollicitudinis nostrę uigilantiam sollertem esse et prouidam, ęcclesię diuinitus nobis commissę sagaci prospicere animo, ne bona ante nostra habita tempora ac prossessa aliqua uiolenta impulsione iniuste amittat, et quę sub nostra cura acquisita fuerint atque contradita, legittima pactione in posterum confirmata permaneant. Ea propter notum esse cupimus tam presentibus quam postfuturis in Christo fidelibus, qualiter ego Gebehardus per dei gratiam wirzeburgensis episcopus concambium fecerim cum domino Adam abbate

de Langhem in commutatione quarundam decimarum in Burchartstorf, quod erat desertum, quibus in beneficiatus a nobis fuerat Hugo de Sezzela. Jgitur prenominatus abbas, cum predictum desertum Burchartstorf legittime acquisitum in proprios comparasset usus, et decimę ipsius deserti nostrę essent ęcclesię ivris easque memoratus Hvgo a nobis haberet in beneficio, rogati ab eodem abbate Adam de Langheim receptisque ab ipso Hvgone prefatis decimis ęcclesię de Langhem firma contulimus pactione, mansum vero in uilla Grefistorf situm ab abbate per manum Rvmoldi de Brethenbag pro ipsis decimis recipientes et in manus Manegoldi de Tunctorf ad conseruandum ęcclesię nostre resignantes, eidem Hvgoni pro sepe dictis decimis in beneficium dedimus iustęque sanctionis moderamine omnia rite composuimus. Vt autem hęc ita, ut facta sunt, a nobis rata et inconuulsa per omnia consistant, hanc ipsis ac nobis confirmationis cartam fieri iussimus, quam sub anathematis uinculo consignantes, sigilli nostri impressione munimus, ne aliqua hęc persona temere infringat aut euacuare insolenter presumat. Hvius rei sunt testes. Clerici: Burchardus decanus, Richolfus archidia[co]nus et frater eius Sigilous, Heroldus prepositus, Henricus cellerarius, Euerhardus archidiaconus, Renardus archidiaconus, Beringerus. Liberi: Popo de Hennenberg et Berthold frater eius, Rumolt de Brethenbag, Manegolt de Tuncdorf. Ministeriales: Billung uicedominus, et alter Billung discoforus, Engelbertus et frater eius Godeboldus, Henricus, Jring de Zauelsten, Dithericus locathero et alii multi.

Acta sunt hęc anno domini M. C. L. IIII., regnante glorioso Romanorum rege Friderico I°., anno secundo regni eius, Popone urbis prefecto. Data Erbipoli, nonis Januarii.

Sigillum Gebehardi impressum, in margine superiori aliqualiter violatum est.

XCIX.

Anno 1156.

Gebehardus wirzeburgensis episcopus jura, a Burgkardo preposito S. Kiliani colonis in suburbio Rulandeswarte iuxta Katzenwichus statuta confirmat.

In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Gebehardus dei gratia wirzeburgensis episcopus omnibus christiane professionis hominibus salutem et gaudia eterne retributionis consequi in celestibus. Quoniam ex diuina dispensatione ecclesie wirzeburgensi habemus preesse, idcirco nostrum est eius honori et utilitati modis omnibus nunc et in posterum prouidere. Omnibus itaque tam presentis, quam future etatis hominibus scriptis presentibus significamus, qualiter Burgkardus sancti Kyliani prepositus consilio et assensu fratrum suorum suburbium iuxta Katzenwichus, quod videlicet Růlandeswarte dicitur, per certas mansiones distinxit et singulas singulis colonis ad inhabitandum concessit sub hac condicione uidelicet, quod unusquisque colonus in uigilia beati Martini VI. denarios et duas gallinas persolueret; quicunque autem supradictorum colonorum supersederit hoc implere, statutum est, quod beneficio mansionis et omnibus ad eam pertinentibus careat donec preposito de domo iuxta placitum suum satisfactionem condignam exhibeat. Si autem censum supra nominatum idem coloni statuto tempore persoluerint, certum est, quod publica opera episcopi nec in proprijs personis nec per nuncios suos promouere debeant. Placita eciam, que ad ciuilem funccionem pertinent, non querant et ut breuiter dicamus, nullis exaccionibus uel peticionibus aduocatorum subiaceant. Preterea notum sit omnibus, quod duo molendinarij ad eadem bona pertinentes de duobus molendinis in vigilia beati Kyliani VIII. vncias quotannis persoluere debent, alter uidelicet quinque solidos, et alter quinque vncias. Quo facto idem molendinarij et eorum heredes per successionem molendina illa possidentes iusticie, quam supra colonis assignauimus, imperpetuum subiaceant. Vt igitur hec constitucio in omne euum stabilis et inconuulsa permaneat, eam testimonio presentis

carte confirmauimus, et ei auctoritatem sigilli nostri impressione dedimus. Ea propter, si quis hoc infringere uel infirmare temerarie presumpserit anathema sit. Huius rei testes sunt: Burchardus decanus, Conradus prespiter, Richolfus archidiaconus, Heinricus cellerarius, Eberhardus archidiaconus, Heroldus prepositus, Volcnandus custos, Regenhardus archidiaconus, Sigefridus prepositus, Bernolfus et ceteri canonici. Acta dominice incarnacionis anno M°. C°. L. VI°., indiccione V^{a}., regnante Romanorum rege Friderico, IIII°. anno regni eius. Boppone existente vrbano comite.

Ex libro copiali Bebenburg.

C.

Anno 1158.

Gebehardus wirzeburgensis episcopus parrochiam in Volkach collegio beati Kyliani de domo ad peragendum anniversarium suum confert.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Gebehardus dei gratia wirzeburgensium episcopus omnibus christiane professionis salutem hominibus et gaudia eterne retributionis consequi in celestibus. Sicut ex diuina uocatione ecclesie wirzeburgensi debemus preesse et prouidere ita nostrum est, quidquid ad honorem uel vtilitatem eius pertinere cognoscimus debita diligentia promouere. Omnibus itaque tam presentis quam future etatis hominibus scriptis presentibus significamus, quod parrochiam in Volkach cuidam Eberhardo ecclesie sancti Kyliani canonico ita concessimus, quod ipse singulis annis quoad uiueremus XXX$^{ta.}$ solidos in die ordinationis nostre ad honorem dei et ad memoriam consecrationis nostre de prefata parrochia collegio predicti martiris beati Kyliani uidelicet de domo persolueret. Si uero canonicus supranominatus nobis superuiueret, statuimus, quod similiter XXX$^{ta.}$ solidos in anniuersario nostro pre-

fato collegio ad oblationes pro remedio anime nostre et predecessorum nostrorum episcoporum uidelicet quotannis, dum superstes esset, daret. Postquam uero predictus Eberhardus uiam uniuerse carnis ingrederetur, beneficium et ius fundi et omnem gubernationem prefate parrochie collegio supranominato in perpetuum contulimus, ita uidelicet, quod semper decanus cum duobus fratribus suis superioribus et magis autenticis sacerdotem, qui dignus haberetur, in predicta parrochia poneret, qui singulis annis dum uiueremus in die consecrationis nostre duo talenta wirzeburgensis monete congregationi predicte persolueret, post obitum uero nostrum similiter duo talenta predictis fratribus, et panes VI. modiorum triticeorum in elemosinam pauperum in perpetuum quot annis in die anniuersarii, et hoc facto cetera omnia prefate parrochie pertinentia tam in decimis quam in dotalibus mansis et oblationibus libere sibi uendicaret. Statuimus etiam, quod si decanus uel ipsum collegium beati Kyliani, quod a nobis statutum est, aliter quam in presenti carta continetur, inmutarent, parrochia cum integro iure in potestatem episcopi rediret, ita quod ipse sacerdotem, cui eam concederet, oblationes supra designatas sicut superius dictum est, in perpetuum persoluere faceret. Vt igitur hoc beneficium intuitu diuine remunerationis sanctissimo collegio beatissimi Kyliani collatum in omne euum stabile et inconuulsum permaneret, quod factum est, priuilegio presentis scripti confirmauimus et ei auctoritatem inpressionis sigilli nostri dedimus. Si quis igitur, quod a nobis rationabiliter statutum est, in posterum infringere uel infirmare presumpserit, anathema sit. Huius rei testes sunt: Heroldus prepositus, Burghardus decanus, Richolfus, Regenhardus, Volknandus custos, Sygelous, Conradus prepositus, Sygefridus prepositus, Perseus, Bernolfus, Gotefridus. Laici: Rupertus de Castele et fratres sui Hermanus et Adelbertus, Manegoldus de Tuncdorf, Billungus vicedominus, Heinricus scultetus, Billungus scultetus, Engelbertus et fratres eius Goteboldus et Gotefridus. Acta dominice incarnationis anno M°. C°. LVIII., indictione VI., regnante Romanorum imperatore Friderico, Bertoldo existente vrbano comite.

Ex libro copiali Bebenburg.

CI.

Anno 1158.

Arnoldus maguntinus archiepiscopus predium in Hocheim et in Hedenstat, ad vetus monasterium sanctimonialiam in Maguntia pertinens, Heroldo wirzeburgensis ecclesiae maiori preposito vendit, et in recompensationem dicto monasterio tantum restituit de possesionibus suis in Britzenheim, unde singulis annis V librae exsolverentur.

C. Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Arnoldus diuina fauente clementia maguntine sedis archiepiscopus. Mundum in maligno esse positum, quia multis et uariis euentibus declaratur, adeo quod illud propheticum iam completum uideatur, erunt homines ingrati superbi et elati fidei uiolatores, sacramentorum contemptores, ęcclesiarum persecutores, christianę religionis profanatores, sollicitudo prelatorum cauta debet esse et circumspecta, quomodo imminentia mala propellat, futura precaueat et secundum necessitatem et utilitatem ęcclesiarum ex omni parte meliora prospiciat. Nouerit igitur et presens Christi fidelium etas et succedentium futura posteritas, qualiter nos pro quodam castro, Gelenhusen nuncupato, cum prediis et ministerialibus ad ipsum pertinentibus comparando, cum legittimo possessore illius pactum fecimus, hoc sollicite prouidentes, quod ęcclesia nostra contra tyrannos et persecutores honoris diuini in ea parte ualde esset munita et magnis utilitatibus plurimum adiuta. Cum autem pro soluenda pecunia magnis curis angeremur, eo quod seruicium domini imperatoris uidelicet expeditio ad domandam Mediolanensium rebellionem, tempore illo nobis incumberet, hinc inde animo nostro fluctuanti hoc ex ratione et canonum auctoritate solacium occurrit, quod pro quibusdam legittimis necessitatibus et pro meliorationis contractu bona ęcclesiarum licet uendere et commutare. Communicato itaque ęcclesię nostrę consilio quoddam predium situm in episcopatu wirzeburgensi, uidelicet in Hocheim et in Hedenstat, quod iure proprietatis ad uetus monasterium sanctimonialium in Maguntia pertinebat, coniuentia Hadewigis abbatissę tunc monasterio illi presidentis, et uniuerso sororum collegio consentiente,

cuidam H e r o l d o sanctę wirzeburgensis ęcclesię maiori preposito, pro C. marcis argenti uendidimus et per manus G e r l a i comitis de V e l d e n z e et A r n o l d i de H a g e n o w e racionabiliter tradidimus et delegauimus et his C. marcis cum reliqua pecunia prememoratum castrum cum prediis et ministerialibus comparauimus. Habundantius quoque eidem preposito opere pietatis adesse uolentes ab O t t o n e marchione m i s i n e n s i impetrauimus, quod aduocatiam, quam in predio illo habuit, nobis resignauit et ita libere a iure aduocatię eum expediuimus, quemadmodum ab eodem marchione libere eam in manus nostras recepimus. Jn recompensatione autem prememorati predii de possessionibus nostris in B r i t z e n h e i m a iure nostro emancipatis et per manum A r n o l d i de H a g e n o w e delegatis monasterio sanctimonialium tantum restituimus unde singulis annis ad commune stipendium sororum V. librę exsoluerentur cum ex priori predio uix IIII^or. libras quouis anno habere potuissent et insuper propter locorum distantiam et alterius ius territorii minus erat commodum et fructuosum. Hanc uenditionem, commutationem et donationem nostram ratam et inconuulsam in perpetuum manere uolentes huius priuilegii nostri auctoritate communiuimus et banno nostro confirmauimus. Si quis igitur hoc rationabile nostrę dispensationis factum cassare aut infringere attemptauerit, sciat se de anathematis uinculo innodatum et nisi resipuerit, ęterno supplicio deputatum.

Huius rei testes sunt: Hartmannus maior prepositus, Hertwicus sancti Petri prepositus, Arnoldus custos maioris ęcclesię, Gerlacus sancti Victoris prepositus, Sigelous prepositus et decanus de domo, magister Willelmus, Hugo cantor, Heczekinus beati Mauricii prepositus, Burchardus prepositus de Jegeburch, Cůnradus sancti Gingolfi prepositus. De capellanis: Růdingus, Gernotus, Dragebodo, Heinricus, Bertoldus, Winterus. De abbatibus: Baldemarus abbas sancti Albani, Gotefridus abbas sancti Jacobi. De baronibus: Cůnradus et frater eius, comites de Kereberch, Gerlacus comes de Veldenze, Heinricus comes de Didesso, Arnoldus de Hagenowe, Marcwardus de Bergestat. De ministerialibus: Helpricus uicedominus et Hermannus scultetus, Embricho et frater eius Meingotus, Arnoldus Rufus et Arnoldus Magnus, Godeboldus, Hartmudus marscalci.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. L°. VIII°., regnante gloriosissimo Frederico Romanorum imperatore augusto, huius nominis primo.

Sigillum Arnoldi impressum et bene conservatum, hunc mitratum in habitu pontificali representat, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem, cum inscriptione: † ARNOLD⁹ DI. GRA. MAGONTINE. SEDIS. ARCHI. EPC.

CII.

Anno 1158.

Arnoldus maguntinus archiepiscopus praedia quaedam in Hocheim et in Hedenstat, pertinentia monasterio sanctimonialium in Maguntia, Heroldo wirceburgensis ecclesiae maiori praeposito oppignorat, et monasterio pro iisdem prediis singulis annis VI libras in Altavilla et in Eberbach restituit.

C. Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Arnoldus diuina fauente clementia maguntinę sedis archiepiscopus. Cum urgente necessitate, sed etiam aliis causis emergentibus prelatos ęcclesiarum aliqua contingit facere, quę iusticię inueniuntur obuiare, dignum est, ut ipsi factum suum dissoluant iuxta canonicam hanc auctoritatem, quod contra leges presumitur, per leges dissolui meretur. Notum igitur uolumus uniuersis esse, tam futuri quam presentis eui Christi fidelibus, qualiter nos pro necessitate nostra predia quędam in Hocheim et in Hedenstan[!] sita in episcopatu wirceburgensi, pertinentia monasterio sanctimonialium im Maguntia, sine consilio ęcclesię nostrę absque manu aduocati, abbatissa cum sororum collegio contradicente, nec meliorationis contractum prouidentes, nec recompensationem ęcclesię sanctimonialium facientes, quibusdam fratribus de Cella uendere disposueramus. Ammonente

itaque et iudicante ęcclesia nostra, dispositionem et conuentionem, quam contra iusticiam presumpseramus, secundum iusticiam retractando dissoluimus. Postmodum uero superueniente nobis alia euidenti necessitate, uidelicet expeditione domini imperatoris ad domandam Mediolanensium rebellionem, consilio ęcclesię, Hadewige abbatissa cum uniuersis sororibus consentiente, prefata predia in Hocheim et in Hedenstat Heroldo wirceburgensis ęcclesię maiori preposito pro CXXXVI. marcis argenti per manum Berengeri aduocati in pignore posuimus, hac conditione, ut predia illa ab ęcclesia sanctimonialium nunquam possent alienari, set siue a nobis siue ab ipsa abbatissa uel nobis decedentibus a successoribus nostris ab antedicto maiore preposito siue ab heredibus suis uel ab ęcclesiis, quibus ipse eadem predia pro remedio animę suę iure pignoris contulerit, soluta prememorata pecunia redimerentur, abbatissę autem et sororibus suis pro eodem predio de reditibus nostris singulis annis VI. libras III in Alta villa et III in Eberbach, specialiter ad domum carnium nostrarum pertinentes, restituimus tali pactione, ut cum predia illa fuerint soluta in usum maguntini archiepiscopi, qui tunc presideat, sex librę illę reuertantur. Hanc retractationem, impignorationem, recompensationem cum suis pactionibus ratam et inconuulsam omni euo manere uolentes hac carta, impressione sigilli nostri insignita, stabiliuimus et banno nostro confirmauimus. Huius rei testes sunt Hartmannus maior prepositus, Burchardus prepositus sancti Petri, Arnoldus custos maioris ęcclesię, Sigelous decanus et prepositus sanctę Marię in Campo, magister Willelmus, Hugo cantor, Hatzekinus prepositus sancti Mauricii, Embrico prepositus de Pinguia, Baldewinus prepositus sancti Johannis. De capellanis: Cůnradus prepositus sancti Gingolfi, Růdingus, Gernotus, Bertoldus, Dragebodo, Hermannus canonicus sancti Martini, Marcwardus augustensis canonicus. De laicis: comes Sigefridus de Morle, comes Bertoldus de Nithee, Gerhardus de Keluerowa, Marcwardus de Birgestat. De ministerialibus: Helpricus uicedominus, Embricho filius Meingoti, Arnoldus Magnus, Hermanus scultetus, Wicnandus, Saleman, Ernestus waltpodo, Helmewigus dapifer, Godebolt et Hartmůt marscalci, Herolt, Helmewich, Růdolf et conplures

alii de ciuitate wirceburgensi, uidelicet Bernhardus Paruus, Hartmannus filius Gerboldi, Bertoldus filius Loberici, Burchardus Albus, Richelmus iuuenis filius Richelmi, Gernot filius Drutmanni de Brozzoldesheim, Godefridus Scinkar, Henricus de Jnkesinken, Heinricus Scimpelemeus, Cůnradus, Henricus qui dicitur Scepfman.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LVIII°., indictione VI, regnante gloriosissimo imperatore Friderico, huius nominis primo.

Sigillum Arnoldi impressum concordat cum illo praecedentis diplomatis.

CIII.

Anno 1161.

Heinricus Werzeburgensium episcopus concambium, quo Heinricus de Hynneberc locum Husen acquisivit ab Ebrardo episcopo babenbergensi pro duabus villis Heyden et Hyrcendorf, et traditionem monasterii sanctimonialium in hoc loco ab eodem Heinrico constructi ad altare b. Kyliani martiris per manus Heinrici et Bopponis de Trimberc factam, confirmat.

C. Jn nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heinricus dei gracia Werzeburgensium episcopus omnibus christiane professionis hominibus salutem et gaudia eterne retributionis consequi in celestibus. Ex dispensatione nobis diuinitus credita nostrum est, religiosas domos et precipue in humilitate sue paupertatis nouellas exaltare et debita diligentia semper in melius promouere. Et ut firmamentum perpetuitatis in suis rebus et possessionibus obtineant, necessarium est per priuilegia et scripta nostra bona, que iusto tytulo et bona fide conquesierunt, contra calumpniantes et contra actiones malorum hominum, non sua sed aliena querentium, premunire. Omnibus itaque notum esse uolumus, qualiter quidam Heinricus de Hynneberc locum, qui Husen dicitur, cum suis prediis et omnibus pertinentiis

suis agris, pratis, siluis, aquis aquarumque decursibus tytulo concambii et commutationis in dominium suum acquisiuit; duas enim uillas Heyden uidelicet et Hyrcendorf babenbergensi episcopo Ebrardo uidelicet pro loco superius prefato, lege commutationis, ut dictum est, donauit et contradidit et hoc presente et consentiente auctoritate utriusque aduocati hinc inde comitis Bopponis uidelicet de Hynneberc et comitis Rabodonis. Postea uero procedente tempore monasterium sanctimonialium, quod predictus Heinricus in loco supranominato Husen uidelicet pro remedio anime suę et parentum suorum construxerat, ad altare beati Kyliani martiris et ad episcopatum werzeburgensem per manum Heinrici et Bopponis de Trimberc, in quorum potestatem per fidei commissum prefatum territorium uenerat, donauit et tradidit. Vt igitur predictum concambium et sequens traditio suum robur et statum in omne euum obtinere ualeant, quod factum est, priuilegio presentis scripti confirmauimus et ei auctoritatem impressione sygilli nostri dedimus. Si quis igitur contra hec rationabiliter statuta uenire ad dissoluendum uel infirmandum presumpserit anathema sit maranatha.

Huius rei testes sunt hi clerici: Heroldus summus prepositus, Burchardus domnus decanus, Richolfus, Reinardus, Siglous, Sigfridus, Bertoldus, Perseus, Cunradus, Albertus. Laici: Albertus et Berengerus de Binzfelt, Billongus vicedominus, Billongus scoltetus, Heinricus scoltetus, Jngelbertus, Godebaldus, et Godefridus. Preterea adiciendum decreuimus et sub banno beati Petri et nostro comprehendimus, quod comes Boppo de Hynneberc in predictum locum Husen uidelicet nullum ius aduocationis uel exactionis, qua nunc aduocati abutuntur, uel umquam aliquam potestatem habeat, nisi si forte sua defensione indigeat, et idem filio suo concedimus. Si uero sine filio premoriatur, prefatum monasterium aduocatum sibi, quem uelit, eligat.

Acta dominice incarnationis anno M°. C°. LX°. I°., indictione VIIII^a., regnante Romanorum imperatore Friderico, Boppone existente vrbano comite.

Sigillum Heinrici episcopi wirzeburg. impressum hunc habitu pontificali indutum, in sede episcopali sedentem repraesentat, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem, cum inscriptione haud bene expressa: „† HEINRICV· DI GRACIA WIRCEBVRGENSIS ECCLE EPC“.

Editum in Jäger Geschichte Frankenlands P. III pag. 320 Nr. VIII.

CIV.

Anno 1161 inter 3. Junii et 1. Septembr.

Fridericus I. Romanorum imperator, ut Heinrico wirceburgensi episcopo ad instantem expeditionis italicae necessitatem per capitulum eius subveniretur, oppignorationem omnium reddituum episcopalium ipsi capitulo factam approbat.

Editum in Mon. Boic. vol. XXIX. P. I. pag. 362. Nr. CCCCCIV.

CV.

Anno 1163.

Heinricus episcopus statuit, quod post mortem cuiuscunque canonici sive de maiori domo, sive de monte, sive de novo monasterio, ex integro praebendae suae stipendia per totius anni spacium, ad commoditatem defuncti expendantur.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heinricvs diuina preordinante clementia werzeburgensis ęcclesię episcopvs. Equitatis ratio nec non pastoralis officii cura seu sollicitudo suadet hortaturque nos omnia, quę commisso nobis gregi conducunt et expediunt, diligenti amministratione procurare et uniuersas eius consuetudines probatas utique et rationabiles perpetualiter ei conseruando

siquid in his commodius innouari et in melius commutari poterit, nec hoc dissimulandum nec omittendum fore. Huius itaque rei contemplatione omnes tam futuri quam presentis temporis Christi fideles uolumus cognoscere, qualiter diuinę dispositionis uocatione cathedralem sedem werzeburgensis ęcclesie adepti cuncta, quę ad honorem et decorem a predecessoribus nostris eiusdem ciuitatis clero tam in consuetudinario, quam in iure scripto sunt statuta et indulta, nos quoque nostra rati habitione corroborauerimus et insuper id, quod usque ad hęc tempora apud ipsos obtentum fuit, ut uidelicet defuncto fratre eorum aliquo prebendalia tantum ad tricesimum obitus sui diem desolatis hominibus suis darenter stipendia, ob iugem nostri memoriam et retributionem eternam in melius commutando ampliauerimus. Noscant ergo uniuersi, quod nos et una nobiscum dilectus noster Heroldus maior prepositus pro peticione et dilectione totius werzeburgensis cleri concessimus et decretali sententia diffiniendo communi omnium accedente uoto statuimus, quatinus de cetero post mortem cuiusque nostri fratris siue de maiori domo, siue de monte, siue de nouo monasterio ex integro prebende suę stipendia per totius anni spacium ad commoditatem defuncti caute et honorifice seu pro exonerandis debitis seu pro mercede exsoluenda seruientibus uel propriis ministeriis seu in ipsius honorabiliores exequias preparandas uel in alias pietatis causas expendantur, que omnia iuxta dispositionem fratris premortui, si quam forte adhuc uiuens dicitur fecisse, adimpleantur, sin autem, uel si quid minus pro arbitrio decani et aliorum fideicomissariorum suorum, pro ut oportunius et ubi plus necessarium cognouerint, diligenter et fideliter pro remedio animę ipsius distribuantur. Vt autem hec tam rationabilis ordinatio tamque commendanda humanitatis intuitu dispensatio, approbata quoque more et usu monguntinę, nostrę scilicet metropolitanę ecclesię, apud nos etiam rata et immutabilis in omne euum permaneat, ipsam in scripta redigi, eamque impressione sygilli nostri communiri precepimus, subiuncta horrendi anathematis comminatione in omnem hominem huic nostro tantę pietatis decreto ui uel fraude seu alias qualitercunque temerario ausu in contrarium uenire uolentem.

Facta sunt hec postulantibus et attestantibus subscriptis nostrę ęcclesię fratribus, Heroldo uidelicet maiori preposito, Persio decano,

Johanne scolastico, Gotefrido cantore, Adelberto custode, Cv̊nrado cellerario, Heinrico portenario, Richolfo, Reinardo, Sygeloho, Heinrico, Alberto, Heinrico, Ottone, Bertholdo, Wezelone, Heinrico, Eberhardo, Gothefrido, Ebone, Bodone, Vdelrico, Heinrico scriba, Ernesto.

Acta anno ab incarnatione domini M°. C°. LX°. III°.

Sigillum impressum in margine aliqualiter laesum est.

CVI.

Anno 1164.

Heinricus episcopus in dominium collegii s. Kyliani transfert omnia, quae Otto et Arno in Beregerebrunne iure beneficiali possederunt.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heinricus diuina preordinante clementia werzeburgensis ęcclesię episcopus. Episcopalis dinoscitur esse sollicitudinis, licitis et piis subditorum postulationibus faciles aures accommodare et uota eorum ad honorem dei et utilitatem ecclesie omnibus modis promouere. Huius itaque rei contemplatione notificamus omnibus tam futuri quam presentis temporis Christi fidelibus, quod et nos ea quę Otto et frater eius Arno in Beregerebrunne iure beneficiali a nobis possederunt, ipsis postulantibus cum omni integritate tytulo donationis perfectę in dominium collegii sancti Kyliani patroni nostri, pro ut sententia nostrorum fidelium dictabat, transtulimus hac tamen tenoris conditione annexa, ut prefati fratres eadem bona a manu decani iure oblationum recipientes annuatim in festo sancti Kyliani urnam uini et modium tritici seu horum estimationem in V. solidis comprehensam ad utilitatem fratrum ex his persoluant, et hic pro eadem pensione soluenda inconuulso iure ad omnem suam legitimam posteritatem de cetero ea transmittant. Ut autem hec donatio firma et rata perpe-

tuetur actorum interpositione nostrique sygilli impressione eam coroborauimus, subiuncta anathematis horrenda comminatione in omnem contra hec uenire conantem. Huius rei testes sunt clerici: Heroldus maior prepositus, domnus decanus Persivs, Richolfus, Reingehardus, Sygelous, Cv̊nradus cellerarius, Johannes scolasticus, Gothefridus cantor, Heynricus portenarius, Albertus custos, Sigefridus de Muleburc et Cv̊nradus, Werenhardus decanus de sancto Johanne, Gerardus decanus de nouo monasterio, Albertus capellanus, Bvso scolasticus, Albertus Boemus, Wolfcherus scolasticus de nouo monasterio, Wernherus cantor, Wortwinus iunior. Laici: Boppo vrbanus comes, Marcwardus de Grumbach, Billungus uicedominus, Heynricus scultetus, Billungus scultetus, Heroldus camerarius, Goteboldus et Godefridus et Jngelbertus, Billungus, Albero filius camerarii Heroldi, Emhardus de Brunnestat, Engelhardus de Bibelrieth, Yringus de Bvzensheim, Goderammus de Brenthe, Dietricus de Rimpach.

Acta sunt hec anno ab incarnatione domini M°. C°. LX°. IIII°., indictione XII^{a}., regnante Romanorum imperatore Friderico, Boppone existente vrbano comite.

Sigilli impressi pars inferior superest.

CVII.

Anno 1165.

Heinricus wirziburgensis episcopus ad petitionem Richolfi canonici curiam ante porticum ostii rubei collegio S. Kyliani donat, ut de eadem curia et praediis dicti Richolfi in Geltersheim, Telehim, Egenhusin et Thutenbrunen anniversarium eiusdem et parentum suorum celebretur.

C. In nomine sanstę et indiuiduę trinitatis. Heinricus dei gratia wirziburgensis episcopus omnibus christianę professionis ho-

minibus, sicuti temporalibus, ut tandem frui possint ęternis. Nostrum est ex officio nobis diuinitus credito, hominibus nostrę prouisioni deputatis in his, quę ad salutem eorum spectant, consulere et prouidere et propositum pie et iuste uoluntatis cuiuslibet eorum debita diligentia ad id, quod sanctum et salutiferum est, promouere. Vnde omnibus tam presentibus quam postfuturis hominibus notum esse uolumus, qualiter pro peticione cuiusdam Richolfi ad sanctum Kylianum canonici uiri religiosi curiam ante porticum ostii rubei sitam collegio sancti Kyliani donauimus. Qui nostra conniuentia de eadem curia et de prediis suis quatuor, quorum unum est Geltersheim, et unum Telehim et unum Egenhusin, et unum Thutenbrunnen pro anima sua et fratris sui Sigelogi et Gerlaci et aliorum parentum suorum oblationes[1]) et saluberrimas consolationes constituit. Decreuit enim, ut in proxima die post festum omnium sanctorum conuentus sancti Kyliani memoriam et anniuersarium omnium fratrum suorum decisorum cum uigiliis et missa pro defunctis in capitulo cęlebrare quot annis debeat et ea die fratribus talentum ad consolationem constituit, et in anniuersario suo talentum et in anniuersario fratris sui Sigelogi dimidium talentum cum sexaginta similis et urna uini, et in anniuersario fratris sui Gerlaci VI modios tritici et urnam uini, et in dedicatione altaris, quod est in capitulo, X. solidos fratribus dari constituit. Preterea sacerdoti, qui ad prefatum altare diuina cęlebrat XXX[a.] solidos constituit et lumen quod ante altare ipsum a crepusculo uenientis noctis usque ad lucem diei sequentis indesinenter ardeat. Insuper duobus monachis apud Scottos XXX. solidos pro uestimentis et aliis, quę necessitas exigit, annuatim in octaba pascę dari constituit, qui pro anima fratris sui Sigelogi et sua et omnium fidelium defunctorum ad altare s. Kyliani missam pro defunctis omni die uicissim cantent. Has inquam oblationes de curia prefata et de prediis supra nominatis, quę collegio sancti Kyliani per fidei commissum cautissime contulit, constituere decreuit et curiam et ipsa predia duobus cognatis suis Richolfo uidelicet et Sigelogo suis concanonicis ad supradictas oblationes

---

[1]) Oblalationes. Orig.

persoluendas reliquit, ita quod post obitum eorum unus de canonicis sancti Kyliani siue in eadem cognatione siue extra cognationem a decano et fratribus eadem bona sub canone statuto annuatim persoluendo teneret. Qualiter autem predia supradicta per fideicommissum prefatę congregationi collata sunt subscriptio pagine presentis ostendit. Predictus enim Richolfus per manvm Růdolfi fratris sui de Bischofeswinedin uidelicet, quem ratione ętatis in locum curatoris et defensoris super patrimonium suum habebat, predium suum Geltheraheim et mancipia sua, quorum nomina sunt hec: Thiemo, Werenhere, Heriman, Hartmuth, Herolt, Engelrat, Methilt, Liuchart, fideicommissariis suis fratri suo Hartmudo de Bischofeswinedin uidelicet, Richolfo, Lupoldo de Dampf, Richolfo de Dingoluesheim et fratri suo Marcholdo, Heroldo camerario ad conseruandum et defendendum fratribus sancti Kyliani inperpetuum contradidit, ita quod ipse prefatus Rudolfus in fideicommisso cum aliis predictis remaneret. Alia uero III[a]. predia uidelicet in Thelehim et in Engenhusin et in Thutenbrunnin, quę titulo emptionis sibi contraxerat et in manus Gotheboldi et Godefridi de foro et Helmerici de Geltersheim et cuiusdam Cůnradi posuerat per eorundem manus et partes predii de Thutinbrunnen, quę in manu Burchardi de Wineden posita erat [!] per eundem Burchardum fideicommissariis prefatis donauit, ita quod idem Burchardus super eandem partem predii cum aliis in fideicommisso remansit. Vt igitur per hoc genus donationis ęcclesia in prefatis prediis secura et indemnis in perpetuum conseruaretur, statuit idem Richolfus, quod fideicommissum ab ipso statutum ad heredes eorum, quorum fidem quesierat et probauerat, semper transiret et descenderet. Si autem aliquis eorum absque herede forte decederet, superstites consilio decani et duorum fratrum suorum seniorum alium bonum spectate fidei uirum subrogarent. Statuit etiam predictus Richolfus, quod mancipia sua prefata, quę ut dictum est, ęcclesię donauit, semper in dedicatione altaris, quod est in capitulo, III denarios in cera ad luminaria magna et parua facienda darent, ita ut unum quodque eorum, quod esset XX annorum et supra, hoc faceret et quod esset

prouectioris ętatis inter cętera hanc pensionem de singulis colligeret et pro omnibus eam super altare persolueret et quod de VII supra nominatis séruis et ancillis statuit de tota posteritate eorum teneri uoluit et rogauit. Si quis autem masculus ex illis forte premoriatur XXX denarios in cera persoluat, si uero femina XX^u^, ut prefatum altare lumen in perpetuum habundantius habere possit. Vt igitur hoc factum tam rationabile et sanctum in omne euum permaneat et robur firmissime auctoritatis in perpetuum obtineat cartam presentis scripti super hoc fieri decreuimus et ei auctoritatem et tenorem indeficientis memorię impressione sigilli nostri dedimus. Vnde si quis illud in posterum infringere uel infirmare presumpserit uel attemptauerit bannum beati Petri et nostrum se incurrisse cognoscat et ęternę dampnationi sub uinculo anathematis nisi resipiscat subiaceat. Huius rei testes sunt hi: Heroldus prepositus, Persius decanus, Reginhardus prepositus, Bertholdus prepositus, Adelbertus custos, Godefridus cantor, Johannes magister scolarum, Heinricus, Sigefridus. Laici: Billungus uicedomnus, Billungus scultetus, Heinricus scultetus, Lůtoldus, Boto, Godeboldus, Godefridus, Otto et frater eius Arno.

Acta dominicę incarnationis anno M. C. LXV., indictione XIII., regnante Romanorum imperatore Friderico, XII anno regni et imperii sui, Boppone existente urbano comite.

Indictio XIII concordat cum anno Christi MCLXV, in quo inchoabat die IX. Mart. annus XIV. regni et die XVIII. Jun. annus XI. imperii Friderici. Sigilli impressi pars dimidia superest, episcopum in sede episcopali sedentem repraesentans, cum inscriptione: „† HEIN . . . . WIRCEBVRGENSIS. ECCLE. EPC.“

CVIII.

Anno 1168. 10. Julii. Wirzeburg.

Fridericus I. Rom. imperator Heroldo episcopo wirceburgensi eiusque ecclesiae jurisdictionem per totum episcopatum ac ducatum

wirceburgensem et per omnes cometias, in eodem episcopatu vel ducatu sitas, concedit et confirmat; pro pace etiam ecclesiae wirceburgensis castra Bramberg et Frankenberg destrui fecit, quorum reaedificationem inhibet.

Editum ex duobus exemplaribus in Mon. Boic. Vol. XXIX Part. I pag. 385 Nro. CCCCCXV et pag. 390 Nro. CCCCCXVI.

CIX.

Anno 1169.

Heroldus wirceburgensis ecclesiae minister confirmat anniversaria, quae Albertus de Antse thesaurarius et concanonicus eiusdem ecclesiae cum praedio in Hopferstat super reliquias Kiliani martiris tradito fundavit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heroldus dei gratia wirceburgensis ęcclesię minister. Ex officio diuinitus nobis iniuncto tenemur omnibus nobis commissis prouidere et piis fidelium uotis assensum prebere, que litteris annotanda et zelo pietatis approbanda rationabili nostrę corroborationis suffragio uisa sunt egere. Inde est, quod notum esse uolumus uniuersitati tam presentium quam subsequentium Christi fidelium, quod quedam nobilis matrona de Antse Kunegundis nomine, zelo dei ducta, quoddam predium in Hopferstat, pro salute anime sue et mariti sui Reinhardi, felicis memorie et parentum suorum deo et sancte Marię et omnibus sanctis eius in Kizzingen deuote obtulit et contradidit, quod predium cum reliquo adiecto predio, quod ibidem habebat filius amborum eorum, nostrę ęcclesię thesaurarius et concanonicus Albertus nomine alio predio suo in Giselhein sito, per manum et consensum aduocati sui et mundeburdi Cůnradi, filii fratris sui, legitime

commutatum pro remedio animę sue et parentum suorum super reliquias preciosi martiris Kiliani et sociorum eius multo cleri plebisque conuentu circumstante legitime delegauit et contradidit, rursusque a manibus decani pro statuto inde annuo canone recepit, uidelicet, ut quoadusque uiueret quinque inde solidos in anniuersario predicti patris sui R. fratribus annuatim persolueret, in anniuersario matris suę Cunegundis V, item in anniuersario fratris sui Cůnradi V. Defuncto uero domino custode predium illud precise in usum fratrum cedat, hoc adiecto, ut decanus et portenarius in anniuersario suo de eodem predio fratribus sancti Johannis Baptiste in Houge V solidos persoluant, fratribus de nouo monasterio V, fratribus ad sanctum Bvrcardum XL denarios, Scottis XL, item ad sanctum Stephanum XL, ad sanctam Afram XL, insuper quatuor modios tritici in pane pauperibus diſtribuant, reliquum in usum fratrum cedat. Statuto etiam, ut prefati decanus et portenarius mansionariis eiusdem predii in omnibus presint, et siquid eis nocuerit ad audientiam solius episcopi, eorum aduocati, preter quem nullum alium aduocatum habituri sunt, deferantur. Pretera quicumque rusticorum illorum premoriatur, legittimi heredes illius pro optimo capite animalium suorum X solidos decano et portenario persoluant, et iure hereditario in mansum succedant. Quod ergo factum est, presentis scripti pagina confirmauimus et ei auctoritatem impressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur in posterum arte uel dolo aut ulla iniquę temeritatis presumptione infringere, aut infirmare attemptauerit, anathema sit maranatha.

Testes: Richolfus maior prepositus, Perseus decanus, Reinhardus prepositus noui monasterii, Heinricus prepositus de Onoldesbah, Wernherus prepositus sancti Johannis, Berhtolfus prepositus sanctę Marię in Moguntia, Johannes scolasticus, Gotefridus cantor, Cv̊nradus cellerarius, Sigefridus de Mulburg, Cv̊nradus de Froburg, Hermannus de Cazzenellenbogen, Diepaldus de Bergen, Vricus Sueuus et alii plures. Laici: Marquardus de Grumbah et filii sui Otto et Albertus, comes Gerhardus de Berhthein, Rupertus de Castel, Cv̊nradus de Bocchesberg, Cv̊nradus de Niwenburg, Goteboldus de Habechesberg, Billungus uicedominus, Boto, Heinricus et Billungus sculteti, Heroldus

camerarius, Otto et Arno, Goteboldus Sinister, Iring de Zabelstein, Wolframmus cognatus suus.

Acta anno dominicę incarnationis M.C.LXVIIII, indictione IIa., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone urbano comite existente.

Sigillum Heroldi episcopi impressum illaesum, hunc repraesentat habitu pontificali indutum, pedum sinistra, librum evangeliorum dextra tenentem cum inscriptione „† HEROLD⁹. DI. GRA. WERZEBVRGENSIS EPC.“

CX.

Anno 1169.

Charta de compositione discordiae exortae inter collegium sancti Kyliani et Gerhardum de Hartbach propter domum, quam Walterus a quidam Billungo vicedomino et a Gerungo comparavit.

C. In nomine sanctę trinitatis et indiuiduę unitatis. Collegium sancti Kyliani. Quoniam ex antiquitate nascitur obliuio, et ex obliuione ignorantia, ideo notum esse desideramus omnibus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus, qualiter quidam conciuis noster Walterus nomine, domum quandam domui et curię suę coniunctam et ad usum nostrum pertinentem, a duobus conciuibus nostris uidelicet a Billungo uicedomino et a Gerungo argento suo conparauit, et a manu Burkardi decani nostri recepit, ea uidelicet lege, ut ipse et sui heredes annuatim duos tritici modios et quinque uini quartalia nobis de ea persoluant. Quia autem pro eadem domo optinenda inter nos et inter Gerhardum de Hartbach exorta est contentio, et quia coram Heroldo uenerabili wirzeburgensis ęcclesię episcopo religiosorum uirorum tam laicorum quam clericorum testimonio et iusto et rationabili iudicio, salua Walteri et

heredum suorum iustitia, domum prefatam optinuimus, ideo ut de cetero penitus remota sit huiuscemodi contentionis occasio hęc presens cartula sigillo patroni nostri sancti Kyliani corroborata est et communita. Facta est autem huius sigilli impressio anno dominicę incarnationis millesimo centesimo sexagesimo nono, indictione secunda, imperante Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore, Heroldo existente wirzeburgensis ęcclesię episcopo, Boppone comite wirzeburgensis urbis prefecturam tenente et regente. Huius rei testes sunt clerici hi: Richolfus summus prepositus, Persius decanus, Reinhardus noui monasterii prepositus, Gotefridus cantor, Heinricus Caseus, Adelbertus custos, Bertoldus prepositus, Heinricus Vachardus, Wezelo portenarius, Sifridus de Muleburc, Adelbertus de Phuzeche, Cůnradus cellerarius, Johannes scolasticus, Cůnradus de Froburc. Item laici: Rapoto comes, Cůnradus de Wichartesheim, de Binezfelt Adelbertus et Berengerus, Billungus uicedominus, Boto, Heinricus scultetus et eius filius Heinricus, Billungus scultetus, Gotefridus, Heroldus camerarius, Cůnradus de Regenesburc, Berewardus de Uzenheim, Otto et frater eius Arno, Engelbertus Haggo, Gerungus, Cůnradus Longus. Isti interfuerunt et audierunt hęc.

Sigillum impressum collegii sancti Kyliani de domo, hunc sanctum repraesentat sedentem in solio, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem cum inscriptione „SCS. KILIANVS“.

CXI.

Anno 1169.

Heroldus wirzeburgensium minister predia, quae Henricus de Luden super reliquias s. Kiliani delegaverat, eidem ad utendum usque ad terminum vitae suae remittit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Heroldus dei gratia Wirzeburgensium humilis minister. Benedictus deus, qui non amouit orationem [1]) nostram et misericordiam suam a nobis, pro nostre

paruitatis [2]) dignanter ordinando ministeria, ut aliqua ecclesie nostre conferret solacii refrigeria super imminente sibi iam diu sue necessitatis miseria. Collata utique ecclesie nostri laboris diligentia comite litteris digna duximus annotari digne censentes ea nostre auctoritatis suffragio corroboranda conseruari. Vnde notum esse uolumus vniuersitati tam presentium quam subsequentium Christi fidelium, quod quidam nobilis [3]) homo Heinricus de Lůden sue et parentum suorum prospiciens saluti, sua interesse estimauit, ut sibi eligeret saniores [4]) sue hereditatis successores, deum scilicet et sanctos eius, felici sibi conmercaturus mercimonio, quod felicius duplicatum perhenni possideret [5]) patrimonio. Communicato itaque suorum consilio et totius conuentus, tam clericorum quam laicorum vnanimi consensu predia sua, partem uidelicet suam castri illius Lůden et castrum illud Dieteburc cum hominibus et illorum prediis ubicunque sitis et omnibus appendiciis et tercia[m] parte[m] capelle in Mergentheim super reliquias preciosi martiris Kyliani, deo et sancte Marie et sancto Kyliano deuotus obtulit et legitime delegata nullo contradicente contradidit, salua et concessa optima ministerialium iusticia hominibus militaribus ad officium pincerne contraditis, ceteris iuxta sue tenorem conditionis, ita tamen, quod nulli umquam aduocato obnoxii teneantur ad deuitandas nimias [6]) aduocatorum exactiones nec ulli umquam nisi deo et sancte Marie et sancto Kyliano et nobis et successori nostro seruire conpellantur. Quo facto prenominata bona sibi ad utendum usque [7]) ad terminum uite sue tantum remisimus, et iure beneficii quinque talenta wirzeburgensis monete annuatim in festo sancti Martini ei persoluenda concessimus de curia nostra Frichenhusen ita quod data nobis uel successori nostro quandocumque temporis oportunitate beneficium illud sibi aliunde restaurabimus aut quoquomodo conuentionis empticie [8]) apud eum commutabimus. Quod ea lege fecimus, ut nihil predictorum bonorum uendere, donare aut quoquomodo alienare uel ad aliquas personas sibi iure hereditario transmittere [9]) liceat. Pro cuius donationis robore in perpetuum ualituro presentis scripti paginam sigilli nostri impressione, ut infra patet, signatam et ydoneis testibus corroboratam, si quis in posterum arte uel alicuius ingenii dolo infringere uel

infirmare attemptauerit auctoritate beati Petri et nostra auctoritate anathema sit maranatha. Testes: Richolfus maior prepositus, Perseus decanus, Reinhardus prepositus noui monasterii, Heinricus prepositus de Onoldesbach, Wernherus prepositus sancti Johannis, Bertoldus prepositus sancte Marie in Moguntia, Albertus custos, Godefridus cantor, Cunradus cellerarius, Wezelo portenarius, Heinricus Vachardus, Syfridus de Muleburg, Conradus de Froburg, Godefridus cantor [10]) de Crutheim et alii quam plures. Laici: Erlebolt et frater eius [11]) Trageboto de Crantse [12]), Cunradus de Scheiuelt [13]), Godefridus de Scheiuelt [14]), Erkenbertus de Argersheim, Otto de Ezzelnhusen [15]), Albero de Cottenheim, Walther de Niwenburg, Wasmût et frater suus Albero de Niusaz, Arnoldus de Geggenhein, Adelhoch de Birchenuelt. Ministeriales: Boto de foro, Yringus de Zabelstein, Billungus et Heinricus sculteti, Billungus uicedominus, Heroldus camerarius, Godeboldus Linko. Acta [anno] dominice incarnationis M°· C°· LXVIIII°·, indictione II^a^·, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone urbano comite existente.

Ex libro copiali, qui dicitur „Albus“, collato libro copiali Bebenburg, qui in sequentibus variat: 1) deprecationem, 2) parve dignitatis, 3) „nobilis“ deest, 4) „saniores“ deest, 5) possidet, 6) minas, 7) „usque“ deest, 8) empcione, 9) transmutare, 10) „cantor“ deest, 11) suus, 12) Crense, 13) et 14) Steinuelt, 15) Ezelenhusen.

CXII.

Anno 1170.

Heroldus wirceburgensis ecclesiae minister corroborat emancipationem capellae in Suineshouboten, a quodam Richardo sub Emehardo episcopo constructae et dotatae, ab omni iure matricis ecclesiae in Hoveheim.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heroldus, dei gratia wirceburgensis ecclesię minister. Sicut ea, que aput nos

rationabilis ordine dispensationis fiunt, a nostra auctoritate condecet perpetualiter corroborari, ita econuerso consentaneum est rationi, predecessorum nostrorum facta rationabilia et concessa irrefragabiliter conseruanda confirmari. Vnde notum esse uolumus uniuersitati tam presentium quam subsequentium Christi fidelium, qualiter quidam Richardus sui iuris homo, in predio suo Suineshouboten capellam quandam pro remedio animę suę et parentum suorum construxit, que sibi et suę posteritati et familię de christianę sepulture et totius Christianitatis iure responderet, libertatis honore sublimanda et ab omni iure et respectu matricis ęcclesię in Houeheim emancipanda. Porro diuinę nutu prouidentię factum est, quod uenerabilis predecessor noster Emehardus episcopus beatę memorię capellam illam rogatu prefati Richardi consecrauit et consecratam duobus mansis in inferiori Sulzbach et dimidio in Suineshoubeten de predio ipsius legitime dotauit. Insuper decimam unam Mechrit et alteram in inferiori Sulzbach, quas prenominatus Richardus ab episcopatu in beneficio habuerat, ab ipso Richardo uoluntarie resignatas, capellę legitime delegatas et contraditas, doti accumulauit. Terciam uero decimam in Mittelsulzbach de eodem beneficio sepe dicti Richardi ab episcopatu habito, simili modo resignatam matrici ęcclesię Houeheim, cui fundus capellę pertinuit, pro commutatione fundi firma et stabili donatione contradidit, et hoc modo capellam illam libertate donauit et omni iure et respectu matricis ęcclesię sua auctoritate emancipauit. Statuto etiam aduocato altaris quocumque in progenie illa etate maximo. Sciant preterea tam presentes, quam postfuturi prefatum predium Svineshoubeten prefato sepius Richardo et matri sue Chunecę et eorum posteritati a duce Ottone, qui cognatus eorum fuerat, eosque in curia sua educauerat, collatum et in manus consanguineorum suorum Wortwini et Richardi de Magesbach ad obtinendum eis delegatum, eo uidelicet iure et honore et utilitate, qua prius prefato duci seruierat, ut de foresto Haseberg ipsi et homines eorum in edificando predio illo sua sumant edificia et libertatem habeant in eo capiendi apum examina et pecora habeant pascua absque mercede forestaria. Jus etiam habeat posteritas illa quando-

que uenandi in foresto illo arcu tantum et balista, quod in teutonico dicitur birsen. Cuius rei ueritatem nobis ordine recitatam et tam uiuę uocis quam testamentalis cautionis testimonio conprobatam, quia nostrę corroborationis suffragium rationabiliter expostulauit, quod minime negandum ei fore nostrę auctoritatis dispensatio dictauit et maiorum ęcclesię nostrę coniuentia confirmauit, presentis scripti pagina confirmauimus et ei auctoritatem inpressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur eam in posterum aliqua suę temeritatis presumptione infringere uel infirmare attemptauerit, uel aliquo modo nostrę institutioni contraire presumpserit, anathema sit, maranatha. Testes: Richolfus maior prepositus, Perseus decanus, Reinhardus prepositus noui monasterii, Heinricus prepositus de Onoldesbach, Wernherus prepositus sancti Johannis, Bertolfus prepositus sanctę Marię in Maguntia, Albertus custos, Gotefridus cantor, Cůnradus cellerarius, Wecelo portenarius, Cůnradus et Gotefridus capellani. Laici: Comes Rapoto de Abenberg et filius suus Fridericus, Manegoldus de Wilperg et filii sui Manegoldus et Bertholdus, Heinricus et Boppo de Trincperg, Vlricus et filius suus Boppo de Calwenberg, Vlricus de Wischenuelt, Iringus pincerna, Billungus uicedominus, Heinricus et Billungus sculteti, Heroldus camerarius, Hartmut de Bischofeswineden.

Acta anno dominicę incarnationis M°. C°. LXX°., indictione III[a]., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Fridrico, Boppone vrbano comite existente.

Sigillum impressum, optime conservatum repraesentat Heroldum habitu pontificali indutum, pedum sinistra, librum evangeliorum dextra tenentem, cum inscriptione „† HEROLD'. DI. GRA. WERZEBVRGENSIS EPC.“

CXIII.

Anno 1170.

Heroldus wirzeburgensis ecclesie minister aream quandam, uno latere scolae Judaeorum contiguam, a Heinrico de Rimpure, cognominato Sckiltkeneht resignatam, tradit cuidam Judaeo Samueli et uxori suae Guthae, de quo annuatim modium tritici persoluant.

C. In nomine sancte et indiuidve trinitatis. Heroldvs, dei gratia wirzeburgensis ęcclesię minister. Litteris digne censemus annotari, quę perpetuali nostrę corroborationis suffragio rationabiliter postulant confirmari. Inde est, quod notum esse uolumus omnibus tam presentis quam postfuturę ętatis hominibus, quod aream quandam, nos iure hereditario a parentibus contingentem, uno latere scolę Judeorum contiguam, altero latere cuidam cloacę, quę dicitur Rigol, conterminam, tercio et quarto latere duabus stratis a quodam Heinrico de Rimpure, qui cognominatur Sckiltkeneht, cui imbeneficiata fuerat, requisiuimus. Quam scilicet aream, nobis ab eo legitime resignatam, decano et fratribus de domo legitime delegatam, contradidimus cuidam Judeo Samueli et vxori suę Guthę et eorum posteris perpetuo iure obtinendam et quieta pace possidendam, hoc pacto, quod annuatim in festo sancti Jakobi fratribus de domo modium tritici persoluant. Si uero successores eorum eam forte uendere uoluerint, primo predictis fratribus emendam offerant, deinde accepta eorum licentia, si non emerint, uendant, ita quod possessor eiusdem areę fratribus eandem semper pensionem in eodem annj termino persoluat et sic eadem lege possideat. Quod ergo factum est presentis scripti pagina confirmauimus et ei auctoritatem impressione sygilli nostri dedimus. Si quis igitur id in posterum arte, dolo aut aliquo malo ingenio infringere uel infirmare attemptauerit, anathema sit, maranatha. Testes: Richolfus maior prepositus, Persius decanus, Reginhardus prepositus noui monasterij, Heinricus prepositus de Onoldisbach, Bertholdus prepositus, Albertus custos, Gotefridus cantor, Cůnradus cellerarius, Wezelo portenarius, Hein-

ricus Faehardus, Sifridus et Gotefridus capellani. Laicj: Marquardus de Grumbach et filii sui Albertus et Heinricus, Billongus vicedominus, Heinricus et Billongus sculteti, Billongus comes, Heroldus camerarius, Botho, Heroldus, Helewicus, Goteboldus Linke et alii quam plures.

Acta anno dominicee incarnationis M$^{o.}$ C$^{o.}$ LXX$^{o.}$, indictione III., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Frederico, Boppone vrbano comite existente.

Sigillum impressum concordat cum illo praecedentis diplomatis.

CXIV.

Anno 1170.

Heroldus wirzeburgensis ecclesiae minister pro duobus iugeribus vineti in Uzenheim Tutoni clerico dat aream ante curiam Gotefridi cantoris sitam, quam idem sancto Kyliano pro salute animae suae tradit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Heroldus dei gratia wirzeburgensis ecclesie minister. Ex officio diuinitus nobis iniuncto tenemur omnibus nobis commissis prouidere et pia eorum uota promouere, que rationabili nostre corroborationis suffragio uisa sunt egere. Inde est, quod notum esse uolumus omnibus tam presentis quam post future etatis hominibus, qualiter quidam clericus noster Tůto nomine aream quandam episcopalem ante curiam Gotefridi cantoris sitam pro commutatione predii sui, duorum uidelicet iugerum vineti in Vzenheim retro domum cuiusdam Helenwici de Vsleibe siti, sibi a nobis dari petiit. Cuius petitioni consulte annuentes, quia plus erat oblatum quam postulatum, aream illam pro uinea prefata sibi dedimus. Quam utique aream communicato priorum ecclesie nostre nutu et consilio legitime commutatam et honestissime edificatam predictus Tůto pro salute anime sue et parentum

suorum deo et sancte Marie et sancto Kyliano zelo dei ductus contradidit ea lege, ut annuatim in festo sancti Kyliani de area illa quieta pace possidenda vrnam vini cum duabus candelis ex duabus libris cere factis fratribus maioris ecclesie persolueret. Eo uero humanis rebus exempto, aree illius possessor, quemcumque idem Tuto successorem sibi elegerit de ea id ipsum annuatim in anniuersario Tutonis persoluat, et quieta pace possideat. Quod ergo factum est presentis scripti pagina confirmauimus et ei auctoritatem sigilli nostri inpressione dedimus. Si quis igitur id in posterum arte, dolo uel aliquo malo ingenio infringere uel infirmare presumpserit, anathema sit maranatha. Testes: Richolfus prepositus maior, Perseus decanus, Reinhardus prepositus noui monasterii, Wernherus prepositus sancti Johannis, Heinricus prepositus de Onoldespach, Pertolfus prepositus sancte Marie in Maguntia, Albertus custos, Gotefridus cantor, Conradus cellerarius, Wezelo portenarius, Syfridus et Conradus capellani, Hermannus de Kazzenelboge, Dietricus de Bebenburg. Laici: Marquardus de Grunbach et filii sui, Otto et Albertus, Manegoldus et filius suus Manegoldus de Tuncdorf, Boppo de Wertheim, Albertus de Tungede, Conradus de Wichartesheim, Berngerus et Albertus de Binzfelt, Billungus vicedominus, Heinricus et Billungus sculteti, Heroldus camerarius, Iringus pincerna. Acta anno dominice incarnationis M°. CLXX., indictione III^a., gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone vrbano comite existente.

Ex libro copali Bebenburg.

CXV.

Anno 1171.

Heroldus wirzeburgensis ecclesiae minister traditionem praedii in Hargersheim, ab Heinrico canonico per manus fratrum suorum Wichnandi et Erchenberti ecclesiae sanctae Mariae et sancti Kyliani pro anniversario celebrando oblati, confirmat.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heroldvs dei gratia wirzeburgensis ęcclesię minister humilis. Cum omnium

ęcclesiarum, quę nobis addictę sunt, necessitatibus diuino jure et pro nostro posse subuenire teneamur, ęcclesię tamen huic episcopali pro debito offficij ex dei pietatis institutione assistere et consulere astricti sumus. Notum igitur esse cupimus tam pręsentibus quam futuris fidelibus in Christo, qualiter Heinricvs noster canonicus pro remedio animę suę ac parentum suorum predium in Hargershein situm, quod aliquando Cellensium fuit, deo et sancte Marię et sancto Kyliano et sociis eius per manus fratrum suorum Wichnandi et Erchenberti libere et voluntarie super reliquias contradi fecerit, hoc pacto, ut singulis annis Xcem. solidi in censu eo viuente in restitutionem canonis de Brungersvelden in epyphania domini fratribus persoluantur. Post decessum vero ipsius, quemcumque heredem canonicum instituat, XXti. solidos in predicto die eis persoluat. Si uero nullvm canonicum heredem instituat, fratres libere et sine aduocato possideant ita demum, vt dies obitus ipsius annuatim sollempniter ab ipsis celebretur. Et vt hec traditio rata et inconuulsa permaneat pręsentis scripti pagina et sygilli nostri impressione confirmauimus. Si quis igitur inuasor contra hoc ire pręsumat, dei vltione et anathemate beati Petri et nostri feriatur. Testes: Richolfus prępositus de domo, Persius decanus, Reinhardus prępositus de novo monasterio, Albertus custos, Gotefridus cantor, Heinricus prępositus de Onoldisbach, Wezelo portenarius, Cůnradus cellerarius, Heinricus Caseus. Laici: Comes Gerhardus et frater suus comes Hermannus de Bertheheim, Walterus de Lobenhusen, Albero de Thagesten, Gerungus de Anggersberge et filii eius, Albero de Cotthenheim, Marcolfus de Vlsenhein, Cůnradus de Illinsheinhein et fratres sui, Billvngus vicedominus, Heinricus et Billvngus sculteti, Engelbertus et frater suus Gotefridus, Heroldus camerarius et alij quam plvres, tam clerici quam laici.

Acta anno dominicę incarnationis Mo. Co. LXXIo., indictione IIIIa., regnante domno Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, Boppone existente vrbano comite. Acta in Christo feliciter. Amen. Amen. Amen.

Sigillum impressum Heroldi episcopi adest.

CXVI.

Anno 1171.

Heroldus wirciburgensis ecclesiae minister traditionem ecclesiae Rotene a Hermanno urbanno comite misinensi sanctae Mariae et sancto Kyliano oblatae confirmat collegioque sancti Kyliani parochiam Guberstat confert.

C. Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis. Heroldus dei gratia wirciburgensis ęcclesię minister. In specula Christi stantes, ex officio diuinitus nobis iniuncto tenemur pijs fidelium uotis prouida dispensatione prouidendo fauere, que a nobis promouenda rationabili nostrę corroborationis suffragio uisa sunt egere. Inde est, quod notum esse uolumus omnibus tam presentibus quam futuris seculi hominibus, qualiter nobilis quidam homo, comes urbanus misinensis, Hermannus nomine, de predijs suis, quę in nostro episcopatu iure proprietatis possederat, ecclesiam quandam Rotene constituit, quam zelo dei ductus, pro remedio animę suę et parentum suorum deo et perpetuę uirgini dei genitrici Marię, sancto Kyliano et socijs eius cum omni jure oblatam, ac tandem firma et stabili donatione delegatam contradidit. Nos uero hominis illius pietati congratulantes, eodem diuinę nutu clementię parrochiam nostri iuris Guberstat eidem collegio contulimus in usum uidelicet pauperum Christi, deo et sanctis eius ibidem deuote seruientium nulli, umquam nisi solo archidiacono et predictis fratribus de iure suo responsuram. Quod ergo factum est presentis scripti pagina confirmauimus et ei auctoritatem inpressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur id in posterum arte uel mali ingenij dolo infringere uel infirmare attemptauerit, anathema sit maranatha. Testes: Richolfus maior prepositus, Persivs decanus, Rigenhardvs prepositus noui monasterij, Albertus custos, Wernherus prepositus sancti Johannis, Bertholdus prepositus sanctę Marię in Moguntia, Heinricus prepositus de Onoldesbach, Johannes scolasticus, Gotefridus cantor, Cunradus cellerarius, Wecelo portenarius, Sigefridus, Cunradus et Gotefridus capellani. Laici:

Comes Gerhardus de Bertheim, Manegoldus et filius suus de Tunctorf, Boppo et Heinricus de Trimpberg, Albertus de Tungeden, Albertus et Heinricus de Rotenuels, Vlricus et filius eius de Buchel, Richolfus de Rit, Billungus uicedominus, Heinricus et Billungus sculteti, Heroldus camerarius, Boto de Foro et alij quam plures.

Acta anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXI°., indictione IIII. Regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone urbano comite existente.

Sigillum impressum bene conservatum est.

CXVII.

Anno 1172. 22. April. Wirceburg.

Fridericus I. Romanorum imperator ecclesiae wirceburgensi bannum ferrarum, wiltban dictum, per terminos a monte Cilleberc usque ad forestum Haseberg extensum atque descriptum, concedit.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX Part. I. pag. 406 Nro. CCCCCXXIII.

CXVIII.

Anno 1172. 24. April Wirceburg.

Fridericus I. Romanorum imperator ecclesiae wirceburgensi, in compensationem curiae iuxta Cazenwichus, filio suo, Friderico duci, beneficii nomine concessae, XX marcas argenti et VI iugera vinearum in monte Brunneberg tradit, insuper domnos canonicos cathedrales in mansionibus eorum, infra inmunitatem sitis, a gravamine hospitum, durante imperiali curia, securos reddit.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX. Part. I pag. 408 Nro. CCCCCXXIV.

CXIX.

Anno 1172.

Heinricus Bolo vineam in monte sanctae Mariae ab Agnete Reinhardi filia, in presentia Reinhardi wirzeburgensis ecclesiae electi comparatum donat super reliquias sancti Kyliani fratribus de domo.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Et nunc et in omne tempus nosse dignetur uniuersitas fidelium quod Heinricus Bolo quinque iugera uinearum in monte sanctę Marię ab Agnete filia Reinhardi expedita et plana emptione XX. duabus marcis emit, presentibus et consentientibus Ottone, Růdolfo et aliis omnibus filiis suis, et filia sua Ytala, quorum consensus in hoc contractu necessarius esse uidebatur. Dominus quoque Reinhardus venerabilis sanctę wirzeburgensis ęcclesię electus cum pluribus aliis, tam clericis quam laicis, huic negocio dignatus est interesse. Contractus profecto iste, ut tanto stabilori et firmiori munimine niteretur, quanto plurium attestatione et honorabilium personarum auctoritate fulciretur. Sicut igitur predictus Heinricus iusto titulo et bona fide uineam hanc acquisiuit, ita nichilominus tam pia quam libera donatione super reliquias sancti Kyliani fratribus de domo per manum Arnonis quippe, quod ipse prefatę Agnetis fideicommissarius erat, eandem uineam donauit, rursumque eam de manu Persii decani nomine ęcclesię Adelbertus custos, Cůnradus portenarius et Cůnradus cellerarius receperunt eo uidelicet pacto, ut prefatus Heinricus et deinceps posteri sui, ad quos uinea illa legitima successione deuolueretur, certum inde canonem annuatim soluant, scilicet unam libram cerę. Vt autem res ista non modo presentium, uerum etiam in noticia futurorum habeatur, simpliciter et nude rei ueritas in presenti cartula continetur. Huius rei testes sunt: Richolfus prepositus, Persius decanus, Bertholdus prepositus, Gothefridus cantor, Adelbertus custos, Heinricus Uachardus, Sigefridus de Mulburc, Eberhardus de Marmore,

Gothefridus de Crutheim, Johannes scholasticus, Boto, Theodericus, Eggehardus, Heinricus de Niwenburc, Cvnradus Reizo. Laici: Billungus uicedominus, Billungus scultetus, Richalmus, Otto, Arno, Gerungus Diues, Erkenboldus. Bernolfus Sutto, Wicmannus frater ejus. Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis. M°. C°. LXXII°., indictione V., regnante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore, Reinhardo wirzeburgensis ęcclesię, electo, Boppone comite.

Sigillum collegii sancti Kyliani de domo impressum adest.

CXX.

Anno 1173.

Fridericus I. Romanorum imperator capitulo cathedrali wirceburgensi mandat: ut Reinhardo electo episcopo, in expeditionem italicam contra rebelles Longobardos evocato, pignora ecclesiae concedant, quorum pretio CCCL. marcas ad eandem expeditionis necessitatem possit mutuare; simul autem securitatem de pignoribus redimendis per se et filium suum Heinricum regem capitulo praestat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX. Part. I pag. 415 Nro. CCCCC XXVI.

CXXI.

Anno 1174.

Bertoldus Huneclin concivis wirzeburgensis curiam suam in platea Smidegaze beato Kiliano tradit ac eam a manu decani iure oblationis recipit.

In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. P. decanus et uniuersus wirceburgensis ecclesię conuentus. Notum sit omnibus tam presentis

quam futuri temporis hominibus quod quidam de nostrę ciuitatis ciuibus Bertoldus nomine, cognomine Huneclin, curiam suam in platea, que uulgo dicitur Smidegaze, sitam, in qua et ipse iugiter cum familia sua manere solebat, beato Kiliano nostro patrono cum omni iure suo integra libertate contradidit, hac conditione, ut ipse eandem una cum uxore sua Irmindruda nomine a manu decani iure oblationis reciperet et annuatim eis uiuentibus in festo sancti Kiliani duos cereos unius librę ad summum altare persolueret. Prętmoriente uero alterutra eorum persona morte uiri LX. mensurę uini, morte autem uxoris duo modii tritici et in obitv et in anniuersario eorum annuatim persoluantur extincta oblatione de cereis. Hac autem traditione per manus fidecommissariorum prętfati uiri uidelicet domini Botonis et Billungi sculteti facta et possessione eiusdem curię per manus eorundem et aliorum uidelicet Lutoldi iunioris, Heroldi camerararii [!], Goteboldi Sinistri, Richalmi filii Mahthildis, Heroldi in foro, Billungi Comitis recepta, talis conditio est interposita, ut apud ipsos et suos legitimos heredes, omni aliena persona, que non ex sanguine eorum processerit, exclusa, eadem curia, nisi uoluntate ipsorum uel heredum suorum uel uenditione uel commutatione transferatur sub eadem conditione remaneat. Quod ergo factum est, presentis scripti pagina confirmauimus, et ei auctoritatem impressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur id in posterum alicuius doli presumptione infringere uel infirmare attemptauerit anathema sit maranatha. Testes: Gotefridus maior prepositus, Perseus decanus, Bertoldus prepositus de Tuteleibe, Albertus custos, Johannes scolasticus, Gotefridus cantor, Cůnradus cellerarius et totus de domo conuentus. Laici prenominati cum reliquis quam plurimis. Acta anno dominicę incarnationis M^o^. C^o^. LXXIIII°., indictione VII, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone vrbano comite existente.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum in margine mutilatum est.

CXXII.

Anno 1176.

Regenhardus wirceburgensis ecclesiae minister areas quasdam, curiae suae claustrali conterminas, ac titulo emptionis conquisitas, nec non tria iugera vinearum in Gozboltestorf, sub constituto censu pro anniversario suo transmittit in nepotem suum Gerlacum.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Regenhardus dei gratia wirceburgensis ecclesię minister omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam post futuris salutem et gaudia ęterna consequi in cęlestibus. Cum ultime uoluntatis stilus sit liber censura legali, in ordinanda transmissione hereditatis in posteros lege testamentali, uisum est dignum ratione, ut in bonorum nostrorum predialium in nostros heredes transferendorum dispensatione tam prouide tamque circumspecte ageremus, ne ab ipsis ex aliqua nostrę leuitatis seu negligentię culpa exheredandis, maledictionem pro benedictione reciperemus. Nostrę enim animę saluti derogaret omnis controuersia seu distractio eorum bonorum in alienas personas translatorum. Inde est, quod notum esse uolumus omnibus tam presentibus quam postfuturis, qualiter areas quasdam sibi inuicem conterminas nostrę curię claustrali, in qua nos cum familia nostra habitabamus contiguas, titulo emptionis conquisitas in unam conpegimus curiam, quę a fine portę, quę est uersus occidentem, duas continet areas, unam stabuli, alteram coquinę edificiis occupatam, portę contiguam a quadam uidua Hildegunda nomine, illius uero collateralem a quodam Cůnrado de Dingoldeshusen conparatam. Item ex opposito uersus orientem duas habet areas, predictis duabus occidentalibus oppositas, et ex latere a columna angulari prefatę curię claustrali conterminas. Quarum altera, habens capellam et contiguam sibi caminatam, a quodam Hertwico, qui cognominabatur Schute, reliqua uero meridiana, reliquis ędificiis continuis occupata, a quodam Heinrico, Crehse cognominato, coempta est. Has itaque areas in unam ut supradiximus

curiam compactas, et tria iugera uinearum Gozboltestof sitas, a quodam Arnoldo, Gracul cognominato, coemptas in nostrum nepotem Gerlacum iure hereditario transmisimus, qui eam libere et quiete possideat, et fratribus de domo inde annuatim in anniuersario nostro talentum pro salute animę nostrę et parentum nostrorum persoluat. Post cuius mortem prefata curia cognato suo magis propinquo eadem lege cedat, si successorem canonicum seu clericum non habeat. Hec igitur ut rata et inconuulsa in perpetuum permaneant presentis scripti pagina confirmauimus eisque auctoritatem impressione sigilli nostri dedimus. Si quis igitur ea in posterum aliqua suę temeritatis presumptione seu mali ingenii dolo infringere uel infirmare attemptauerit, anathema sit maranatha. Testes: Persius decanus, Gotefridus cantor, Albertus custos, Heinricus prepositus de Honoldesbach, Cůnradus portenarius, Cůnradus cellerarius, Johannes scolasticus, Bertoldus prepositus, Heinricus Uacardus, Eberhardus de Marmore, Wernherus prepositus, Sigelogus prepositus, Engelhardus Gruo, Bruno, Heinricus filius camerarii. Laici: Heinricus de Trimperch et frater suus Boppo, Ludewicus de Frankenstein et frater suus Sigeboto, Boppo de Lihtenberch et frater suus Goteboldus, Rupertus de Durne, Albertus de Tungeden, Sigeboto de Zimberen et frater suus Trageboto, Cůnradus de Bokkesberch, Cůnradus de Nuwenburch, Craft de Retersheim. In Wirceburch: Boto, Heinricus scultetus et filius suus Heinricus, Billungus scultetus et filius suus Ekkehardus, Wernhardus, Adelhun, Billungus de Gutenbiegen et frater suus Kadelohus, Hermannus Wolfolt et frater suus Heinricus. Acta anno dominicę incarnationis M^o^. C^o^. LXXVI°., indictione VIIII^a^., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Frederico, Boppone urbano comite existente.

Sigillum Regenhardi episcopi impressum maiori ex parte deperditum est. Pars residua repraesentat episcopum sedentem, habitu pontificali indutum, dextra pedum tenentem, cum inscriptione: . . . . CEBVRGENSIS ECC . . . .

CXXIII.

Anno 1176.

Adelbertus ecclesiae wirzeburgensis custos cubicula in porticu ecclesiae sumptibus suis aedificata quibusdam hominibus erga censum cerae et piperis annuatim persolvendum concedit.

C. In nominę sanctę et indiuiduę trinitatis. Ego Adelbertus dei gratia in ecclesia wirceburgensi canonicus et custos notum esse desidero omnibus tam presentis quam post futuri eui Christi fidelibus quod cum unanimi dominorum et confratrum meorum consensu sex cubicula in porticu ęcclesię meis sumptibus edificari disposui. Illis quoque edificatis, quibusdam hominibus ea in beneficio concessi, ea scilicet lege, quod quilibet eorum de suo cubiculo in purificatione beatę Marie X. libras purę cerę et X. minus purę in festo beati Kiliani martiris Christi ad facienda luminaria in honore domini nostri Jhesu Christi et genitricis suę beatę Marię et omnium electorum suorum conburenda, et insuper libram piperis annuatim persoluat. Ludewicus vero de area, quam possedit, qui de suis et non meis sumptibus edificauit, in cęna domini XXXVI. libras purę cerę et VI. libras piperis in natiuitate domini singulis annis persoluet. Illud eciam statutum est, quod nullus successorum meorum eosdem homines aut successores eorum ad censum ulteriorem constringendi potestatem habeat, et ipsi, canone ęcclesię constituto saluo remanente, ad suos heredes predicta cubicula transferendi libertatem habeant. Vt igitur in posterum rata et inuiolabilis huiusmodi nostra dispositio permaneat, sigillo ęcclesię nostrę et testibus subscriptis corroborata est et communita. Isti sunt testes:

decanus	cantor	scolasticus	prepositus	de Muleberc prepositus
Persius,	Gothefridus,	Johannes,	Bertoldus,	Sigefridus, Boto

totusque conuentus. Acta sunt hec anno domini M°. C°. LXXVI°., indictione IX, Friderico imperatore regnante, Regenhardo wirzeburgensi sedi presidente, Boppone vrbano comite existente.

Sigillum collegii sancti Kiliani de domo impressum bene conservatum est.

CXXIV.

Anno 1179.

Collegium sancti Kiliani notum facit, quod sacerdos quidam Cuonradus aream quandam et vineam in Graz pro anniversario suo celebrando super reliquias b. Kiliani tradidit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Nouerint omnes Christi fideles tam presentes quam post futuri quod sacerdos quidam Cůnradus nomine, natione Sueuus et domini Eberhardi de Marmore in ęcclesia sancti Petri, in suburbio sandensi sita, uicarius aream quandam predictę ecclesię adiacentem argento suo apud Volcnandum aurificem comparauit et magnis suis sumptibus eam edificari disposuit. Preterea uineam in Graz sitam a Heinrico Sinistro conquisiuit et utramque, uineam uidelicet et curiam predictam, super reliquias beati Kyliani martyris Christi pro remedio animę suę et parentum suorum pia mentis deuotione contradidit, eo scilicet pacto quod ipse quoad uixerit de prenominata curia et uinea dimidiam cerę libram annuatim in festo sancti Kyliani persoluat. Post obitum uero ipsius quicunque in supra dicta ęcclesia uicem pastoris est accepturus, curiam prefatam inhabitabit et ad celebrandum prefati Cůnradi anniuersarium fratribus sancti Kyliani de domo duos tritici modios et urnam uini de curia et uinea singulis annis persoluet et insuper lumen de sepo, quod qualibet nocte usque ad clarum diem coram altari sancti Petri in Sande ardeat, debebit persoluere. Ut igitur in posterum huius constitutionis nulla fieri possit obliuio et ut canon constitutus augeri siue diminui non ualeatur, hęc presens cartula sigilli nostri impressione et testibus subscriptis est confirmata.

Isti sunt testes: Perseus decanus, Adelbertus custos, Gothefridus cantor, Heinrichus Uachardus, Eberhardus de Marmore, magister Vlricus, Cvnradus cellerarius. Laici: Boto, Heinwicus Albus, Heinricus scultetus et filius suus Heinricus, Otto et frater suus Arno,

Marquardus Autumpnus et filii sui Rudegerus et Gernodus, Emehardus et frater suus Rudegerus, Dietmarus Calibarius, Manegoldus et alii quam plurimi.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M^{o}. C^{o}. LXX°. VIIII°., indictione XII^{a}., regnante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, Regenhardo wirzeburgensis ęcclesię episcopo existente, Boppone comite.

Sigillum collegii sancti Kiliani de domo impressum adest.

CXXV.

Anno 1180.

Regenhardus wirceburgensis ecclesiae dispensator notum facit, quod Wezelo canonicus Bopponi comiti de Hennenberch et Botoni de Foro pro cedenda advocatia de bonis in Sulzdorf confratribus eiusdem quinquaginta libras argenti dedit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Regenhardus wirceburgensis ęcclesię humilis dispensator, ex hoc nunc et in omne tempus cunctis in Christo credentibus. Quanto ampliori et uehementiori inportunitate quorundam hominum et precipue aduocatorum grassatur temeritas, ut res ecclesiasticas tum ui tum fraude diripiant, tanto utique propensiori diligentia et abundantiori ca[utione] utendum est. Huius itaque necessitatis intuitu Wezelo de domo sancti Kyliani canonicus L. libras argenti partim urbano comiti nostro, Bopponi uidelicet de Hennenberch, partim Botoni de Foro persoluit, ut aduocatiam bonorum in Sulzdorf, quę predictus Wezelo pro certo canone nomine ęcclesię tenebat, in manus nostras resignarent et fratribus ius aduocatię in integrum a nobis concedi permitterent, hac uidelicet conditione, ut quicunque fratrum sancti Kyliani predictorum bonorum in posterum possessor existeret, omne ius ad-

uocatię cum ipsis bonis quiete et sine omni grauedine possideret. Prefatus uero Wezelo duos mansos de eisdem bonis consensu et uoluntate decani et omnium fratrum episcopatui nostro delegauit, quos nos predicto urbano comiti pro reconpensatione aduocatię concessimus, ut profecto huiuscemodi contractus tanto ualidiorem et stabiliorem firmitatem sortiretur, quanto recompensatione et concambio duorum mansorum omnis occasio repetendę aduocatię in posterum tolleretur. Quia igitur omnis hec res bona fide et iusto titulo permissione etiam et uoluntate omnium illorum, quorum sua intererat rationabiliter est perpetrata et sollemniter consummata, dignum duximus presentis paginę seriem sigilli nostri impressione signari, ut videlicet tanto esset ad reuocandum difficilior, quanto niteretur multimoda firmitate stabilior. Quicunque uero contractum hunc tam rationabiliter tam salubriter perfectum perperam conmutare aut infirmare aut postremo quoquo modo uiolare presumpserit, apostolicę excommunicationis et nostri anathematis uinculo se non dubitet innodatum. Testes sunt: Gotefridus imperialis aulę cancellarius et maioris ęcclesię prepositus, Persius decanus, Albertus custos, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Cůnradus cellerarius, prepositus Bertoldus, Heinricus Uacardus, Eberhardus de Marmore, cęter ...... Laici: Manegoldus de Tuncdorf et filij eius Manegoldus et Bertoldus, Boppo et Heinricus de Trimberch, Otto .... Wipfelt, Heinricus scultetus et filius suus Heinricus. Acta anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXX°. indictione XIII^{a}., regnante domino Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore.

Sigilli impressi pars dimidia periit.

CXXVI.

Anno 1180.

Judeus quidam de Rotenburch aream, quam ab Ekkehardo Comite filio Billungi sculteti emerat, ecclesiae wirceburgensi delegat.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Notum sit omnibus tam presentis quam post futuri ęui fidelibus, quod Judeus quidam de Rotenburc, Sanuel Biscoph nomine, aream quandam adiacentem curię Billungi sculteti, ab Ekehardo Comite, filio ipsius Billungi, simul cum ędificiis pro centum marcis emit et per manus salemannorum suorum, quorum fidem in hoc contractu ipse sequtus est, eandem aream simul cum ędificiis, quę modo in ipsa sunt uel in posterum in ea fieri possunt, ad altare preciosi martiris Kyliani et sociorum eius legitime delegatam contradidit, hac duntaxat lege, vt tam ipse quam heredes sui uel ad quemcumque prenominatam curiam supradictus Judeus transferre uoluerit, in festo sancti Kyliani VIII°. nummatas cerę annis singulis persoluat et sic eandem curiam quiete et sine omni molestatione nomine ęcclesię possideat, et siue ipse eam inhabitare siue alicui ad inhabitandum locare uoluerit, liberam potestatem hoc faciendi habeat, dum tamen ęcclesię canon constitutus soluatur. Quum autem curia sepenominati Ekehardi huic continuata fuit, diligentissima circumspectione presente Gotefrido de Crutheim, qui tunc portenarius fuit, Heinrico sculteto, Heroldo camerario, Hermanno Woluoldo, Helenwico Albo, Ottone et fratre suo Arnone cum uoluntate utriusque partis sic curię illę distinctę fuerunt, ut Judeus a fine caminatę suę usque ad proximam caminatam adiacentem habeat potestatem edificandi qualiter uoluerit, ita tamen quod stillicidia sui edificii aream predicti Ekehardi nullatenus tangant, nec stillicidia Ekehardi aream Judei aliquatenus attingant; habeat etiam Judeus potestatem in edificiis suis erigendi fenestras uersus curiam Ekehardi unius ulnę altas et unius ulnę

amplas; fenestre autem a pauimento Judei sic exaltentur, ut in curiam Ekehardi nullatenus prospectum habeant, nec Ekehardus uel heredes sui aliqua ratione illas obstruant, et si ex magna necessitate aliquid ibi edificare uoluerit, murum vero duodecim pedes in longitudine habentem a superiori fine caminatę usque ad portam, qua exitur ad superiorem plateam, Ekehardus et Judeus communem habeant; et si forte corruat, communiter ipsum erigant et Ekehardus potestatem habeat in murum trabes ponendi, ita ut trabes ex parte Judei murum non transeant; eandem potestatem Judeus in muro habeat. Si autem Ekehardus eundem murum exaltare uoluerit, hoc ei liceat sine contradictione Judei uel heredum suorum; id ipsum liceat Judeo nullo contradicente. Canale Ekehardi, sicut super murum iacet, iaceat. Ne autem hanc traditionem ecclesię maiori tam legitime factam et tam diffinitiue distinctam aliquis malignator arte uel dolo, vel aliquo captioso ingenio infringere uel infirmare attemptet, ecclesia maior, cuius nomine eadem curia nunc possidetur et semper possidenda est, presentis paginę scripto confirmare et sigilli sui impressione premunire curauit. Testes de clero hii sunt: Gothefridus maior prepositus, Perseus decanus, Albertus custos, Gothefridus scolasticus, Gotefridus cantor, Heinricus Vachart, Eberhardus de Marmore, Albertus de Phuzeche, Cůnradus cellerarius, Fridericus Contus. Acta sunt hec anno incarnationis dominicę M°. C°. LXXX°., indictione [X] III^{a}., regnante Friderico imperatore, Regenhardo tunc existente episcopo, Boppone de Hennenberc in Wirzeburc burcgravio.

Sigilli collegii St. Kyliani de domo impressi dimidia tantum pars superest.

Editum a Doct. F. X. Wegele, in tractatu: Der Hof zum Grafen-Eckard zu Wirzburg und Graf Eckard. Wirzburg 1860. 8°. pag. 21 Nr. 2.

CXXVII.

Anno 1180 c.

Adelbertus wirzeburgensis ecclesiae thesaurarius quosdam agros in Bertheim, ad custodiam pertinentes, cuidam incolae ibidem hac conditione dimittit, ut curiam ibidem ecclesiae wirzeburgensi traderet.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Adelbertus dei gratia wirzeburgensis ecclesię thesaurarius notum esse cupio tam presentibus, quam postfuturis Christi fidelibus, qualiter ego quosdam agros in Bertheim ad custodiam pertinentes curiaque carentes, quorum agrorum summa est hec: in uno campo XL, in secundo XX, in tercio decem et octo, cuidam Billungo eiusdem uillę incolę sub ea conditione dimisi, ut ipse curiam quandam in media uilla Bertheim sitam ad reliquias beatorum martyrum Kyliani et sociorum eius traderet et post modum de curia et de agris sibi dimissis singulis annis octo modios siliginis et IIII^or. tritici et unum pisę custodi persolueret, quod predictus uir libenti et prono affectu se conpleturum promisit, et ne ullo unquam in tempore talis contractus cassari posset, priuilegio confirmari postulauit. Constitui quoque, ut heredes eodem gaudeant statuto, ita tamen, ut nunquam ad plures personas transeat, sed una tantum habeat. Byllungo itaque premortuo, si uxor eius superstes fuerit, ipsa habeat, qua defuncta filius eius Byllungus habeat; qui si decesserit sine herede, altera filiarum habeat. Ad confirmationem autem huius rei hanc cartulam conscribi feci, quam sigilli sancti Kyliani impressione signatam ita confirmaui, ut nullus que in ea statuta inueniuntur, cassare presumat. Testes autem sunt hii. Clerici: Perseus decanus, Gothefridus cantor, Sigefridus de Mvleburch, Cvnradus de Wroburch, Hermannus de Cazenellenbogen, Gothefridus de Crutheim, Cunradus cellerarius. Laici: de Blechahe duo Trutmanni, similiter Adelbertus, Erkenbertus et frater suus Heroldus, Rycolf[us] . . um Fridericus qui facit sellas, Adelbero.

Sigillum impressum collegii S. Kiliani de domo satis bene conservatum est.

CXXVIII.

Anno 1181.

Comoposito litis Gotefridum imperialis aulae cancellarium maiorisque ecclesiae praepositum inter et Gozwinum abbatem collegii in Bergen super decimis de curia Lucelenuelt ab eodem Gotefrido iniuste exactis.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Notum esse uolumus tam presentium quam futurorum industrię, qualiter communi consensu fratrum nostrorum inter dominum Gotefridum imperalis aule cancellarium maiorisque ęcclesię prepositum et dominum Gozwinum venerabilem abbatem sancti collegii in Bergen pro quadam inter eos controuersia transactum sit. Predictus etenim cancellarius et prepositus de quadam curia, Lucelenuelt nominata, quam idem religiosi fratres iusto concambio possederunt, de nutrimentis animalium suorum decimas exigebat. Et licet prenominatus abbas et fratres sui priuilegio sanctę romanę ęcclesię se tuori potuissent et priori permutatione, quę hac lege inter eos et ęcclesiam nostram facta fuerat, ne aliquę decimę de nutrimentis animalium eorum ab eis exigerentur, tamen pro bono pacis, ne aliqua deinceps altercatio inter eum et suos successores et futuros prepositos super hac re oriri posset, consilio uenerabilis domini nostri Regenhardi tunc episcopi et aliorum uirorum discretorum tam clericorum quam laicorum de paupertate sua congrua rerum estimatione predicto preposito et cancellario aliqua sicut inter se tunc deliberatum est, mobilia contulerunt, ut de reliquo nullas decimas uel de animalibus, quę infra ambitum curię predictę nutriuntur, uel de aliis aliquibus rebus infra eundem ambitum crescentibus persoluerent. Vt autem hęc transactio rata et inconuulsa tam apud nos, quam apud posteros nostros habeatur placuit per impressionem sigilli ęcclesię nostrę corroborari. Hij testes. De canonicis: Perseus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Heinricus Vachardus, Eberhardus de

Marmore, Gotefridus portenarius, Gerlacus archidiaconus, Wernherus prepositus de Monte. De laicis. Liberi: Albertus de Salecge, Rvpertus de Dume, Cůnradus de Buchele. Ministeriales: Boto de Foro, Engilhardus de Bibelriet, Ekehardus Comes, Heinricus scultetus et filius eius, Heinricus de Bùtheriet, Adelhalmus, Heroldus Paruus. Acta sunt hęc anno incarnationis dominicę M°. C°. LXXXI°., indictione XIIII^a., presidente sanctę romanę ęcclesię Alexandro III°., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone burgrauio in Wirceburc.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum bene conseruatum est.

CXXIX.

Anno 1181.

Collegium sancti Kiliani domum a burgensi quodam Walthero cognomine Phrimo resignatam Samsoni Judaeo erga canonem annuum tradit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani. Ex processu temporis obliuionem rei gestę nec sepius iteratę nasci considerantes et ignorantiam ex desuetudine frequenter fieri cogitantes in futurum utiliter precauimus posteritatis nostrę utilitati congrue prouidimus. Inde est quod tam presentis quam post futuri eui in Christo fidelibus huius actionis seriem notam esse desideramus, videlicet qualiter quidam burgensis noster nomine Walthervs cognomine Phrimo, domum quandam domui cuiusdam Samsonis Judei contiguam, ecclesię nostrę pro annuo canone scilicet duobus modiis tritici et quinque quartalibus uini attinentem, iusta et quieta in possessione habuit, quam idem Walthervs et uxor sua unanimi consensu nobis resignauerunt et in manus fideicommissariorum uidelicet Gothefridi scolastici et Heinrici

Vachardi, Bothonis de Haselstein et Teodorici de Bebenburc predicto Samsoni Judeo et heredibus suis pro eodem annuo canone obtinendam nobis presentibus dederunt, ea tamen condicione, ut Judeo uel suis successoribus liceret fenestras facere in eadem domo, tamen adeo altas, ne in domum prefati Waltheri spectaculum de ipsis fieret, nec idem Walthervs uel heredes sui aliquibus edificiis lucem eisdem fenestris obstruerent. Ipse uero Judeus a manu domini Persei decani nostri eandem domum hac lege pro eadem oblatione recepit, ut ad quemcumque uellet eam transferre posset, saluo tamen statuto canone ecclesię nostrę. Vt autem huius actionis pagina rata in perpetuum sit et inconuulsa inpressione sigilli ecclesię nostrę est corroborata, et si aliquis malignandi causa contra prenominatum Judeum et suos successores in hoc facto rationabiliter statuto in posterum uenire presumpserit, canonici tunc temporis uiuentes omnibus modis se illi opponant et iam dicto Judeo uel successoribus suis domum illam obtineant et ab ecclesia eam alienari non permittant, ipse etenim Samson Judeus securus de nostra tuitione contra quemlibet eandem domum a sepedicto Walthero et uxore sua Albrada argento suo satis care comparauit. Huius rei testes sunt hii. De canonicis: Gothefridus cantor, Gothefridus scolasticus, Heinricus Vachardus, Eberhardus de Marmore, Albertus de Phuziche, Cůnradus cellerarius, Cůnradus de Vroburc, Vlricus Sueuus, Eberhardus Duringus, Ekehardus de Gundersleibe, Berngerus de Cimbere, Heinricus Paniculus et alii quam plures. De laicis: Heinricus scultetus et filius eius, et alius scultetus, Heinricus de Butherieth, Otto et Arno frater suus, Erchenboldus, Růtwicus et quam plures. Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXI°., indictione XIIII^a., presidente sanctę romanę ecclesię Alexandro III°., Regenhardo wirzeburgense episcopo existente, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico, Boppone burgrauio in Wirzeburc.

Sigillum collegii sancti Kiliani de domo impressum et bene conservatum.

CXXX.

Anno 1181.

Regenhardus wirzeburgensis episcopus testimonio suo corroborat, quod Rögerus sacerdos ad wirceburgensem parrochiam vocatus curiam quandam super altare sancti Georgii delegavit eo pacto, ut omnes wirzeburgensem parrochiam habituri eam inhabitent et censum inde annuum fratribus novi monasterii persolvant.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Nouerint omnes tam presentes quam post futuri Christi fidelę, quod ego Regenhardus per gratiam dei wirzēburgensis episcopus hanc cartam fieri et per eam posterorum noticię fecerim insinuari, qualiter Röggerus sacerdos uenerabilis de Reinolteşberge ad wirzeburgensem uocatus parrochiam cum eam nulla curticula dotatam esse cognosceret, saluti animę et sucessorum suorum commoditati in posterum prospiciens curiam unam, de qua dominis de nouo monasterio a Dietmaro felicis memorię aliquando in eodem monasterio canonico quinque solidi, ut annuatim dentur, erant constituti, argento suo comparauit et omne ius eiusdem curię, quod in ea comparare potuit, piissima mentis deuotione super altare sancti Georgii martiris Christi delegauit, eo uidelicet pacto, quod omnes successores sui wirzeburgensem parrochiam habituri predictam curiam inhabiteat et censum prenominatum confratribus de nouo monasterio annuatim in die constituto indubitanter persoluant. Ut autem in posterum huiusmodi delegatio rata et inuiolabilis permaneat, sigilli nostri impressione et testibus subscriptis corroborata est et communita, hoc adiecto, quod omnes, qui huius urbis parrochiam habuerint, a manu qui tunc in nouo monasterio decanus extiterit, supradictam curiam recipient et sicut predictum est, canonem constitutum annuatim persoluant. Isti sunt testes: Persius decanus de domo, Gotefridus cantor, Eberhardus archidiaconus, Dietericus de Bebenburc, Cŏnradus de Vreburc, Richolfus, Cŏnradus cellerarius, Heinricus Vachardus, Eberhardus Cal-

uus, Gerhardus decanus noui monasterii, Arno custos, Emecho, Adelbertus cantor, Burkardus, Adelhunus, Cŏnradus Roccolfus. Laici: Heinricus et Heinricus sculteti, Otto et frater suus Arno, Werenhardus, Adelhunus, Heinricus Orphanus, Helewicus Albus et alii quam plurimi. Facta est hęc delegatio anno dominicę incarnationis millesimo centesimo octogesimo primo, indictione quarta decima, imperante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore, Boppone comite wirzeburgensis urbis prefecturam tenente et regente.

Sigillum impressum Regenhardi optime conservatum, hunc episcopum repraesentat sedentem, habitu pontificali indutum, tenentem dextra pedum, sinistra librum evangeliorum in quo „PAX VOB . .“ legendum, cum inscriptione: „† REGENHARD⁹ DI. GRA WIRCEBVRGENSIS ECCLE EPC“.

CXXXI.

Anno 1182.

Collegio sancti Kiliani de domo testante Judaeus Samuel curiam quandam in platea Judaeorum Wirceburgi ab Engelhardo de Bibelrieth Bopponi burgravio et ab hoc Reinhardo episcopo resignatam, ab hoc autem ecclesiae maiori traditam, a custode erga annuum censum recipit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Notum sit fidelium uniuersitati, Judeum quendam Samuelem nomine rebus suis apud Engelhardum de Bibelrieth hoc obtinuisse, quod ipse aream quandam in ciuitate wirzeburgensi et in platea Judeorum sitam, qua a Boppone burgrauio inbeneficiatus erat, eidem burgrauio resignauit. Eandem quoque aream dominus noster wirzeburgensis ęcclesię episcopus a burgrauio sibi resignatam ęcclesię nostrę contradidit, eo pacto, quod predictus Judeus a manu Adelberti ęcclesię nostrę custodis eam reciperet, annuatim in festo sancti Kyliani duo talenta cęrę daturus. Eadem etiam area uersus orientem attingit paludem,

que dicitur Rigol, uersus occidentem attingit stratam Judeorum, uersus meridiem attingit uicum unum, qui tendit uersus orientem, non tamen plenarie ad prefatam paludem. Attingit quoque eadem area uersus septentrionem domum Samuelis de Nŏrenberc. Hac igitur area a predicto Samuele suis sumptibus ędificata et a prefato custode ęcclesię nostrę sibi et suis heredibus suscepta dominus noster Reinhardus, nostrę ęcclesię episcopus, hoc adiecit, quod si forte prenominatum Judeum uel heredes suos predictam aream possessuros rerum inopia preoccupauerit, prefatam aream uendendi liberam habeant potestatem, ita tamen quod census supradictus ęcclesię nostrę saluus remaneat. Ut igitur rata et inuiolabilis huiusmodi constitutio permaneat, sigillo ęcclesię nostrę corroborata est et communita. Isti sunt testes: Adelbertus custos, Gotefridus cantor, Werenherus prepositus, Cŏnradus de Froburc, Heinricus de Niwenburc, Engelhart Grue, Eberhart Caluus, Berno Caluus. Laici: Wolfram de Zabelstein et frater suus Cŏnradus, Engelhardus de Bibelrieth, Eggehardus Comes, Heroldus in Foro, Guntherus de Osterburc, Gerhardus de Osterburc, Adelhunus pincerna, Heinricus de Binczfelt, Arno de Wirzeburc. Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXII°., indictione XV^a., regnante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore, Boppone comite.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum adest.

CXXXII.

Acta anno 1182, 5. April.

Recognita et confirmata 1183, mense Februario in monasterio cellensi.

Regenhardus wirzeburgensis episcopus manumissionem Richeidae, quam Eckehardus, vicem praefecturae gerens, petente genitore suo Billungo tribuno, super reliquias b. Kyliani tradiderat, approbat ac confirmat.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Regenhardus dei gratia wirzeburgensis episcopus feliciter amen. Quoniam uelocitate

temporum nunquam in eodem statu permanencium facile euanescit memoria mortalium, ea que geruntur litteris annotantur, ne aut uetustate temporum pertranseant, aut pro svi uarietate tenebris ignorantie uel obliuionis obuoluta extenuentur uel euanescant. Igitur presentis pagine testimonio scire debet omnium fidelium dei et nostri tam presens etas quam futura successio, qualiter quidam Eckehardus conciuis noster, uicem prefecture gerens, quandam bone yndolis iuuenculam nomine Richeidam iure quidem proprietatis, set linea consanguinitatis sibi deuinctam inter alios homines paterna hereditate ad eum deuolutus possedit, quam petente ipso genitore suo Billungo tribuno, dum in extremis iam esset positus, pro sui memoria a proprio dominio absoluere et manumissam omnipotenti domino et sanctis eius obligare pia sollicitudine deliberauit. Itaque cum iuxta desiderium suum et uotum iam esset in procinctu itineris beati Jacobi apostoli, habito quorundam dominorum canonicorum de maiori capitulo et fidelium amicorum suorum prouido sane consilio coram ydoneis testibus, clericis uidelicet et laycis, eandem cognatam suam in propria persona sua presentauit et ammonitis primum, ut fieri solet, fideicommissariis rerum suarum, qui in presentiarum erant, per fiduciariam manum cognatorum suorum Erkenbaldi uidelicet et Wicmanni, filii sororis eius, ut occasionem alieni dominii ab ea prorsus ammoueret, non super altare sed super preciosas gloriosi martiris Christi Kyliani reliquias, ab altari pro tempore translatas, eandem Richeidam cum omni posteritate sua libera ac propensa uoluntate contradidit. Statuit autem, ut quecumque concors congregatio maioris capituli in decanum sibi creauerit, eius nimirum potestati omniumque succedentium in eius loco decanorum patrocinio pariter et officio eadem femina cum omni successione sua commissa obediens et subdita sit. Eo tamen tenore, ut tam ipsa, quam omnis, qui in posteritate ipsius maior natu existat, annuatim in uigilia natalis dominici pro indicio sue subiectionis suique iuris dimidium talentum piperis domino decano indubitanter persoluat. Deinceps uero inmunis ab omni seruitute existens nullius aduocati, nullius omnino priuate potestatis iuri respondeat, ymo nec ipso .. decano super id, quod ei constitutum est, ulla eum exactionis iniuria angariari liceat, verum postquam

migrauit, optimum uestimentum eius in vsum .. decani cedat, reliqua uero bona ipsius liberi liberorumque eius successio cum omni integritate accipiens iure prescripto possideat. Hec autem traditio eis ferme diebus, quibus uocatione domini Lucii tertii eius nominis pape Romam ieramus, post reditum nostrum nobis recognita est, sacro maioris domus clero suggerente, et ut factum approbaremus pariter ac confirmaremus expetente ex prefati fidelis nostri Eckehardi, qui iam tunc aberat, petitione. Quorum uotis aspirantes, ut res acta tam moderni temporis, quam etiam futuri fidelibus manifestior fieret ac certior, super hiis presentem cartulam fecimus conscribi et aut cautelam seu defensionem predicte Richeide et posteritatis eius sub banni nostri auctoritate firmatam et testium, qui interfuerunt, astipulatione roboratam sigillo nostro iussimus insigniri. Testes: dominus Perseus decanus et archydiaconus, Gotefridus cantor et archidiaconus, Eberhardus de Marmore archidiaconus, Conradus cellerarius, Boto prepositus, Diethericus prepositus, Conradus de Froburg, Richolfus, Folcnandus, Berngerus de Cimbere, Gerlach, Engelhardus, Heinricus, Conradus Reis, Heinricus Caseus, Perseolus, Dythericus Flos, omnes hii canonici maioris ecclesie. Heinricus Bolo, Frowinus et Heroldus vicarii, Heinrich tribunus senior, Heinrich filius eius, Arn et Otho fratres, Bernolf et Altwin fratres, Helenwic Albus, Arno, Johannes, Yring de Curnaha et filii eius Heinrich et Yring, Heinrich de Espelbach, Hug, Růtwig, omnes isti ministeriales. Sintram, Otto theolonearius, Otto de Razzahe, Wolfhun, homines Ekkehardi Comitis et alii plures. Acta sunt hec anno domini M° C° LXXXII°, indictione XV., imperante domino Friderico augusto, Boppone prefecto, nonas Aprilis, secunda uidelicet feria post octauam pasche, Eckehardo ad uisitanda limina beati Jacobi ipsa die ad uesperem proficiscente, recognita uero et confirmata sequenti anno, mense Februario, in Cellensi monasterio.

Ex libro copiali Bebenburg.

CXXXIII.

Anno 1183.

Reginhardus episcopus statuit, ut prepositurae ecclesiarum in Hauge, Onoldisbach et novi monasterii sicut et beneficia archidiaconatuum suorum solummodo canonicis ecclesiae suae conferantur.

C. Jn nomine sancte et indiuiduę trinitatis. Regenhardus dei gratia wirzeburgensis ecclesię dispensator humillimus omnibus Christi fidelibus ex hoc nunc et in omne tempus ueram in uero salutari salutem. Quamquam omnium ecclesiarum sub nostrę dyocesis iuridicione positarum curam et sollicitudinem agere ex iniuncto nobis teneamur officio maioris tamen ęcclesię de domo sancti Kyliani uenerabilem conuentum tanto ampliori affectu dilectionis et benignitatis amplectimur, quanto nobis propinquiori familiaritatis et deuotionis effectu coniungitur. Inde est, quod speciali quadam prerogatiua prefatam ęcclesiam de domo dignum duximus honorare et sublimare statuentes, ut nec a nobis nec a nostris successoribus prepositura sancti Johannis in Hŏga, prepositura noui monasterii, prepositura in Onoltisbach et beneficia archydyaconatuum nostrorum aliquibus personis preter eiusdem matricis ęcclesię canonicis conferantur, cum profecto et hoc ipsum antiquę et bonę consuetudinis obseruantia usque ad tempora nostra rationabiliter et ordinabiliter perduxerit. Rationabile siquidem esse arbitrabamur, ut his potissimum ecclesiasticę dignitatis officia prestarentur, qui in ęcclesiasticis negociis et canonicis institutis maxime instructi et exercitati esse uiderentur, quique regimini et curę animarum debita diligentia et sollicitudine iniuncta propensius insistere niterentur. Speramus autem, immo fiducialiter de gratia et karitate successorum nostrorum presumimus, nichil eos uelle uel debere rescindere, quod humilitatem nostram iusta et congrua ordinatione uiderint peregisse. Vt autem nostre constutionis series, quę scripto presentis paginę continetur, perpetualiter rata et inconuulsa permaneat, sigillo eam humilitatis

nostrę fecimus consignari, sub diuinę ulcionis districtione et contestatione prohibentes, ne quis ausu temerario presumat in irritum ducere aut quoque modo infringere, quod tam rationabili dispositione constat perpetratum fuisse. Testes: dominus Gotfridus maioris ęcclesię decanus, Gotfridus scolasticus, Gotfridus cantor, Theodericus prepositus, Heinricus de Nuuinburc, Eberhardus de Marmore, Adelbertus Pfuziche, Richolfvs, Fridericus Colbo, Engilhardus, Folcnandus, Cůnradus de Froburc, Cůnradus cellerarius, Boto prepositus ac postremo tocius capitali fratres. Actum anno MCLXXX°. III°. dominicę incarnationis, indictione I^a., imperante domino Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, presidente wirzeburgensi ęcclesię Reginhardo venerabili episcopo, Boppone existente burgrauio.

Sigillum Reginhardi impressum adest.

CXXXIV.

Anno 1184.

Collegio sancti Kiliani testante Eberhardus sacerdos in Versbach curiam in platea Sti. Georgii eidem delegat, sic ut post ipsius obitum monasterio in Kitzingen cedat.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Sciant et recognoscant uniuersi tam presentes quam post futuri Christi fideles, quod homo quidam Cůnradus nomine et uxor sua Gůta curiam suam in platea sancti Georii sitam Eberhardo sacerdoti in Versbach acceptis ab ipso triginta marcis pari consensu contradiderunt et hanc tradicionem per manum salmanni sui Bottonis confirmauerunt. Eandem quoque curiam prenominatus sacerdos super reliquias sancti Kyliani martyris Christi per manum prefati Botonis delegauit, ea scilicet lege ut ipse, quoad uixerit, de predicta curia fratribus sancti Kyliani de domo

urnam uini annuatim in festo sancti Burchardi persoluat, post obitum uero supra dicti Eberhardi predicta curia in usum dominarum in Kizzingen deo seruientium cedat, ita tamen quod ipsę canonem constitutum et supra dictum in anniuersario iam sepius dicti Eberhardi annuatim persoluant. Vt igitur in posterum huius constitutionis nulla fiat obliuio, hęc cartula nostri sigilli impressione et testibus subscriptis corroborata est et communita.

Isti sunt testes: Gothefridus cantor, Heinricus Vachardus, Eberhardus de Marmore, Cv̊nradus de Froburc, Theodericus prepositus, Gothefridus scolasticus, Eggehardus, Berngerus de Cimbern, Heinricus camerarius. Item laici: Heroldus Rufus, Arno, Johannes, Wernhardus, Adelhunus, Hugo de Cellingen, Adelbero et alii quam plurimi.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis Mo. Co. LXXXIIIIo., indictione IIa., regnante Friderico gloriosissimo romanorum imperatore, wirzeburgensis ęcclesię episcopo existente, Boppone comite.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum adest.

CXXXV.

Anno 1184.

Collegio sancti Kyliani testante Judaeus nomine Vivis vineam in Steinbach super reliquias sancti Kiliani delegat.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Agnoscat et recolat uniuersa Christi fidelium ęcclesia, Judeum quendam Viuis nomine et uxorem suam nomine Saram spe defensionis et gratię uineam sex iugerum in Steinbach sitam per manum fideicommissarii sui Botonis super reliquias sancti Kyliani martyris Christi delegasse ea scilicet conditione, ut annuatim dominis de domo modius tritici de ea in festo sancti

Michahelis persoluatur. Preterea si prenominatum Judeum et suos heredes uel fames uel alia qualiscumque necessitas forte grauauerit, predictam uineam uendendi, cuicumque uoluerint, potestatem habeant, ita ut canon ecclesię nostrę constitutus saluus remaneat. Vt igitur in posterum huius delegationis nulla fieri possit oblivio, hęc presens cartula sigilli nostri impressione et testibus subscriptis est confirmata.

Isti sunt testes clerici: Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Cůnradus de Froburc, Dietericus de Bebenburch, Engelhardus, Fridericus Contus, Gerlacus, Cůnradus portenarius, Ekkehardus. Item laici: Heinricus scultetus, Ekkehardus scultetus, Heroldus de Foro, Nidungus et frater suus Walteber, Helenwicus Albus, Otto et Arno frater suus.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXIIII°., imperante Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore, Regenhardo wirceburgensis ęcclesię episcopo existente, Boppone wirceburgensis urbis prefecturam tenente et regente.

Sigillum impressum collegii sancti Kyliani de domo adest.

CXXXVI.

Anno 1184.

Testante collegio sancti Kiliani Judaeus cognominatus Vivis domum suam super reliquias S. Kiliani delegat.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Agnoscat et recolat uniuersa Christi fidelium ęcclesia, Judeum quendam Viuis nomine et uxorem suam nomine Saram domum suam in qua habitant, spe defensionis et gratię per manum fideicommissarii sui Botonis super reliquias sancti Kyliani martyris Christi delegasse, ea scilicet conditione ut annuatim in uigilia beati Nicolai duas cęrę libras ęcclesię nostrę persoluant. Pre-

terea si prenominatum Judeum et suos heredes uel fames uel alia qualiscumque necessitas forte grauauerit, domum predictam uendendi cuicunque uoluerint potestatem habeant, ita ut canon ęcclesię nostrę constitutus saluus remaneat. Vt igitur in posterum huius delegationis nulla fieri possit obliuio, hęc presens cartula sigilli nostri impressione et testibus subscriptis est confirmata.

Isti sunt testes clerici: Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Cůnradus de Froburch, Dietericus de Bebenburch, Engelhardus, Fridericus Contus, Gerlacus, Cůnradus portenarius, Ekkehardus. Item laici: Heinricus scultetus, Ekkehardus scultetus, Nidungus et frater suus Waldeber, Erkenboldus, Bernolfus, Gerungus et fratres sui Arnoldus et Cůnradus, Arnoldus scultetus et Bertoldus frater suus. Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXIIII°., indictione II^a^., imperante Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore, Regenhardo wirceburgensis ęcclesię episcopo existente, Boppone wirceburgensis urbis prefecturam tenente et regente.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum adest.

CXXXVII.

Anno 1184.

Collegium S. Kiliani de domo dominabus de S. Afra agros quosdam hospitali S. Egidii attinentes ad excolendum tradit.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Collegium sancti Kyliani de domo. Notum sit omnibus tam presentis quam post futuri eui Christi fidelibus, dominas de sancta Afra quosdam agros hospitali, quod a preposito Ottone fundatum est, attinentes et agris ipsarum adiacentes, a nobis expetiuisse, eo uidelicet pacto, quod eos annuatim excoli disponant et canonem de eis constitutum, scilicet triginta modios siliginis, quinque tritici, tres spelte, duos ordei, octo

de auena, duos de pisa in usus pauperum ad hospitale sancti Egidij annuatim persoluant. Illud quoque statutum est, quocumque anno grando seu ignis incendium fruges destruxerit et hoc euidenter patuerit, ut census supradicti medietatem tantum persoluant et pactum constitutum dominabus rescindere nullatenus liceat. Vt igitur utrimque rata et inuiolabilis hec constitutio permaneat sigilli nostri impressione et testibus subscriptis est confirmata. Isti sunt testes clerici: Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Cůnradus de Froburch, Dietericus de Bebenburch, Engelhardus, Cůnradus portenarius, Ekkehardus. Item laici: Heinricus scultetus, Ekkehardus scultetus, Heroldus de Foro, Adelhunus, Wernhardus, Helenwicus Albus. Facta est hec constitutio anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXIIII°., indictione II[a]., imperante Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore, Regenhardo wirceburgensis ecclesię episcopo existente, Boppone comite wirceburgensis urbis prefecturam tenente et regente.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum adest.

CXXXVIII.

Anno 1184.

Regenhardus herbipolensis episcopus statuit lumen cereum in choro, et sex cubicula mercimonialia in gradibus, ad nutriendum lumen, ac tredecim ad canonem solvendum episcopo.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Regenhardus dei gratia herbipolensis episcopus. Quoniam memoria humana corruptibilis est, et obliuione obliterari solet, indicamus uniuersitati tam futurę quam presenti, quod ad honorem patroni nostri sanctissimi martiris Kyliani et sociorum eius statuimus lumen cęreum die nocteque ardens in ea parte chori, ubi magis irradiare possit monasterium. Statuimus etiam nouemdecim cubicula mercimonialia in gradibus,

unum quodque in canone LX. denariorum, quorum sex destinauimus ad persoluendum prefatum cereum, reliqua tredecim quot annis in festo sancti Martini suum episcopo soluant canonem. Indulsimus quoque cubiculariis libertatem transferendi cubicula ad heredes, siue uendendi siue locandi ad placitum eorum saluo canone, et ne quisquam successorum nostrorum ad arciorem possit eos coercere censum. Igitur ut hęc traditio nostra de cęreo, de cubiculariis rata et inconuulsa permaneat, et a nullo successore nostro exauctorari possit, presentem paginam sigillo nostro sanctiuimus, et sub anathemate conprehendimus, quicumque eam uiolare presumpserit, ut anathema sit. Huius rei testes sunt clerici: Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Eberhardus de Marmore, Cůnradus cellerarius, Cůnradus de Froburch, Dietericus de Bebenburch, Gerlacus, Cůnradus portenarius. Laici: Fridericus de Truhendingen, et Albertus frater suus, Bertoldus de Wilperch, Boto de Foro, Růkerus de Hohenburch, Dietericus de Hohenberch, Heinricus scultetus, Ekkehardus scultetus, Heroldus de Foro, Nidungus. Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXIIII°., indictione IIa., regnante Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore, Regenhardo wirceburgensis ęcclesię episcopo existente, Boppone wirceburgensis urbis prefecturam tenente et regente.

Sigillum Reginhardi episcopi impressum adest.

Editum ex versione germanica in L. Friesii historia episcoporum wirceburg. apud J. P. Ludewig SS. episcopatus wirceb. p. 526, et in Lunigii Reichs-Archiv T. XVII pag. 943. Nro. XXIII.

CXXXIX.

Anno 1184.

Reinhardus episcopus Brunoni de Schillingsvirst praedium in Hattenhusen, ab eodem per manus fratris ipsius Cuonradi senioris ecclesiae sancti Kiliani oblatum iure beneficii reddit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Reinhardus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerit uniuersa tam presens quam post futura posteritas, quod Bruno de Schillingsvirst canonicus sancti Kyliani per potentem manum mundiburdii [1]) senioris fratris sui Cv̊nradi sancto Kyliano predium in Hattenhusen cum omnibus eius attinentiis: riuis, pratis, pascuis, cultis et incultis agris potenter contradidit et a manu decani, sicut solet fieri de reliquis oblationibus ęcclesię, pro soluendo annuatim canone unius talenti cerę eadem bona recepit. Hoc quoque gracię incolis uillę indulsit, quatenus ad quoscunque sua ordinatione ampliato canone post mortem suam predium deuoluatur, pro omni peticione pro hospitatione annuatim VIII. denarios, pro iure capitali V. solidos suo loco quilibet rusticus de manso persoluat. Jus uadimoniale, ne licentius occasionem corrixandi propter impunitatem arriperent, discretioni et potestati possessoris reliquit. Igitur ut hęc delegatio rata et inconuulsa permaneat, presenti paginę sigillum nostrum imprimimus et uinculo excommunicationis eum innodamus, quicumque uiolare aut exauctorare eam presumpserit. Testes: Gothefridus decanus, Gothefridus cantor, Gothefridus scolasticus, Theodericus prepositus de Onoltesbach, Cv̊nradus cellerarius, Fridericus Contus, Eberhardus de Marmore, Adelbertus de Phuzeche, Cunradus de Froburc, Cunradus portenarius. Laici: Crafto de Lebenhusen, Albertus de Autshe, Fridericus de Bilriet, Heinrichus de Butrit, Otto et frater ejus Arno, Helnwicus Albus, Hermannus Wolnolt, Arnoldus de Mogo et alii quam plures.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis M°. C°. LXXXIIII°.,

indictione IIa., regnante Friderico gloriosissimo imperatore, Regenhardo wirzeburgensis ęcclesię episcopo existente, Boppone comite.

[1]) Doc. mundiburgii.

Sigillum episcopi impressum satis bene se habet.

CXL.

Anno 1186.

Hermannus de Willebrehteshusen praedium suum ibidem collegio S. Kiliani pro sepultura in cimiterio et pro anniversario offert.

C. In nomine sanctę et indiuidue trinitatis. Collegium beati Kiliani. Salus nostra deus amen. Mater obliuionis antiquitas solet plerumque hominum memorię rem gestam subducere, quod uigil cura consulte precauens in futurum notabilium rerum facta litteris annotata posteritati transmittere decreuit rememoranda. Porro ea de causa memoriter recolat uniuersitas fidelium presentis[1]) et futuri eui, qualiter quidam liberę condicionis uir scilicet Hermannus de Willebrehteshusen per manum Goteboldi de Habechesberc predium suum in ipsa uilla Willebrehteshusen nobis delegauit adunata uxoris sue coniuentia. Delegauit autem sic uidelicet, ut eis de medio factis beneficium exequiarum et sepulturę impendamus in cimiterio ecclesię nostrę, ita ut uno eorum premortuo de memorato predio soluantur nobis duo modii tritici et urna uini et tantumdem in alterius depositione. Post obitum uero utriusque legitimi heredes eorum duos modios tritici et duas urnas uini persoluant in eorum anniuersario. Hiis ita factis, quia predictus Hermannus prole carebat, disposuit, ut filii sororis sue Hermannus camerarius et Albero frater suus in eadem hereditate sibi succederent, ea lege ut quandocunque constitutę oblationis canonem quotannis nobis soluere super-

sederent siue bona illa nobis inconsultis distrahere seu impignerare uel aliquo modo ab ecclesia nostra uellent alienare, integraliter deberent ecclesię nostrę usui cedere. Verumtamen si urgente necessitatis articulo contigerit, eosdem aliqua in deducendo ere alieno laborare indigentia, ita ut eos predium illud uendere oporteat, ad conuentum nostrum accedant nobisque bonorum eorumdem copiam ad comparandum ea ecclesię nostrę faciant. Vt autem huius constitutionis ordinatio rata maneat et firma consistat, presenti paginę scripto est indita et sigillo ecclesię nostrę insignita, testium quoque subscriptorum attestatione premunita. Testes: Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Richolfus et frater eius Heinricus, Theodoricus prepositus, Heinricus de Niwenburch, Eberhardus de Mannore, Berengerus de Zimbere, Folcnandus subdiaconus. Laici: Goteboldus de Habechesberch, Lutoldus de Gunderesleibe, Heroldus de Foro, Hermannus Wolvoldus et fratres sui Heinricus et Cůno, Hermannus Plupis, Fridericus Benzo, Rutwicus filius Trvtmanni, Johannes de Wertheim, Albertus Grinolf, Johannes et alii quam plures. Acta sunt hec anno incarnationis domini M°. C°. LXXXVI°., indictione IIII, regnante gloriosissimo imperatore Friderico, Regenhardo wirzeburgensis ecclesię episcopo existente.

[1]) Doc. prensentis.

Sigillum collegii sancti Kiliani de domo impressum adest.

CXLI.

Anno 1188.

Godefridus wirceburgensis ecclesiae episcopus sacerdotem in choro b. Kyliani instituit, ut sit fidelis coadiutor illorum, qui ordinati sunt in exportandis et importandis reliquiis, eidemque bona in Lullingescheit ac duo talenta de villa Triphenvelt quolibet anno solvenda assignat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Godefridus dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Quia cum frequenter non

solum facta hominum sed etiam modum rei acte temporis deleat obliuio, efficacissimum scripture remedium contra hoc est inuentum. Igitur tam presentibus quam futuris in Christo fidelibus notum facimus, quod cum ecclesia nostra in die dedicationis sue per arram fidei sponso suo Christo esset sociata, nos eodem die bona in Lullingescheit consilio maioris prepositi Alberti, Godefridi decani maioris, Godefridi scolastici, Wortwini prepositi noui monasterii, Godefridi cantoris, Theoderici prepositi de Onolspach, Eberhardi de Marmore, Cůnradi de Froburc, Heinrici de Nuwenburc et reliquorum confratrum nostrorum ei contulimus et in dotem assignauimus preter montem, qui de pertinentiis eorundem bonorum erat, que a quodam ministeriali nostro Ottone pro centum et tribus marcis comparauimus, seruata tamen nobis et successoribus nostris prefatorum bonorum ordinatione. Instituimus etiam, ut unus sacerdos, cuius locatio ad nos et ad nostros successores pertineat, in choro beati Kyliani seruiat in diuinis, specialiter tamen ad hoc sit destinatus, ut sit fidelis coadiutor illorum, qui ibidem ordinati vel adhuc sunt ordinandi in exportandis et importandis reliquiis, in uestiendo altari, ne sancta manibus aliquarum leuium personarum indecenter contaminentur. Adiecimus pariter, ut memorata bona in Lullingescheit eidem sacerdoti preter prefatum montem assignentur et preter hec de villa nostra Triphenuelt quolibet anno in festo sancti Martini duo talenta ei persoluentur. Si quis uero successor nostrorum sepedicta bona in Lullingescheit a dicto sacerdote liberare voluerit, pro eis quolibet anno tria talenta de reliquis bonis suis ei persoluat. Ad hec et ordnauimus, ut iam dictus sacerdos, quicumque fuerit, in mensa cuiuslibet successoris nostri honeste recipiatur, quandocumque ipsum in ciuitate presentem esse contigerit. Et ut hoc apud omnes successores nostros ratum et inconuulsum permaneat, presens scriptum sigilli nostri impressione et testibus subscriptis roborauimus. Testes vero huius rei sunt: Albertus maioris ecclesie prepositus, Godefridus maior decanus, Godefridus scolasticus, Wortwinus prepositus noui monasterii, Godefridus cantor, Theodericus prepositus de Onolspach, Eberhardus de Marmore, Cůnradus de Froburc, Heinricus de Nuwenburc, Sigelohus

thesaur[ar]ius, Volcnandus, Richolfus, Heinricus, Berengerus de Zimbere, Cônradus portenarius, Theodericus Flosculus et reliqui multi confratres nostri. Quicumque vero hanc nostram ordinationem temerarie in aliquo infirmare presumpserit, dei et beatorum martyrum Kyliani et sociorum eius indignationem incurrere et nostre excommunicationis sententie se subiacere nullatenus dubitauerit. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M°. C°. LXXX°. VIII°., indictione VII., regnante inuictissimo Romanorum imperatore Friderico et filio suo Heinrico rege, Boppone de Hennenberc burcgrauio existente, in domino feliciter amen.

Ex transumptu, inserto confirmationi huius institutionis ab Ottone episcopo anno 1220 peractae.

CXLII.

Anno 1188. 27. Maii.

Gotefridus episcopus aream quandam iuxta curiam suam ab antecessore suo Reginhardo ad altare S. Kiliani oblatam a decano Gotefrido autem Judaeo nomine Meier erga annuum canonem collatam, eidem Judaeo confirmat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Gotefridus dei ordinante gratia wirzeburgensis ecclesię humilis minister. Notum esse uolumus tam presentibus quam futuris, quod aream quandam iuxta curiam nostram episcopalem sitam, cum in usus nostros uendicare disponeremus, Judeus nomine Meier in presencia nostra constitutus se iusto titulo eam possidere asserebat. Prefixo ergo ei die, quo ius dominii in illa area priuilegio uel testibus uiuis probaret, iudicio nostro se presentauit, priuilegium collegii maioris ecclesię nostrę super hac re datum nobis demonstrans. Preterea tam decanum, quam reliquos confratres nostros in presenciam nostram

secum predixit, qui uiuo testimonio hoc probare parati fuerunt, quod predecessor noster pie recordacionis Regenhardus episcopus rogatu Heinrici sculteti senioris supra dictam aream ad altare sanctorum martyrum Kyliani et sociorum eius contulerit et Judeus prenominatus scilicet Meier illam aream de manu decani Gotefridi sub hoc canone susceperit, ut ipse dum uiueret et post obitum suum heredes eius singulis annis in purificacione sanctę Marie libram cerę ad altare maius persoluerent. Hac preclara confratrum nostrorum attestatione nos contenti, quietam et perpetuam possessionem in illa area soluto predicto canone, iam sepe memorato Judeo et heredibus eius recognouimus atque confirmauimus. Et ut antecessoris nostri tradicio in illa area inuiolabiliter permaneat et ne numerosa temporum successio coniuenciam nostram in illa tradicione aboleat, presentem cartulam impressione sigilli nostri munire dignum duximus. Huius rei testes sunt: Albertus prepositus in maiori ecclesia, Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Eberhardus de Marmore, Sigelohus prepositus, Richolfus et frater eius Heinricus, Heinricus de Nuenburc, Werneherus prepositus sancti Johannis, Engelhardus Gruo, Berengerus de Zimberen et totus conuentus maioris ecclesie. Laici: Heinricus filius Botonis, Eggehardus Comes, Heroldus Rufus, Heinricus de Butrit, Theodericus de Hohenberc, Wolframus de Brozoldesheim et frater eius Cunradus, Engelhardus de Bibelrieth, Lutoldus et Heroldus de Gunderesleibe, Heroldus in Foro, Adelhunus, Wernhardus, Helenwicus, Hermannus Woluoldus, Erkenboldus et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis Mo. Co. LXXXVIIIo., indictione VII, VI. Kalendas Junii, regnante gloriosissimo imperatore Friderico, Heinrico rege, Boppone burgrauio existente.

Sigillum Gotefridi appendet ex funiculo sericeo rubri quondam coloris repraesentans episcopum sedentem in cathedra episcopali, ornatumque pontificalibus indumentis, dextra pedum, sinistra librum evangeliorum tenentem; in circuitu legitur: „GODEFRIDVS DI GRA WIRCEBVRGENSIS ECCLE EPS.“

CXLIII.

Anno 1189.

Gotefridus wirceburgensis ecclesiae episcopus traditionem villulae Moppen a Friderico de Heselere ecclesiae S. Kiliani factam confirmat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Gotefridus dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Notum sit omnibus tam presentibus, quam postfuturis Christi fidelibus, quod villula quedam nomine Moppen a comite Gerhardo de Rinecke cum omnibus eidem villulę attinentiis, cum prediis suis in Richartebuch sitis, est commutata et deinde a Friderico de Heselere eadem villula centum et quadraginta marcis est conparata. Ea uero ita ut dictum est conparata. Prenominatus comes rogatu predicti Friderici eandem villulam cum omnibus attinentiis id est in agris, in siluis, in pratis, in pascuis, in aquis, in aquarum decursibus, in piscationibus, et insuper tres mansos nemoris per fideicommissarios suos Adelbertum de Grunbach, Cunradum de Buchele, Lutoldum de Gunderslebe, Richalmum de Hartbach, Berwardum de Vzeheim, ecclesię sancti Kyliani pia mentis deuotione contradidit ac delegauit. Vt igitur hec traditio rata et inconuulsa permaneat hanc cartulam sigilli nostri inpressione et testibus subscriptis confirmamus.

Isti sunt testes. Clerici: Adelbertus maior prepositus, Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Titericus prepositus de Onoltesbach, Sigelous thesaurarius, Heinricus de Nuenburc, Fridericus Colbo, Eberhardus de Marmore. Laici: Henricus de Rabensburc, Eckehardus Comes, Henricus scultetus, Heroldus Rufus, Nidungus, Heroldus camerarius, Otto Orphanus, Helwicus Albus, Arnoldus de Mego, Erkenboldus, Wicman et frater suus Altum, Wasmut de Spekewelt et frater suus Adelbero, Titericus de Hohenberc et Titericus filius suus, Engelhart de Bibelrit, Rueger de Hohen-

burc. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°· C°· LXXXVIIII°·, indictione VIIa·, imperante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, regnante quoque Henrico rege illustrissimo, Bopone comite.

Sigillum Gotefridi episcopi impressum adest.

Editum in Gudenus Cod. dipl. T. V. p. 357 et in Ussermann episc. wirceb. cod. prob. p. 52 Nro. LV. Quo modo Gerhardus comes de Rinecke villulam Moppen per concambium pro medietate villae Richartebuch ab ecclesia fuldensi acquisierat, patet ex diplomate Conradi abbatis fuldensis ex eodem anno 1189, edito in Gudenus Cod. dipl. V. p. 357.

CXLIV.

Anno 1189.

Gotefridus episcopus ad preces mercatorum aedificia in locis ripae Mogi adiacentibus eisdem nociva acceptis centum et decem marcis removeri praecipit.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Gotefridus dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam postfuturis, quod quidam mercatores ciuitatem nostram cum commerciis suis frequenter adituri ad nostram venerunt presentiam et loca quedam ripę Mogi adiacentia mercationibus ipsorum commoda et oportuna edificiis preoccupata esse proclamabant, ea per nostram iussionem ad ipsorum commoditatem publicari omnimoda precum instantia postulantes. Nos igitur conmuni utilitati operam adhibentes acceptis centum et decem marcis a mercatoribus, edificia eis nociua remoueri et amplius nunquam reedificari precepimus et instituimus illud adicientes, theloneum ibi accipiendum esse eousque, donec centum et decem marcę, que nobis date sunt,

sint restitute et de cetero nullum theloneum de locis illis esse persoluendum. Vt igitur in posterum hec nostra preceptio et institutio rata et inconuulsa permaneat, impressione sigilli nostri et testium subscriptorum testimonio est confirmata. Isti sunt testes. Clerici: Albertus maior prepositus, Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Cunradus de Froburc, Thitericus prepositus de Onoltesbach, Henricus de Nvenburc, Fridericus Colbo, Eberhardus de Marmore, Gerlacus archidiaconus, Berengerus de Cimberen. Laici: Heinricus de Rabesnburc [!], Echehardus Comes, Heinricus scultetus, Heroldus Rufus, Nidungus, Heroldus camerarius, Erkenboldus, Helenvvicus Albus, Wernhardus dapifer, Adelhunus pincerna.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. C°. LXXXVIIII°., indictione VII, imperante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, regnante quoque Henrico rege illustrissimo, Bopone comite.

Gotefridi impressum sigillum paene illaesum.

CXLV.

Anno 1189.

Gotefridus episcopus Wolframo de Zabelstain undecim mansos in Sulzhart prope Brozoltesheim pro substitutis sibi et domino Ruperto de Kastele quatuordecim mansis in beneficium iure proprietatis tradit.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Gotefridus dei gratia wirceburgensis ecclesię episcopus. Ad notitiam perueniat omnium Christi fidelium tam presentium quam postfuturorum, quod Wolframus de Zabelstein ad nos ueniens nos humiliter implorauit, ut predia quedam non longe a Brozoltesheim in Sulzhart sita et ecclesie sancti Kiliani attinentia per melius concambium liceret ei commutare. Nos igitur peticioni sue satisfacere et utilitati ecclesię prouidere considerantes, XI. mansos in Sulzhart sitos predicto

Wolframo jure proprietatis tradidimus ab ipso XIIIIcim mansos in Bibelrit sitos recipientes eorundem quoque mansorum medietatem a nobis et medietatem a domino Ruperto de Castele prenominatus Wolframus in beneficio est habiturus. Vt igitur et commutacionis et beneficii habendi hec nostra dispositio rata permaneat, hanc cartulam sigillo nostro et testibus subscriptis iussimus insigniri. Isti sunt testes. Clerici: Albertus prepositus de domo, Gotefridus decanus, Gotefridus [cantor][1]), Gotefridus scolasticus, Titericus prepositus de Onoltesbach, Sigelous thesaurarius, Henricus de Nuenburc, Eberhardus de Marmore. Laici. Liberi: Bobpo comes de Wertheim, Rupertus de Castele. Ministeriales: Engelhart de Bibelrith, Cunradus de Buzzenesheim, Sibreth de Windehein, Otto Flosculus et frater suus Cunradus et alii quam plurimi. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXXX[VIIII]^o. [2]), indictione VII, imperante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, regnante quoque Henrico rege illustrissimo, Bobpone comite.

[1]) et [2]) Documentum his locis exesum est.

Sigillum Gotefridi impressum optime conservatum.

CXLVI.

Anno 1189.

Godefridus episcopus concambium, quo ecclesiae sancti Stephani pro familia cuiusdam Saxonis, ab Adelheide filia Botonis comitis et uxore Heinrici ducis de Limburg iure ministerialium eidem tradita, sex alios homines tradidit, contra impugnationes Bopponis urbis praefecti et advocati dictae ecclesiae in publico iudicio confirmat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Nouerint omnes Christi fideles, quod ego Godefridus per gratiam dei wirceburg-

gensis episcopus hanc cartulam conscribi et per eam noticie posterorum fecerim insinuari, qualiter domina Adelheidis filia Bodonis comitis et uxor ducis Henrici de Limburc hominem quendam Sahsonem nomine et sororem suam Gerburgim, meliores de familia sua cum ipsorum liberis ecclesie sancti Stephani prothomartiris site in suburbio wirceburgensi, ea conditione tradidit, quod jus ministerialium haberent et nullius aduocati potestati subiacerent. Deinde a quodam abbate sancti Stephani Berengero nomine coram episcopo Embrichone questione status pulsati, jus suum tale esse, quale predictum est, probabili multorum testimonio comprobabant. Iterum uero in tercio nostri episcopatus anno, Heroldus in ecclesia sancti Stephani abbas de quibusdam hominibus, qui de predicta Gerburgy descenderant, coram nobis mouit querimoniam et ipsi priuilegio monstrato suo lectaque et relicta eiusdem priuilegy serie, sine causa infestari demonstrabant. Nos igitur infestationem eorum considerantes et opere pietatis eis adesse uolentes alios homines sex in numero cum prenominati abbatis et omnium monachorum suorum consensu ecclesię sancti Stephani manu potestatiua tradidimus, et eos, qui tociens pulsati erant, in ius ministerialium ecclesie Kyliani, quod dapiferi nostri habere dinoscuntur, adhibito maiorum et sapientiorum ecclesię nostre consilio per concambium recepimus; hoc autem audito concambio Bobpo comes wirceburgensis urbis prefectus et in ecclesia sancti Stephani aduocatus in presencia nostra per sententiam queri postulauit, si homines suę aduocatię attinentes, absque suo consensu per concambium ad aliam liceret transferri ecclesiam. Quod cum non licere ipsi adiudicatum esset, nos eius inquisitioni obuiantes per sententiam inquiri precepimus, quia constabat, quod homines illi et eorum antecessores quadraginta annis et amplius nec ab ipso nec a patre suo nec ab auo suo pressuram aliquam uel alicuius seruicij exactionem cognouerant, sed inmunes ab omni onere permanserant, si absque suo consensu possent conmutari, et hoc fieri licere a liberis, a ministerialibus, qui tunc nostro assidebant iudicio, est adiudicatum. Vt igitur hec conmutatio rata et inuiolabilis permaneat, hanc cartulam sigilli nostri impressione et testibus subscriptis corroboramus.

Isti sunt testes. Clerici: Albertus prepositus de domo, Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Titericus prepositus de Onoltesbach, Sigelous thesaurarius, Henricus de Nuenburc. Laici: Henricus de Rabesnburc [!], Ekehardus Comes, Henricus scultetus, Heroldus rufus, Nidungus, Heroldus camerarius, Helwicus Albus.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXXXVIIII^o., indictione VII^a., imperante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, regnante quoque Henrico rege illustrissimo, Bobpone comite.

Sigillum impressum et bene conservatum.

CXLVII.

Anno 1189.

Gotefridus wirzeburgensis ecclesiae episcopus testatur, quod Heinricus Caseus eiusdem ecclesiae canonicus montem sancti Michahelis cum omnibus suis attinentiis et praedia in villa Vilesdorf per manum fratris sui super reliquias praetiosissimi martyris Kyliani tradidit.

C. In nomine sancte indiuidue trinitatis. Gotefridus dei gratia sancte wirzeburgensis ecclesię episcopus. Quoniam longeua successio temporum ueritati rei geste et memorie hominum nouercatur, et non solum modus facti, sed etiam ipsum factum multitudine annorum obliteratur, cum huius mali efficacissimum scriptura sit remedium, hac nostra pagina uniuersitati presentium et futurę posteritatis notum esse uolumus, quod magister Heinricus Caseus wirzeburgensis ecclesię canonicus, montem sancti Michahelis cum omnibus, suis attinentijs et predia in uilla Uilesdorf sita super reliquias preciosissimi martyris Kyliani per manum fratris sui Rumoldi potenter et sine omni contradictione contradidit cum omni iure nec etiam iure patronatus retento, et in ipsa traditione rei pactum interposuit, quod cellula nunc in prefato monte nouiter inchoata sola

auctoritate et defensione nostra et successorum nostrorum esset munita et nec nobis nec alicui successori nostro in ea ius aduocatię aut constituere aut inbeneficiare laicali persone liceret. Igitur ut et pactum interpositum, cum sit licitum et honestum et tam canonico quam legali iure expressum et ipsa traditio rata et inconuulsa conseruetur, sub anathemate precipimus, ut anathema sit, qui contraierit, et presentem paginam sigilli nostri impressione corroboramus. Huius rei facte hii sunt testes de clericis: Heroldus abbas sancti Stephani, Albertus prepositus maioris ecclesię, Gotefridus decanus, Gotefridus scolasticus, Gotefridus cantor, Ditericus prepositus in Onoldesbach, Sigelohus thesaurarius, Eberhardus archidiaconus, Cunradus archidiaconus, Heinricus de Niuwenburc, Engelhardus, Reinoldus. Testes de laicis: Fridericus de Bilrith, Eggehardus Comes, Heroldus in Foro, Heroldus Rufus, Engelhardus de Bibelrieth, Nidungus, Wernhardus, Adelhunus, Hermannus, Helenwicus Albus et alij quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. C°. LXXXVIIII°., indictione VII, regnante inuictissimo Romanorum imperatore Friderico cum filio suo Heinrico rege, Boppone de Hennenberc burgrauio existente, anno uero dedicationis ecclesię nostrę matricis prime.

Sigillum impressum adest.

Editum in Schoetlgen et Kreissig dipl. II, 622 et Ussermann Episcopatus wirceburgensis, cod. Nr. 54.

CXLVIII.

Anno 1189.

Gothefridus wirciburgensis episcopus testatur, quod Heinricus scultetus consentiente uxore filio suo Bernoni vineam in Valletor et praedium in Bleichvelt certis sub conditionibus assignavit.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Gothefridvs dei gratia wirciburgensis episcopus. Sciant et recolant uniuersi

Christi fideles tam presentes quam post futuri, quod Heinricus scultetus limina beati Jacobi uisitaturus, Jvtha uxore sua consentiente filio suo Bernoni uineam in Valletore, de qua dominis de domo LX simile et totidem mensurę annuatim sunt soluendę, et predium in Bleivelt [!] situm, de quo tantundem est soluendum, et molendinum paterna donatione assignauit, eo uidelicet pacto, quod predium in Bleihofelt ad quemcunque uellet, ei tranferre liceret, molendinum uero et predicta uinea post obitum suum ad heredes suos reuerterentur. Curiam uero, quam inhabitauit, non nomine suo, sed nomine predicti filij sui Bernonis, qui eam a manu Gerhardi decani de nouo monasterio receperat, possedit. Deinde post obitum matris Bernonis, patre suo adhuc uiuente et consulente, Berno coheredibus suis predium in Blechfelt [!] cum molendino inter se diuidendum reliquit et ipsi coram me in presentia conuentus et multorum ministerialium omni juri, quod in prefata uinea et curia post obitum Bernonis uidebantur habere, abrenunciauerunt et ei potestatem transferendi, cui uellet, concesserunt. Vt igitur in posterum hęc disposicio rata et inuiolabilis permaneat, hęc cartula nostro sigillo et subscripcione testium est communita. Isti sunt testes: Albertus prepositus, Gothefridus decanus, Gothefridus cantor, Gothefridus scolasticus, Eberhardus de Marmore, Richolfus, Cunradus de Vroburc, Theodericus prepositus de Onoldesbach, Sigelohus custos, Gerlacus, Cunradus portenarius, Heinricus frater Richolfi. Laici: Eggehardus Comes, Engelhardus de Bibelrieth, Cůnradus de Zabelstein, Eggehardus Hilteburgis filius, Berngerus Richalmi filius.

Actum anno dominicę incarnationis M$^{o.}$ C$^{o.}$ LXXXVIIII$^{o.}$, indictione VII$^{a.}$, imperante domino Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, regnante quoque Heinricho, filio eius, rege illustrissimo, presidente domino Gothefrido uenerabili wirzeburgensis ęcclesię episcopo, Bobbone de Hennenberc burcgrauio existente.

Sigillum impressum et admodum bene conseruatum.

CXLIX.

Anno 1189, mense Aprili.

Gotefridus wirceburgensis ecclesiae dispensator testimonio suo confirmat, quod canonici et confratres de domo, consensu Reinhardi episcopi nomine ecclesiae praedium Ronvelt et Roth a comite Gerhardo et uxore eius Adelheide comitissa coemerunt.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. G. dei gratia wirceburgensis ecclesię humilis dispensator omnibus Christi fidelibus tam posteris quam modernis perpetuam in uero salutari salutem. Honesta et utili antiquorum industria prouisum atque consultum est, ut, dum rerum et actionum contractuumque tum longo temporis processu tum humane mortalitatis interuentu series et ordo tollitur a memoria hominum, per scriptorum annotationem ad posterorum noticiam transferatur. Propter hoc necessarium duximus presenti pagine inserere et sigillo nostro consignare, quod canonici atque confratres ecclesię nostre de domo pari uoto unanimique uoluntate adhibitoque consensu episcopi Reinhardi, qui tunc wirceburgensi preerat ecclesię et liberorum et ministerialium ac postremo omnium eorum, quorum coniuentia ad hanc rem necessaria esse uidebatur, a comite de Rineche Gerhardo, uiro illustri, et uxore sua Adelheide comitissa predium quoddam, quod Ronvelt et Roth nuncupatur, iusto titulo emptionis et bona fide coemerint, partim rebus propriis, partim rebus ecclesię, nullo prohibente, nullo contradicente, remoto omni iure advocatię omnique alia conditione, cuius causa et occasione aliqua angaria seu perangaria aut uexatio predicto predio innasceretur, sed quemadmodum libere et absolute predium illud nomine ecclesię coemptum et comparatum esset, ita ecclesia libere et absolute et quiete possideret. Predictum itaque predium cum omnibus appendiciis suis, uiis et inuiis, pratis et campis, cultis et incultis, quesitis et querendis, siluis et nemoribus, riuis et aquis et aquarum decursibus, piscationibus et nauigationibus, cum mancipiis quoque utriusque sexus ad eadem bona pertinentibus, ac postremo

cum omni usu atque profectu, qui tunc proueniret ac deinceps prouenire potuisset, prefatum inquam predium in manus salemannorum Ludewici de Franchenstein et Bohponis de Trinberc legitime atque sollempniter datvm est atque contraditvm, adhibita omni sollempnitate legalium constitutionum rituque iuris seruato secundum consuetudines orientalis Francię plurimis astantibus et uidentibus, tam clericis quam laicis, tam liberis quam ministerialibus, ac ut omnimoda tolleretur dubitatio et plenarie consensus comitisse haberetur predicti salemanni Bobpo et Lvdewicus cum Henrico Uachardo canonico nostro accesserunt ad castrum Rieneche, ubi a predicto comite Gerhardo presente et consentiente domina Adelheide comitissa, uxore sua, accedente etiam traditione ipsius comitissę, per manus utriusque prenominatis salemannis eadem predicta bona recognita et iterato contradita sunt. Postmodum ad maiorem cautelam placuit canonicis maioris ecclesię, ut numerum salemannorum adaugerent, ut idem predicti salemanni retento sibi ivre, quod in bonis illis habebant, eadem bona tradiderunt in presentia domini Reinhardi episcopi in manus salemannorum uidelicet Henrici de Trinberc, Alberti de Gronbach, Alberti de Saleche, Alberti de Arnstein, Bobponis comitis de Wertheim, Gerhardi comitis de Bertheim, Craftonis de Bochesberc. Quisquis ergo uel ui uel fraude, uel alia aliqua temeritate predicta bona sanctorum martyrum, tam iuste conquisita, tam legitime conparata, iniuste inuadere, temere perturbare aut alio quouis modo inquietare presumpserit, nouerit se beati Petri apostoli maledictione et nostra excommunicatione innodandum et omnipotentis Dei ira et indignatione in suppremo iudicio sine fine esse dampnandum. Huius rei testes sunt hii: Vlricus de Calwinberc et filius suus Cunradus, Siboto de Franchenstein, Heinricus iunior de Trinberc, Rupertus de Durne, Rupertus de Castele, Gerhardus de Sceiwelt, Cunradus de Buchele. Ministeriales: Boto de Foro et filius suus Henricus, Echardus Comes, Heroldus camerarius, Heroldus Rufus, Werhardus, Adelhunus, Wolframus de Zabelstein et frater suus Cunradus, Engelhardus de Bibelriet, Titericus de Hohenberc, Otto Flosculus et frater suus Cunradus et alij quam plurimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. C°. LXXVIIII°., indictione XII^{a}., imperante Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore et semper augusto, Reinhardo wirceburgensis ecclesie episcopo existente, Boppone comite.

Confirmata uero sunt hec eadem anno domini M°. C°. LXXXVIIII°., indictione VII^{a}., imperante eodem Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore, regnante autem Henrico rege illustrissimo, mense Aprili, anno expeditionis contra Sarracenos primo.

Sigillum Godefridi impressum optime conservatum adest.

CL.

Circa annum 1189.

Testante collegio sancti Kiliani Judaeus Samuel aream quandam Wirciburgi, in qua domum aedificavit, eidem tradit sic, ut haeredes sui eandem erga annuum censum possideant.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Collegium sancti Kiliani de domo. Prudentum sollercia salubri circumspectione consueuit, facta modernorum autentico scripture suffragio posteritati transmittere, ne obliuio uetustatis in ipsis generet dubietatem, nec liuor contenciosus in contrarium quicquam preponere uel audeat uel possit adinuenire. Ea propter notum esse uolumus tam presentibus quam post futuris, qualiter Judeus quidam nomine Samuel aream quandam, sitam prope curiam Heinrici sculteti senioris et domum Uiui Judei, a Friderico de Kuffese et uxore eius Itisa comparauit, mediantibus salemannis suis Botone in Foro et Ottone, fratre Arnonis, et Erkenboldo, in qua domum edificauit. Et ne alicuius malignantis auersio ualeat hoc infirmare, iam dictus Judeus quorumdam amicorum suorum consilio ipsam aream per manus predictorum salemannorum sancto Kyliano contradidit, ea uidelicet

lege, ut annuatim in cena domini due candelę, de una libra cerę factę, inde persoluantur, quę ad hoc destinate. ut ardeant in cripta, ubi crux in parasceue sepelitur, et ut heredes eius ipso canone soluto eandem possessionem libere possideant. Vt autem hec tradicio rata et inconuulsa permaneat, placuit eam sigilli nostri impressione consignatam exhibere. Huius rei facte hii sunt testes: Albertus maior prepositus, Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Gotefridus scolasticus, Eberhardus de Marmore, Cunradus de Froburc, Cunradus portenarius. Laici: Boto in Foro, Heroldus Rufus, Heroldus in Foro, Otto et frater eius Arno, Cunradus de Birkeneuelt, Gotefridus de Gowenheim, Erkenboldus et alii quam plures.

Sigillum collegii S. Kiliani de domo impressum adest.

CLI.

Anno 1192.

Heinricus episcopus notum facit, quod plebanus ecclesiae in Richolvesheim quaedam bona in Vssinkeim eidem assignavit in recompensationem denariorum missalium ab omnibus parochianis antea solvendorum, nunc vero sententia generalis synodi abrogatorum.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Heinricus dei gratia wirzeburgensis ecclesię episcopus. Ad cohibendas posteritatis calumpnias eiusque uersutias humano generi frequentius subrepentes indebite interimendas, consueuit pia modernorum circumspectio, statuta suę sollicitudinis autentico scripturę baiolo committere, ne diuturno temporis tractu bonorum noticie excidant, nec arguta liuoris cauillatio quid in ipsis corripiendum inueniat. Hac itaque inducti consideratione, cognitioni tam presentium, quam futurorum exponimus, quod Ruggerus plebanus de Richoluesheim benigna motus animaduersione predii sui IIII^or. iugera uinearum, et XXX^ta VII^tem iu-

gera agrorum frumentalium et duas curtes in uilla Vssincheim sitas contulit parrochię suę Richoluesheim in reconpensationem omnium denariorum missalium, qui dari debebantur de omni illa parrochia, excepto suburbio castri Wertheim. Eiusdem quoque parrochię subditorum quilibet annuatim caseum dare parrochiano suo consueuerat pro eo, ne limina sanctorum martyrum Christi, Kiliani et sociorum eius, more aliorum hominum in episcopatu wirzeburgensi manentium cum sollempni processione tempore statuto frequentaret. Hanc igitur consuetudinem tam detestabilem, et exactionem turpissimam modis omnibus inhibemus, nec eos a iure ueniendi, nisi licentia wirzeburgensis episcopi uel archidiaconi eorum ex necessitate aliqua contingat, absoluimus. Quia uero hanc conmendabilem reconpensationem in generali sinodo nostra ab ecclesię nostrę prelatis et aliis quibuslibet assistentibus approbari audiuimus, communi omnium fauore et consensu statuimus et in uirtute obedientie omnibus successoribus predicti plebani in prenominata parrochia Richoluesheim districte precipimus, ut nullos denarios missales uel caseos deinceps requirant uel recipiant a subditis suis, nisi in suburbio castri Wertheim, in quo missales denarii et nulli casei parrochiano persoluentur. Predium quoque supra memoratum, quod in hanc datum est reconpensationem, quia prius nullius aduocati iure tenebatur, sicut in eadem sinodo nostra sententiatum fuit, statuimus, ut decetero nullius aduocati iuri subiaceat, sed plebanus eiusdem parrochię ipsum possideat absolutum ab omni iure aduocati. Vt autem hoc nostrum rationabile statutum perpetuo uigeat robore, presentem inde paginam conscribi fecimus et sigilli nostri appositione conmuniri, sanctientes et auctoritate beati Petri, cuius uicem licet indigni gerimus, firmiter precipientes, ut nullus successorum nostrorum, nulla persona clericalis siue laicalis hanc nostram constitutionem presumat immutare, uel quolibet modo infirmare. Quod qui fecerit anathema sit, et cum reprobis sententiam districti iudicii sustineat et ipsius effectum perpetuo sentiat. Huius rei testes sunt: Gotefridus maior prepositus, Gotefridus decanus, Gotefridus cantor, Cunradus prepositus sanctę Marie, Theodericus prepositus de Onoldesbach, Gerlacus archidiaconus, Werneherus prepositus sancti Johannis, Eberhardus de Marmore,

Heinricus de Niwenburc, Ludewicus archidiaconus, Berengerus de Zimbere, Bruno de Schillingisuirst, Cunradus portenarius, Wortuuinus scolasticus de Onoldesbach. Laici: Fridericus comes de Abenberc, Boppo comes de Wertheim, Wolfradus de Cruteim, Heinricus et frater eius Albertus de Hohenloch, Albertus de Ense, Heinricus de Rabenesburg, Wolframus de Zabelstein et frater eius Cunradus, Cunradus de Buchele, Heinricus de Binezuelt, Heroldus de Foro, Wernhardus, Adelhunus et tota sinodus. Acta sunt hec anno dominicę incarnationis M°. C°. XCII°., indictione X., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Heinrico, anno ordinationis suę primo, Bertholdo de Hennenberc wirzeburgensis urbis prefecturam tenente, in domino feliciter amen.

Sigillum impressum Heinrici optime conservatum episcopum repraesentat sedentem, habitu pontificali indutum, tenente dextra pedum, sinistra librum evangeliorum, in circuitu legitur: HENRICVS DEI GRATIA WIRCEBVRGEN ECCLE EPS."

Editum in Aschbach Geschichte der Grafen von Wertheim, II. Nr. XIV.

CLII.

Anno 1195.

Ekehardus cum uxore Gisila praedium dominae Chunegundis in Zuzeleben et vineam suam in Buchinclingen maiori ecclesiae S. Kiliani sub conditione confert, ut fratres huius ecclesiae bona praedicta hospitali S. Joannis destinantes, a fratribus eiusdem hospitalis perpetualiter octo lumina et quinque solidos accipiant.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam postfuturis qualiter ego Ekehardus cum uxore mea nomine Gisila communicata manu uetus predium domine Chunegundis in Zu-

zeleleb et uineam nostram in Buchinclingen maiorj ecclesię sancti Kylianj contulimvs sine omni contradictione, ut fratres predicte ecclesię cum eisdem bonis secundum petitionem nostram facerent. Postea uero hoc ordinantes, quod ipsi fratres de summo secundum rogatum nostrum prefata hospitali sancti Johannis in suburbio Wirzeburc bona sub tali ordine destinarent, quatenus perpetualiter fratres hospitalis VIII. lumina ecclesie sancti Kyliani persoluant, ut unum perpetualiter die noctuque ardeat, et in summa missa et in uesperis alia sex accendantur, missa uero cantata sex extinguantur, et septimvm, ut dictum est, ardens permaneat et sic eodem modo fiat in uesperis, octauumque lumen tantvm noctibus ante altare sancte Marię genitricis domini accendatur et ecclesiasticis V. solidos de predictis bonis, ut luminibus preessent, idem fratres predicti hospitalis persoluant. Vt ista rata et inconuulsa permaneant coram testibus ydoneis ordinantes confirmauimus. Quorum nomina

decanus
hec sunt. Canonicj: Gotefridus summus prepositus, Gotefridus,
prepositus prepositus custos Gruvvo scolasticus Coppo
Wortwinus, Wernherus, Cunradus, Engelhart, Henricus, Marcwardus,
Reize de Marmere de Trinberc prepositus
Cunradus, Eberhardus, Gozwin, Arnoldus, Volcnandus, Gerlacus,
de Osternach de Hohenberc de Cugelenberc de Zimber Vachart
Reinoldus, Ditericus, Persius, Gotefridus, Berngerus, Henricus,
de Otingen filius sculteti de Zabestein de Bachele de Willeherstetin
Bertoldus, Růdolf, Berno, Yrinc, Nykolaus, Henricus,
de Trinberc capellanus comitis de Rabensburc
Boppo, Henric, et alij quam plures. Laicj: Henricus et
de Hohinberc de Hartbach
Boto frater ejus, Adelalmus, Dytericvs et filij ejus, Richalmus
de Elstetin de Gundersleibe Ca-
et filius suus, Adelo, Lutuldus et Heroldus frater ejus, He-
merarius
roldus et filii sui, Nydungus et Waldeber frater ejus, Adelhunvs,
Albus filius ejus Huzelin de Osterburc de Bi-
Wernhardus, Helewicus et Henricus, Henricus, Gotefridus, Engel-
beirit filius Richalmi
hardus, Heroldus filius ejus, Berngerus, Henricus frater ejus,
de Henstat Wolfolt Hake Creseno Pica Dines
Henricus et Otto, Cuno, Henrich, Yrinc, Arnoldus, Genrungus [!] et
Quabelo Kirchere
fratres suj, Henricus, Henricus et alij quam plures. Acta sunt hec

anno dominice incarnationis M$^{o.}$ C$^{o.}$ LXXXXV$^{o.}$, indictione XII., regnante Henrico imperatore, Henrico episcopo presidente, Bertoldo comite prefecturam tenente.

Quae in hoc diplomate super testium nominabus litteris minoribus impressa apparent, eadem manu, quae diploma scripsit, apposita sunt. Sigillum civitatis appendet ex membrana, ecclesiam cathedralem representans cum tribus turribus et effigie S. Kiliani; in circumscriptione legitur: „WIRCIBVRG“.

Editum in Wegele: Der Hof zum Grafen Eckard pag. 24 N$^{ro.}$ 4.

CLIII.

Anno 1195. 7 Junii.

Celestinus papa III ecclesiae wirceburgensi praedium in Hochein [Hochheim] et Hetenstat confirmat.

Celestinus episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis filiis, canonicis wirceburgensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Incumbit nobis ex debito pontificalis officii, quod iusta petentibus audientiam cum efficacia prebeamus, presertim ubi eorum uota et pietas adiuuat, et explorati iuris ueritas non relinquit. Ea propter dilecti in domino filii, uestris iustis precibus annuentes, predium quod habetis in Hochein et Hetenstat, sicut iuste ac pacifice possidetis, uobis et ecclesie uestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio conmunimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Laterani VII Idus Junii, pontificatus nostri anno quinto.

Appendet bulla plumbea Celestini papae III, ex filis sericis rubri et viridis coloris.

CLIV.

Anno 1195. 5 Julii.

Celestinus papa III ecclesiae wirzeburgensi praedium in Hachein (Hochheim) titulo emptionis ab Arnoldo maguntino archiepiscopo acquisitum confirmat.

Celestinus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis canonicis wirzeburgensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et uota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in domno filii uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu predium, quod habetis in Hachein a bone memorie Arnoldo quondam Maguntino archiepiscopo adquisitum titulo emptionis et ecclesie uestre ab eodem pia deuotione concessum, sicut illud iuste et pacifice possidetis, uobis et per uos ecclesie uestre auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio conmunimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani III Nonis Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Appendet bulla plumbea Celestini papae III.

CLV.

Anno 1196. 18 Februar.

Celestinus papa III canonicis wirzeburgensibus confirmat predium in Hocheim et Hetensat, quod Heroldus quondam wirzeburgensis episcopus ab ecclesia maguntina emerat.

Celestinus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis canonicis wirzeburgensibus salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et uota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in domino filii uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu predium in Hocheim [1]) et Hetinstat, quod bone memorie Heroldus quondam episcopus uester emisse dicitur ab ecclesia maguntina, sicut ipsum iuste ac pacifice possidetis et in autentico felicis recordationis Arnoldi quondam maguntini archiepiscopi confecto exinde plenius continetur uobis et per vos wirzeburgensi ecclesie autoritate presentium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Vt autem confirmatio nostra maiorem obtineat firmitatem autenticum ipsum de uerbo ad uerbum nostris duximus litteris inserendum. Quod tale est: In nomine sancte et indiuidue trinitatis Arnoldus etc. [vide supra diploma ex anno 1158 sub Nro. CI.] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre paginam confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XIII. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

[1]) Diploma: Nocheim.

Appendet bulla plumbea Celestini papae tertii ex filis sericis rubri et flavi coloris.

CLVI.

Anno 1197.

Collegium sancti Kiliani testatur, quod Judaea Belechinda aream cum aedificiis in vico Judaeorum sitam, sub canone duorum talentorum cerae annuatim custodi maioris ecclesiae solvendorum alteri Judaeo Abraham vendidit.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Collegium sancti Kiliani. Notum sit omnibus tam presentis quam post futuri temporis hominibus, quod quedam Judea, Belechinda nomine, aream quandam cum edificiis in vico Judeorum sita, de qua pater suus Samuel Albus custodi maioris ecclesie duo talenta cere annuatim persoluit, cuidam alteri Jvdeo, Abraham nomine, vendidit cum omni iure, quo pater suus, supradictus Samuel, et ipsa eandem aream ante possederant et prenominatus Abraham eandem aream de manu Gothefridi decani maioris ecclesie suscepit sibi et heredibus svis sub eodem canone et sub eodem iure perpetualiter possidendam. Adiectum etiam fuit in pacto, ut si predictum Abraham Judeum vel heredes suos contingeret ad inopiam vergere, liberam habeant potestatem eandem aream cum edificiis cui voluerint vendere, ita tamen, vt maiori ecclesie canon suus saluus remaneat. Ne autem tam iuste emptionis contractus a memoria hominum facile elabatur, presentem paginam conscribi fecimus, et sigilli nostri inpressione conmuniuimus. Huius rei testes sunt: Heroldus filius Engelberti, Adelhunus pincerna, Helewicus Albus et filius Heinricus, Cůno Uuolvolt, Gerungus Diues et frater suus Helmricus, Johannes, Richolfus Roccholf et alii laici quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo VII°., indictione quinta decima, regnante Heinrico imperatore gloriosissimo et semper augusto, presidente domino Gothefrido venerabili wirzeburgensis ecclesie electo, Bertoldo de Hennenberc burgrauio existente.

Sigillum periit.

CLVII.

Anno 1199.

Gotefridus wirziburgensis ecclesiae maior praepositus Wolframum Rufum super altare beati Pantaleonis martiris in capitulo tradit.

Ego Gotefridus dei gratia wirziburgensis ęcclesię major prepositus notum fieri cupio presentibus et ad futurorum cognicionem peruenire, qualiter quendam seruum meum uidelicet Wolframum Rufum pro remedio animę męę meorumque parentum super altare beati Pantaleonis martiris, quod est in capitulo, libere et absque omni contradictione ea condicione contradidi, ut in dedicatione predicti altaris tam ipse quam omnis posteritatis eius successio, quecumque persona XX annos et supra habuerit, tres denarios quot annis persoluens ab omni seruitutis iugo libera existat et cum aliis eiusdem altaris censualibus tantundem census persoluentibus idem per omnia ius habeat, unique, qui senior sit, omnibus debitum censum annuatim assignet, ut ille eum statuto termino super predictum altare offerat. Preterea constitui, ut tam ipse, quam quicumque dé ipsius sit uel fuerit progenie et XX annos uel amplius habuerit, masculus post obitum XXX denarios, femina uero XX tantum persoluat. Porro tradicionem predicti W. feci per manus salamannorum meorum uidelicet Vlrici de Durne, Sibotonis de Cimber, Henrici de Eberbach. Vt igitur hoc factum ratum et inconuulsum deinceps permaneat presentem paginam inde feci conscribi et inpressione sigilli tocius chori de auctoritate ipsius et mea roborari. Huius rei testes sunt: Volcnandus cantor, Persius, Gerungus, Nicolaus, Ditricus Blumelin, Engelhardus Longus, Heinricus de Willeherestetin, Heinricus de Erlaha, Conradus Sueuus, Herbordus sacerdos. Laici: Heinricus de Binzuelt, Liutoldus scultetus, Heinricus de Eberbach, qui salamannus fuit, Alhunus pincerna, Beringerus filius Richalmi, Heinricus frater eiusdem de Teleheim, Chuno Woluolt, Conradus Huninchelin,

Robertus Woluolt, Vlricus de Erpheshusin, Hugo de Seccaha et alii quam plures. Acta sunt hec dominice incarnationis anno M. C. LXXXXVIIII°, indictione III, regnante Philippo Romanorum rege, Conrado wirciburgensis ęcclesię electo existente, Bertoldo comite urbano.

Sigillum collegii S. Kiliani impressum bene conservatum est.

Exstant duo instrumenta eiusdem tenoris, quorum alterum loco „qualiter quendam servum meum Wolframum Rufum . . .“ habet „qualiter quedam mancipia mea uidelicet Wolframum et uxorem eius Methildam unacum filiis et filiabus suis pro remedio . . .“

CLVIII.

Anno 1199.

Gotefridus wirciburgensis ecclesiae praepositus testatur, quod domus in platea S. Georgii, quam Gerungus Dives super reliquias S. Kiliani tradiderat, ut inde annuatim duo modii tritici solverentur, a filia Gerungi, nupta Warmundo de Hovstrow, conniventia capituli Judaeo Jacob et uxori eius Gode pro viginti septem marcis obligata fuerit.

In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. G. dei gratia wirciburgensis ecclesię prepositus et universum capitulum sancti Kilianj, uniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse uolumus, quod Gerungus Diues domum quandam, in platea sancti Georgii sitam, super reliquias preciosissimi martiris sancti Kiliani et sociorum eius potenti manu contradidit, hac conditione, ut singulis annis in anniversario uxoris suę duo modii tritici conuentui inde soluerentur, et si forte filia sua sine herede decederet, que nondum maritata erat, sine omni pensione prefatam domum conuentus sancti Kiliani integraliter cum dominio et usu et habitacione sibi uendicaret. Procedente vero tempore filia eius maritata est et nupsit domino

Warmundo de Hovstrow et heredem habuit, qui predictam domum de manu decani recepit et pensionem prefatam soluit, posteaque conniuentia capituli prelibatam domum Judeo nomine Jacob et uxori eius nomine Gode pro uiginti septem marcis in pignere ipse cum uxore sua coadunatis manibus obligauit et dominis et conuentui resignauit et Judeus et uxor sua ab ipsis receperunt et prefatum canonem se soluturos promiserunt singulis annis, hoc pacto interposito pro usuris, ut singulis marcis singulę dimidię marcę a festo sancti Michaelis usque ad proximum festum sancti Michaelis primo anno accederent, secundo vero anno, si non soluerentur vsvrę et sors usuris et sorte in sortem conputatis eodem pacto, singulis marcis singulę dimidię marcę accrescerent, et si secundo anno sors cum usuris non solueretur, extincta esset pigneris obligatio, et prefatus Judeus et uxor eius et liberi eius iure hereditario nomine conuentus ipsam domvm pro predicta pensione singulis annis soluenda quiete et inconcusse possiderent. Et ut hec inconvulsa et rata permaneant sigilli nostri inpressione confirmauimus. Testes sunt hii: Godefridus decanus, Engelhardus cantor, Wortuvinus prepositus noui monasterii, Berengerus de Zimbere, Henricus Paniculus, Thedricus de Hoenberc, Iringus de Zabelstein, Persius, Nicolaus, Godefridus de Cugelenberc, Reinoldus. Laici: Lutoldus de Gundersleive, Adelhunus pincerna, Helenwicus Albus, Heinricus de Osterburc, Conradus de Lind, Berno de Caluenberc, Wilhelmus de Salzberc, Ropertus filius Arnoldi, Richolf Roccolf. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini millesimo centesimo nonagesimo nono, Bertoldo burgrauio existente.

Sigillum collegii S. Kiliani impressum adest.

CLIX.

Circa finem mensis Aprilis anni 1200.

Natan et fratruelis suus Vivus, Judaei, a manu Gerlaci noui monasterii prepositi, tunc vice decani fungentis, coram capitulo domum quandam in platea S. Georgi sibi obligatam, quiete possidendam recipiunt, reservato tamen Gerungo Diviti iure ipsam solvendi usque in proximam celebrationem epiphaniae domini.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Noscat uniuersitas fidelium, quod Judeus dictus Jacob domum quandam in platea sancti Georii sitam a Warmundo genero Gerungi Diuitis pro XXX quinque marcis sibi obligatam, filio suo Natan et fratrueli suo Viuo similiter obligauit. Predicti quoque Judei a manu domini G. [1]) noui monasterii prepositi, qui tunc uice decani fungebatur, coram capitulo, presente Gerungo Diuite, qui solus potestatem soluendi eandem domum habuit, receperunt hoc pacto, quod si prefatus Gerungus in proxima celebratione Epiphanie domini ipsam domum non solueret, extincta esset eius obligatio, Viuus quoque et Natan per fideicommissarios suos predictam domum quiete possiderent, et statuto canone soluendo, nullo contradicente, ex ea, quicquit uellent, ordinarent. Hii sunt eiusdem domus fideicommissarii: Theodericus Flosculus, Berno, Heinricus de Erlahe. Laici: Adelhunus, Helmericus. Et ut hec rata permaneant, maioris ecclesie sig(illi) inpressio apposita est.

[1]) Gerlacus. Perseus iam mense Februario anni 1203 maioris ecclesiae vicedecanus, anno 1205 decanus est.

Sigillum quondam impressum periit.

CLX.

Anno 1201. 8. September. Babinberc.

Philippus rex Conrado wirceburgensi episcopo, consanguineo ac cancellario suo, ipsiusque ecclesiae castrum Steinecg cum pertinentiis eius donat et confirmat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX, Part. I pag. 501 Nr. CCCCCLXIX.

CLXI.

Anno 1201. 8. September. Babinberc.

Philippo rex vasallis, ministerialibus et burgensibus in Wirceburc mandat: ut ipsorum episcopum Conradum, consanguineum suum, honorificenter recipiant, eique fideliter serviant, ob cuius amorem ei eiusque ecclesiae feodum dimittit, quod ab eadem ecclesia hucusque tenuit, iure haereditario ad se devolutum.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX. Part. I pag. 503 Nr. CCCCCLXX.

CXLII.

Testimonium miraculorum sancti Brunonis episcopi quondam wirzeburgensis, quae visa sunt anno 1202.

Anno incarnationis domine millesimo ducentissimo [!] secundo, VI°· decimo Kalendas Julii, luna uicesima secunda, uisa sunt mira-

cula in cripta sanctissimorum martyrum Kiliani et sociorum eius et beati prothomartyris Stephani.

Primum est, quod cum quedam mulier paupercula nomine Gepa contracta esset octo annis et amplius in die dominica mane, cum missa celebraretur, eadem mulier casu misse interfuit iuxta tumbam sancti Brunonis wirzeburgensis episcopi, que multis uidentibus gressum recepit.

Eadem die cuidam mulieri nomine Adelheidi strume magne circa collum ad nihilum redacte non amplius apparuerunt.

Quarta feria eiusdem ebdomade eadem [1] euomuit uenenum in magna quantitate et ad plenum curata est.

In illa nocte paulo ante crepusculum quedam uirgo de ciuitate Wirzebvrg Richeidis recepit gressum testimonio multorum.

Quinta feria eiusdem ebdomade mulier quedam [2] de Eltemo in media die sacerdote suo sibi testimonium perhibente uisum recepit. Circa noctem quedam uirgo nomine Bertha de Wirzebvrc ab infantia contracta recepit gressum.

In uigilia sancti Johannis Baptiste mulier quedam de Limpach, nomine Demut, in tantum contracta, quod in terra serpebat, librum recepit gressum.

Sequenti die quedam de Linah, que in carruca uenerat, gressum recepit. Quidam puer de Butelbrunnen, nomine Heinricus, in manu et in uno crure contractus est curatus.

Quedam puella de Bleichuelt Irmengart contracta erecta est, sub testimonio multorum contigerunt ista.

In festo Johannis et Pauli nomine Adelheit, que fuit surda et muta et contracta, curata est. Eodem die quedam de Ahusen a gippo maximo omnibus uidentibus curata est.

Sequenti die, feria quinta, Heinrich de Lougingen, [3] qui sufficiens testimonium non habebat, iurauit, quod uno crure longo tempore contractus fuerit, curatus est.

Feria sexta puer quidam longo tempore contractus et infirmus curatus est. Eodem die uirgo quedam de Gozbolstorf, militis filia, cum deberet discere psalterium a demonio sepius uexata perdidit loquelam septem diebus et ueniendo ad nostram ciuitatem in itinere recepit loquelam multorum testimonio.

In uigilia sancti Kiliani post matutinas quedam de Windeheim Wendelmut manu contracta curata est.

In die sancto beati Kiliani et sociorum eius uir quidam de Immestat longo tempore cecus uisum recepit.

Media die puer quidam de nostra ciuitate in manu contractus est curatus.

In diuisione apostolorum quedam nomine Bertha de Ohsenwrt contracta est erecta.

Eodem die de Wertheim et Geilenhusen due puelle bono testimonio sunt erecte.

Sequenti die quedam Mehthilt nomine quinque annis contracta est erecta.

Quidam seruulus canonici ecclesie nostre, qui ab infantia fuit contractus, nomine Reinhardus est erectus.

Virgo quedam de Babenbergensi ciuitate iuxta tumbam sancte Kunigundis duobus annis morata fuit, que in nocte Regine virginis media nocte curata est, et quinque annis ita contracta fuit, quod in terra manibus ambabus et pedibus serpebat, cui nomen est Agnes.

Quedam de Iphehoven Cunigundis nomine per annum et dimidium contracta in uno crure, dum iuxta tumbam sancte Kunigundis Babenberc fuit, in somnis uidit, qualiter sanctus Bruno eam curare deberet; que cum esset in itinere et navigio ad ciuitatem uellet uenire, libere gressum recepit.

Quidam puer, qui sex annorum fuit, de Ense apprehensus est a lupo hora uespertina et ad siluam delatus ab eo, et undecim vulneribus infectus, cuius mater dispersis crinibus et uestibus laceratis cum magno clamore inuocando sanctum Brunonem sequebatur et puerum aput lupum semiuiuum invenit, que ut sanctum Brunonem ter invocauit, lupus a puero recessit et sic per sanctum Brunonem euasit. Quedam de Wormatia, ab infantia surda et muta, testimonio multorum honestorum uirorum, qui tunc aderant, qui etiam postea uenerunt, auditum recepit et loquelam. Quedam de nostra ciuitate Gisela nomine a demonio liberata fuit. Alia die quedam de nostra ciuitate Irmengart nomine uisum recepit. Sequenti die alia quedam Juta nomine illuminata fuit.

In Parasceve quidam puer trium annorum usque ad mediam diem in aqua submersus fuit, inuentus est mortuus; cuius pater et mater dum invocarent sanctum Brunonem et per invocationem multorum resuscitatus est.

Quedam puella de Rezèstat quatuor annis a demonio vexata liberata fuit.

Quidam quer a furibus captus fuit et in compedibus positus, qui cum solus esset, invocavit sanctum Brunonem et tetigit conpedes et solutus est.

Quidam captus erat, qui innocens fuit, et dum suspenderetur invocauit sanctum Brunonem et suspensus pependit de tercia vsque ad uesperas, quod non poterat mori, dum suspendentes traherent eum per pedes, ut eo citius moreretur, non profuit, set postea a quodam transeunte solutus fuit et sic euasit.

Quedam iuxta tumbam sancti Brunonis, que fuit obsessa, fuit absoluta.

Quedam arrepticia, que fuit mater undecim puerorum, et in quolibet eorum in partu a demonio uexata, ad ultimum per septem dies plene obsessa est, ita quod insaniuit et ad tumbam sancti Brunonis liberata fuit.

Quidam contractus de ista ciuitate multorum testimonio ad tumbam sancti B[runonis] fuit erectus.

Quidam Eber mercator de ista ciuitate in conpedibus ligatus per sanctum B. fuit liberatus et euasit.

Quidam[4] puer de Smalkalten citra VI. annos semper serpebat in terra, qui infra passionem domini recepit gressum.

Quidam puer de Tubera, qui submersus fuit in puteo a prima usque ad meridiem, et mortuus, circa uesperas uiuus euasit.

Quedam uirgo ceca in uigilia Ascensionis ad tumbam sancti B. illuminata est.

Puer Vlrici de Ernbrehteshoven nobilis viri in calculo laborans, ad tumbam sancti B. oblatus multorum testimonio liberatus est.

Quidam paraliticus VI. annis et amplius, qui multos habuit cognatos in ciuitate, curatus est.

Quidam de Fulda, innocenter suspensus, auxilio sancti B. euasit.

Quedam Erlindis elemosinaria domini L. de Sphipphe tribus cathenis ligata fuit, quarum una iuxta tumbam s. C., altera Mergentheim, tercia in uigilia s. Kiliani ad tumbam s. B. decidit, et sic soluta et curata euasit.

Quidam puer de Heitingesvelt in genibus ab infantia tantum debilitatus ita, quod ire non posset, a parentibus suis ad tumbam s. B. oblatus, ibidem gressum recepit.

Alter puer de Karleburc, cuius sinistra manus contracta fuit, in presentia multorum curatus est.

Vxor sculteti de Ristingen clauda et in uno crure contracta delata ad tumbam s. Brunonis cuius inuocans gratiam subito crure erecto gressum recepit et puer eiusdem calculosus a calculo liberatus fuit.

[1], [2], [3]) Haec verba super rasuras nigriori atramento scripta sunt.
[4]) Sequentia nigriori atramento scripta sunt.

In reliqua parte membranae fragmentum rationarii scriptum est.

CLXIII.

Anno 1203, mense Februario.

Reinoldus maioris ecclesiae wirceburgensis canonicus et archidiaconus consensu electi Heinrici et totius capituli duodecim iugera vinearum in Thaeleheim et quatuor in Ruderen hospitali pertinentia pro medietate fructuum Bertoldo de Rebestoch et uxori eius Sabene concedit.

† C. In nomine sancte et individue trinitatis. Capitulum maioris ecclesie uuirceburgensis. Que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, litterarum debent memoria perennari. Inde est, quod ego Reinoldus maioris ecclesie uuirceburgensis canonicus et

archidiaconus tam presentibus quam posteris notum facio, quod cum consensu electi nostri domini Heinrici et totius capituli duodecim iugera uinearum in Thaeleheim et quatuor in Ruderen pro medietate fructuum Bertoldo de Rebestohc et vxori sue Sabene, quo ad uitam utriusque concessi, hoc pacto, quod bene et fideliter colant et omnem expensam tam in cultura quam in uineis colligendis et custodibus remunerandis de suo persoluant et post ipsam collectionem annuatim uinum in ipsis uineis diuidatur. Insuper quolibet anno ad minus unum de predictis iugeribus fimo sufficientur melioretur. Adicimus etiam, quod proximus heres ipsorum eodem iure et pacto in usum et culturam earumdem uinearum ipsis succedat, dum modo dominos maioris ecclesie certificare possit sufficienti adhibita cautione, ita quod ipsis in hoc nichil decedat. Herede uero illo mortuo, ille uinee hospitali, cui pertinent, integraliter et absolute cedant. Huius autem laboris et cure sollicitudinem predictus Bertoldus et uxor sua magis pro remedio animarum suarum, quam pro temporali commodo susceperunt cum grauis labor et expensa uinetis cultura debita destitutis debeant adhiberi. Huius rei testes sunt clerici: Othto maior prepositus, Persius vice decanus, Gerlacus prepositus noui monasterii, Volchenandus cantor, Theodoricus prepositus de monte, Arnoldus prepositus, Gothefridus prepositus, Heinricus cellerarius, Heinricus portænarius, Iringus archidiaconus de Zabelstein, Berno canonicus, Cůno Saxo, Theodoricus Flosculus, Gerungus de Enkeresberc, Nicolaus, Rudolfus. Laici: Gothefridus de Gouuenheim, Heinricus Hacho, Waldeber, Johannes filius Dietheri, Heinricus Quabelo, Fridericus Leuuere, Heinricus filius Adelhardi, Erkenbolth Zan, Heinricus de Binzfelt, Herolth, Bruno, Iringus, Heinricus filius Reinuuardi, Gundeloch, Cůnrath, Gernoth, Fridericus filius Uuillemůth, Herborth, Johannes, Thruliep, Samo et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tertio, indictione sexta, mense Februario; regnante Philippo Romanorum rege et semper augusto, Heinrico uuirceburgensis ecclesie electo presidente, Bertholdo vrbis prefecto existente.

Sigillum capituli maioris ecclesiae impressum adest.

CLXIV.

Anno 1203.

Capitulum maioris ecclesiae wirceburgensis testatur, quod Reimbertus miles de Hedelohedorf Eberhardum, jure proprietatis sibi attinentem, ad altare S. Pantaleonis in capitulo maioris ecclesiae delegavit.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Capitulum maioris ecclesie wirceburgensis. Que geruntur in tempore, ne cum tempore dilabantur, perennari debent et uoce testium et testimonio litterarum. Notum sit igitur tam presentibus quam posteris, quod Reimbertus miles de Hedelohedorf consensu liberorum suorum et nullo cognatorum suorum vel aliorum contradicente iusto titulo donauit sancto Pantaleoni, ad altare ipsius in capitulo maioris ecclesie wirceburgensis Eberhardum seruientem, qui ei iure proprietatis attinebat, ut singulis annis tres denarios vel dimidiam libram cere ad idem altare persoluat et sic ab omni angaria et iugo alterius dominii sit inmunis, eodem iure, quo ceteri perfruuntur, qui sancto Pantaleoni iusto donationis titulo sunt hactenus delegati. Quicumque autem hanc donationem racionabiliter et legitime factam calumniari vel irritare presumpserit, iram et indignationem dei omnipotentis et beati Pantaleonis hic et in futuro se nouerit incursurum. Et ut eadem donatio in perpetuum firma maneat et inconuulsa, ipsarum duximus subscriptione testium et inpressione sigilli beati Kyliani irrefragabiliter conmunire. Huius rei testes sunt: Canonici maioris ecclesie Persius, Reinoldus de Osternach, Gozwinus de Trimperc et frater eius Boppo, Bertholdus de Oetingen, Gerungus de Enkeresberc et Cůnradus cognatus eius, Gothefridus de Chulenberc, Gothefridus de Sweigere, Iringus de Zabelstein, Cůno Saxo et prespiter Manegolt de Nuwenburc, Gothefridus custos, Bertungus sacerdos, Herbordus prespiter, Cůnradus prespiter, Wernhardus viccarius, Johannes viccarius. Laici: Wolframus scultetus prepositi de Crutheim, et filius eius Wolframus Rodegast, Wolframmus Rufus, Heroldus custos dormi-

torii dominorum de summo, Morhardus et Theodericus ambo cellerarii, Heinricus magister coquine dominorum, magister Volchenandus et filius eius Gothefridus, Brumwardus Faber.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tercio, indictione sexta, regnante gloriosissimo Romanorum rege Philippo, Heinrico wirceburgense electo existente, Bertoldo vrbis prefecto presidente.

Sigillum capituli maioris ecclesiae herbipolensis impressum adest.

CLXV.

Anno 1203.

Chunegundis, filia Ottonis militis, consensu mariti sui Counradi Uurmelin et fratris eius Hermanni Glopis et liberorum suorum ad altare S. Pantaleonis in capitolio maioris ecclesiae wirceburgensis Jutam et Luchardim filiam eius iure proprietatis sibi attinentes donat, ut singulis annis utraque earum tres denarios vel dimidiam libram cerae ad idem altare persolvat.

† C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Capitulum maioris ecclesie wirceburgensis. Que intuitu dei rationabiliter disponuntur, litterarum merentur memorie conmendari, ut earum auctoritate permaneant inconuulsa. Notum sit igitur tam presentibus quam posteris, quod Chunegundis filia Ottonis militis consensu mariti sui Cůnradi Uurmelin et fratris eius Hermanni Glopis et liberorum suorum et nullo cognatorum suorum vel aliorum contradicente, iusto titulo donauit sancto Pantaleoni ad altare ipsius in capitolio maioris ecclesie uuirceburgensis Jutam et Luchardim filiam eius, que ei iure proprietatis attinebant, ut singulis annis vtraque earum tres denarios vel dimidiam libram cere ad idem altare persoluat et sic ab omni angaria et iugo alterius dominii sit in munis

eodem iure, quo ceteri perfruuntur, qui sancto Pantaleoni iusto donationis titulo sunt hactenus delegati. Quicumque autem hanc donationem racionabiliter et legitime factam calumpniari uel irritare presumpserit, iram et indignationem dei omnipotentis et beati Pantaleonis hic et in futuro se nouerit incursurum. Et ut eadem donatio in perpetuum firma maneat et inconuulsa, ipsam duximus subscriptione testium et impressione sigilli beati Kyliani irrefragabiliter conmunire. Huius rei testes sunt: Prepositus Gerlacus, prepositus Gothefridus de Chulenberc, Dietherieus Flosculus, Berno canonicus, Iringus de Zabelstein cantor, Gerungus de Enkeresberc portenarius, Cůno sacerdos, Gothefridus viccarius et sub custos, Berthungus sacerdos de cripta, Heinricus Rufus. Laici: Hermannus filius Ottonis, Othto de Heinstat, Berengerus miles filius Richalmi et Heinricus frater eius de Theleheim, Ludewicus de Berenrieth, Cůnradus de Thiefe, Cůnradus Uurmelin, Fridericus Leuuere, Heinricus miles de Binzfelt, Heroldus custos dormitorii dominorum de summo, Wolframmus scultetus prepositi Gothefridi de Crutheim, Heinricus magister choquine dominorum, Wolframmus Rufus, Eispreht Nauta, et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tercio, indictione sexta, regnante gloriosissimo Romanorum rege Philippo, Heinrico wirceburgensis ecclesie electo existente, Bertoldo urbis prefecto presidente.

Sigillum capituli maioris ecclesiae impressum adest.

CLXVI.

Anno 1205. 9. Martii. Herbipoli.

Philippus Romanorum rex approbat et confirmat obligationem reddituum herbipolensis ecclesiae, quam pro liberatione Wilhelmi aquensis praepositi Heinricus herbipolensis electus fecit, securos

reddens creditores, quod bona ipsa in alios sumptus non convertantur, nisi ad redemptionem pignorum et obsidum ecclesiae, qui Boloniae detinentur.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX, P. I, pag. 509 Nr. CCCCLXXV.

CLXVII.

Anno 1205.

Perseus maioris ecclesiae Wirceburc decanus consensu capituli hospitale S. Egidii in civitate ante palatium episcopi situm cum omnibus pertinentiis suis fraternitati, quae dicitur capellariorum, tradit gubernandum.

C. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Ego Perseus maioris ecclesię Wirzeburc decanus. Feneratur domino, qui miseretur pauperis et uicissitudinem suam reddet ei, et iterum dicitur, qui dat pauperi non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Id circo pietati fidelium sollicite curandum est, ut in bona operatione uel sane consulendo uel saltem conpassionem adhibendo pauperum necessitatibus intenta deuotione inuigilet, in pauperibus enim personam domini recognoscimus, ueritate attestante, quę ait: Quicquid uni ex minimis meis istis fecistis, michi fecistis. Qua propter notum esse cupio tam futuris Christi fidelibus quam presentibus, quod ego cum totius capituli nostri consensu hospitale sancti Egidii in ciuitate ante palatium domini episcopi situm cum omnibus pertinentiis suis, quę in ciuitate sunt uel extra ciuitatem, fraternitati, que dicitur capellariorum, pleno iure tradidi gubernandum, ut et pauperibus ibidem recipiendis consilio eorum in presenti et in futuro melius prouideatur et res eiusdem hospitalis prioribus temporibus per multas et uarias personas, quę ad regimen eiusdem loci substitutę sunt, non tantum neglectę, sed etiam multis modis dispersę pia eorum prouidentia con-

seruentur et in debitos usus consequenter expendantur. Hoc etiam adiecto, ut eadem fraternitas predicti loci regimine a nulla privata persona conueniatur, sed tantum ego uel quicumque successor meus decanus semel uel bis in anno adiunctis duobus confratribus maioris ecclesię ad computationem rerum memorati hospitalis, si opus fuerit, admittat. Tamen si iam dicti fratres in administratione rerum prefati hospitalis uel neglientes uel ipsas male amministrantes, quod absit, forte inueniantur, ipsos arguere et eosdem corrigere meę vel mei successoris erit potestatis et si aliqua bona prefati hospitalis nisi ad meliorationem inde alienauerint, capitulum nostrum habeat retractare. Vt autem hec nostra collatio firma et perpetua permaneat, presentem paginam inde conscriptam sigilli ecclesię nostrę impressione roborauimus et testium subscriptione muniuimus. Testes huius rei sunt: Gerlacus prepositus noui monasterii, Arnoldus prepositus in Onoldesbach, Dithericus prepositus sancti Johannis, Iringus cantor, Reinoldus archidiaconus, Albertus scolasticus, Heinricus Vachart cellerarius, Gerungus portenarius, Dithericus Flosculus, Berno, Gotefridus prepositus, Henricus de Willeheresteten, Gozwinus et frater eius Boppo, Cunradus custos, Bertholdus de Otingin, Cůno Saxo, Albertus, Willehelmus scolasticus noui monasterii, Crafto cantor, Adelhunus, Boppo, Sifridus. Laici: Heinricus Hacho, Gerungus, Helmericus, Rubertus, Boppo de Linach, Wolfmarus, Gotefridus de Gowenheim, Sintramus, Arno, Volcnandus, Bertholdus. Insuper omnes capellarii et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominicę incarnationis M°. CC. V. indictione VII. regnante glorioso Romanorum rege domino Phylippo, Heinrico wirzeburgensis ecclesię electo existente, Bertholdo comite de Hennenberc prefecturam tenente.

Adest sigillum maioris ecclesiae impressum.

CLXVIII.

Anno 1206, 15. Februarii, apud Wirzeburch.

Philippus Romanorum Rex Heinrico herbipolensi electo et successoribus eius indulget: ut per totum episcopatum et ducatum ecclesiae herbipolensis utatur servitiis proprietatum hominum liberorum et hominum ecclesiae ipsius, secundum antiquam consuetudinem.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXIX. Part. I. pag. 529 Nr. CCCCCLXXXIV.

CLXIX.

Anno 1206.

Heinricus wirceburgensis electus quosdam de posteritate hominum ab Eberhardo comite ad altare S. Kyliani traditorum ab impetitione Conradi de Erlach liberat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Heinricus dei gratia wirceburgensis electus. Officii nostri ratio postulare uidetur, ut ea, que ad ecclesiarum nostrarum profectum, quietem et commoditatem proficere possunt, ubicunque congrue atque oportune possimus, tractare et ordinare debeamus. Hoc igitur intuentes his litteris nostris tam presentibus quam futuris, omnibus fidelibus intimare curamus, qualiter Eberhardus comes eterne prouidens retributionis premia, ac pium eius successoribus prebens exemplum, homines quos proprietatis iure possederat, potestiua manu ad altare preclari martiris Kyliani delegaret, hac scilicet conditione, ut quamdiu uixerint, vir V denarios, mulier IIIes in prefati martiris festo persoluant sicque omni lege seruitutis liberi cum tota posteritate sua in

eternum permaneant, nullumque aduocatum preter ipsius ecclesie habeant, post obitum uero eorum uir indumentum suum, mulier tunicale, quod propriis manibus operata est, eiusdem ecclesie custodi inconuulso iure cedat. Hanc igitur traditionem plurimorum testimonio conprobatam, quidam ecclesie nostre ministerialis C v̊ n r a d u s de E r l a c h infringere temptans, quosdam de ipsorum posteritate, Kvnegindem, Mechtildim, Gertrudem, Sibotonem, Hildebrandum, Jvtam, Adelheidem, Mechtildim sibi iniuste seruire cogebat. Qui ad nos uenientes proposita rationabili ratione, ac multorum testium probata ueritate, per C v̊ n r a d u m custodem ecclesie nostre ius suum, sicut prescriptum est, contra iam dictum C v̊ n r a d u m de E r l a c h in presentia nostra obtinuerunt, et nos iuste eorum petitioni annuentes, hanc traditionem plurimorum relatione probatam, literis nostris confirmare decreuimus. Ut igitur prefati homines et omnis sub eadem conditione descendens posteritas nullam deinceps ab aliquo iniuriam de predicta conditione patiantur, hanc illis cartam conscribi fecimus, quam subscriptorum testimonio pari assensu omnium, qui aderant, ex dei patris omnipotentis et officii nostri auctoritate confirmauimus, et sigilli nostri inpressione fecimus conmuniri. Si quis uero temerario iure hos prefatos homines, et ab eis fluentes perturbare aut inquietare presumpserit, omnium consortio fidelium alienetur, dominici corporis et sanguinis participatione priuetur, et in extrema ultione districtius mutiletur, atque in eternum cum Juda traditore crucietur. Huius rei testes sunt: Perseus decanus, Gerlacus prepositus noui monasterii, Theodericus prepositus sancti Johannis in monte, Herbordus decanus sancti Johannis in monte, Hermannus decanus noui monasterii, Bertoldus de Otinge, Iringus cantor, Albertus scolasticus, Gerungus portenarius, Gozwinus de Trintberch, Heinricus Caseus, Albertus de Waldhvsen, Cv̊nradus de Horenburch, Kv̊no sacerdos, Boppo de Fierede. Laici: Heinricus de Bvchele, Albertus de Eislebe, Iringus de Schernowe, Wolframus de Brozsolvesheim, Warmundus de Erlach, Helmericus, Heinricus de Taleheim et frater suus Beringerus, et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. VI°., indictione VIIIª., regnante gloriosissimo rege Philippo, Bertoldo vrbano comite existente.

Sigillum Heinrici electi impressum adest, hunc in cathedra episcopali sedentem repraesentans, dextra pedum, sinistri librum evangeliorum tenentem. In circuitu legitur: „† HEINRIC DEI GRA WIRCEBVRGENSIS ECCLESIE LECT [!]“

CLXX.

Anno 1206.

Sara Judaea, manens in Wirceburch, omnem proprietatem suam in vineis et in domibus in manus dominorum de summo tradit, et denuo ab ipsis certis conditionibus recipit.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ad generalem spectare dinoscitur utilitatem, cum memoria hominum labilis sit et obliuiosa, ut ea, que modernis temporibus aguntur siue ordinantur negocia, scripto firmiter roborentur, ne quis zelo inuidie inductus ea, que fuerunt rationabiliter instituta uel ordinata, in posterum possit irritare. Nouerit itaque tam futuri quam presentis eui posteritas, quod Sara Judaica, manens in Wirceburch, omnem proprietatem, quam habet, siue in uineis, siue in domibus, in manus dominorum de summo tradidit, et denuo cum filiis et filiabus suis eam ab ipsis recepit, talem ipsis constituens oblationem, ut singulis annis in die sancti Burchardi, quamdiu uixerit, et pueri eius post mortem ipsius, de VI jugeribus uinearum, que sita sunt prope stratam uersus Heidingesvelt ad montem Steinbach I. maldratam tritici persoluant, de domo etiam, quam inhabitat, que contigua est domui Heroldi de Foro II libras cere annuatim in die sancti Nicolai constituit, et de domo sua sita prope Rigol retro domos illorum, qui faciunt corium, quod dicitur cordvan, I libram cere in die sancti Nicolai instituit, et ut hoc filii sui et filie sue post mortem ipsius diligenter obseruent institutum, hanc inquam proprietatem promemoratam iam dicta Sara per manus dominorum de summo taliter delegauit, ut filii sui Nathan et Viues, exclusis filiabus, domum suam, quam

inhabitat adjacentem domui Heroldi de Foro, possideant, et ut solus Nathan filius eius, excluso fratre suo Viues, et sororibus suis exclusis, uineam predictam obtineat, eo tamen interposito, ut sepius dicta Sara domum et uineam quoad uixerit usibus suis coaptet, dumtaxat, ut aut eas uendendi aut exponendi aut aliquomodo conmutandi nullam prorsus habeat libertatem. Domum etiam prefatam, que prope Rigol sita est, retro calciarios, filiabus suis Rachel, Odilie, Zimee, Minne, exclusis filiis Nathan et Viues, sub tali tradidit conditione, ut si ei necessitas aliqua ingruerit, eam aut uendere, aut possit exponere nullo contradicente, et ut iamdicte filie singulis annis de hac domo I libram cere in die sancti Nicolai dominis de summo post mortem ipsius persoluant. Huius rei testes sunt: Gerlacus prepositus, Albertus scolasticus, Theodericus Flosculus, Gerungus portenarius, Heinricus custos, Boppo de Fierede. Laici: Boppo de Lina, Helmericus, Fridericus Lewere, Ekkhardus Hůniklin. Judei: Sanuel, Gumprecht, Salman, Michael, Nathan, Michael junior. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o^. CC^o^. VI°., indictione X., regnante rege Philippo, et Heinrico existente electo wirceburgensi, Bertoldo comite de Hennenberc urbis prefecto.

Sigillum capituli maioris ecclesiae impressum adest.

CLXXI.

Anno 1207. 2. Januarii, Werzéburch.

Otto herbipolensis electus, Hugone et Leone apostolicae sedis legatis rogantibus, clerico suo Detauito, parrochiano in Bibera, licentiam dat vendendi ad triennium fructus dictae parrochiae.

Otto miseratione diuina herbipolensis electus omnibus Christi fidelibus, ad quos scriptum istud peruenerit, salutem in domino. Notum esse uolumus uniuersis, quod dilectus clericus noster Deta-

uitus parochianus in Bibera ad nostram accessit presentiam et a nobis humiliter postulauit, ut licentiam et auctoritatem sibi daremus, fructus iam dicte parochie ad triennium uendere pro debitis suis soluendis et idem pro eo reuerendi domini nostri Hugo hostiensis et velletrensis episcopus et Leo tituli sancte crucis in Jerusalem presbiter cardinalis apostolice sedis legati nos affectuose rogarunt. Nos uero ad memoriam reducentes obsequia, que olim ecclesie nostre et nostris antecessoribus exhibuit et adhuc poterit exhibere et quia eum carum plurimum habemus et acceptum, ei fructus iam dicte ecclesie ad supradictum tempus uendere duximus indulgere. Quicumque ergo hanc fecerit emptionem, sciat se ad iam dictum tempus per nos et nostros quiete et pacifice possidere. Ita quidem si infra hoc temporis spatium iam dictum parrochianum cedere uel decedere continguerit, nichilominus iam dictus emptor nostra auctoritate sufultus usque ad prefinitum triennii tempus totaliter elapsum quieta et libera iam dictorum reddituum gaudeat perceptione et nos infra illud tempus triennii nemini eam ecclesiam concedere promittimus uel locare. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostre indulgentie infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare presumpserit, indignationem dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostram se nouerit incursurum. Actum est hoc Werzeburg anno domini M°. CC°. VII°., indictione X^{a}., IIII non. Januarii. Testes ad hoc rogati: Persius maior decanus, Albertus magister scolarum, Gerlacus prepositus, Henricus Caseus custos, Poppo canonicus, Everardus canonicus, Albertus canonicus, Warnerus canonicus noui monasterii et scriba episcopi.

Sigillum olim ex membrana appendens periit.

CLXXII.

A.

Anno 1207, Dornbach in coenaculo abbatis S. Petri de Salzburch.

Liupoldus dux Stiriae et Austriae de dividunda prole Alheidis, filiae ministerialis sui Ernesti de Trun, Dietrico de Puhel, erbipolensi ministeriali nuptae paciscitur.

Liupoldus dei gratia dux tam Stirie quam et Austrie cunctis Christi fidelibus inperpetuum. Vt hominum gesta, que digna fuerint memoria, tam posteris quam et presentibus ueraciter innotescerent prouida patrum sollertia contra nouercalem rerum obliuionem scriptorum testimonia prudentissime procurauit. Quod etiam futuris ex tunc etatum successionibus exemplum humanis contractibus necessarium commodissime reliquit. Hinc est, quod et nos presentium simul et futurorum memorie notum esse cupimus, quod ministerialis nostri Ernesti de Trůn filiam Alheit dictam, vxorem Dietrici de Půhel erbipolensi ecclesie, cuius ipse ministerialis est, per manum Rodgeri de Proschingen iure nostro delegauimus, eo tamen pacto, ut filii seu filie memorati D. et predicte uxoris sue A. tam in nostram quam et in predicte ecclesie sortem segregantur, eo quoque tenore, ut tam filie quam filii ipsorum, jus feodi hereditarium, et equam sortis distributionem utriusque, id est tam a nobis quam ab erbipolensi ecclesia perhenniter habeant. Quod si alterum tantum, hoc est filium vel filiam generauerint, ipse vel ipsa cum sobole sua ad pretaxatum pari hereditarie sortis et feodi jure, ut premissum est, episcopatum pertinebit. Ut autem hec rata permaneant et inconuulsa presenti pagina cum subscriptis testibus et sigillo nostro signata rite confirmamus. Huius rei sunt testes: Wernhardus de Scowenberch, Ůlricus de Pekka, Adeloldvs de Chiowe, Wichardvs junior de Charlesperch, Gerhardus de Chrumpach, Otto de Perhtoldesdorf, Esbwinus de Grǒnenbach, Otto de Misowe, Livpoldus pin-

cerna et Hugo frater suus de Molanstorf, Diethmarus de Michelbach, Otto junior de Ror, Hainricus et Dietricus Saxones, Ernestus de Trûn, Vlricus de Wildinsmûr, tres fratres Tuschen de Trûtmannesdorf, Fridericus de Wachrein, Hainricus de Lufenberg. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. VII°. Dornbach in cenaculo abbatis sancti Petri de Salzburch. Hec autem eo pacto facta sunt et roborata, ut et domnus erbipolensis episcopus Otto jure suo, hoc est sigillo et ministerialium suorum testimonio in perpetuum corroboret.

B.

Anno 1207, Herbipoli.

Otto herbipolensis ecclesiae electus praecedenti statuto assentit.

Otto diuina miseratione herbipolensis ecclesie electus. Hiis, que a nobis iuste et rationabiliter postulantur, eo fauorem nostrum libentius impertimur, quo per ipsa et maior postulantibus accedit utilitas, et ecclesie nichil deperit profectibus aut honori. Inde est, quod et etati presentium et successioni futurorum Christi fidelium notum esse cupimus, quod carissimus noster Liupoldus illustris dux Austrie et Stirie filiam Ernesti de Trunn, nomine Adelheid uxorem ministerialis ecclesie nostre, Teoderici de Puhel beato Kyliano et ecclesie herbipolensi libere per manum Rodgeri de Proschingen tradidit et donauit, sub ea forma, que in ipsius ducis presenti priuilegio notata est et conscripta, quam nos cum consensu capituli nostri, pro dilectione nominati Teoderici et commodo uxoris eius, que in dominium ecclesie nostre transiit, benigne admittimus et presentis scripti patrocinio confirmamus, statuentes, ut tam ipsi quam heredes ipsorum ea semper ordinatione gaudeant, que nostra ac ducis antedicti largitione ipsis indulta est et collata. Ad cuius rei certam in posterum euidentiam, hanc paginam conscribi et sigillo nostro iussimus insigniri. Huius rei testes sunt: Gerlacus prepositus noui monasterii, Teode-

ricus prepositus ecclesie sancti Johannis in Houge, Gotfridus prepositus de Mukenstat, Arnoldus prepositus de Onoldespah, Gozwinus de Trinberc, Bertoldus de Otingen, Wernerus notarius, Nidungus de Wirceburc et Waldeber frater eius, Heinricus marscalcus de Lure, Arnoldus Pica et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. VII. Data Herbipoli.

Haec confirmatio instrumento antecedenti ex parte sinistra alia manu asscripta est, ita ut ambo documenta in una et eadem pagina locum teneant.
Liupoldi ducis sigillum equestre, ex filis sericis rubri coloris appendens, ex utraque parte signatum est. Ex una parte hunc ducem repraesentat dextram versus equitantem, armatum, vexillum et scutum tenentem, in quo apparent insignia Stiriae: panther. In circuitu legitur: „† LIVPOLDVS DEI GRATIA DVX STIRIE.“

Ex altera parte Liupoldus conspicitur pari modo, sinistram versus equitans; in scuto apparent insignia ducum Austriae lineae babenbergensis: aquila. In circuitu legitur: „† LIVPOLDVS DEI GRATIA DVX AVSTRIE.“

Sigillum Ottonis episcopi periit, remanentibus filis sericis rubri coloris.

Liupoldi ducis charta edita est in: Archiv für Geschichte, Statistik, Literatur und Kunst. Wien 1827, pag. 522 et in Hormayr Taschenbuch 1838 p. 271, confer. Meiller Regesten zur Geschichte p. 95, qui huic instrumento epocham post 11. Mart. sistit.

CLXXIII.

Circa annum 1207.

Sifridus maguntinae sedis archiepiscopus electionem Ottonis prepositi in episcopum wirceburgensem ratam habet.

S. dei gratia sancte Maguntine sedis archiepiscopus. Dilectis in Christo filiis et amicis suis. P. decano et toti capitulo maioris ecclesie in Wirceburc salutem et paterne dilectionis plenitudinem cum affectu. Quia uos et ecclesiam uestram spirituali et sincera

in domino diligimus caritate nuncios uestros, sicut ipsorum decuit honestatem, cum omni benignitate atque hilaritate recepimus, et quia iustis petentium desideriis facilem et benignum prebere debemus assensum, electionem uestram quam, fecistis in uenerabilem fratrem nostrum dominum O. electum uestrum, tunc ecclesie uestre prepositum, cum eam nobis ex testimonio litterarum et uiue uocis constituerit esse canonicam et concordem, ratam habentes et gratam quam plurimum, auctoritate nostra quem admodum a nobis humiliter postulatis, duximus confirmandam, ipsius electi speciali dilectione, qua eum amplectimur, nos ad hoc facilius inuitante, cum etiam ob ipsius persone merita et prudentiam, factum uestrum habeamus propensius in domino commendatum. Quo circa uniuersitati uestre mandamus, quatinus eidem electo tam promptam quam debitam exhibeatis tamquam patri et domino cum deuotione obedientiam et reuerentiam, ut debitis, ita quod ipse iuxta discretionis mensuram sibi collatam a domino uniuersis ac singulis prudenter et fideliter preesse ualeat pariter et prodesse.

Sigilli ex membrana pendentis particula, partem inferiorem episcopi sedentis monstrans, superest.

CLXXIV.

Inter annos 1207—1223.

Otto wirceburgensis episcopus Vlrico magistro operis ac eiusdem successoribus libertatem ab omni exactione seu precaria confirmat.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. O. dei gratia wirceburgensis episcopus vniuersis ad quos presens scriptura peruenerit, salutem in uero salutari. Gestorum seriem prouida ueterum uigilantia ad hoc litteris mandare consueuit, ut quod humana non ualet memoria retinere, mediante scriptura futurorum noticie declaretur.

Huius nos uestigia consuetudinis imitantes notum esse cupimus presentibus et futuris, quod ecclesia herbipolensis ab antiqua institutione tali se gaudet priuilegio decoratam, ut quisquis fuerit ad prouidendam eiusdem ecclesie fabricam destinatus, ab omni exactione seu precaria liber esse debeat et immunis. Nos itaque attendentes, quantam eis, qui honori ecclesie fideliter inuigilant debeamus benignitatis gratiam exhibere, ius suum ecclesie recognoscimus et honestam hanc consuetudinem confirmantes, tam Vlrico, qui nunc operis huius magister est institutus, quam omnibus instituendis eandem concedimus libertatem. Ut autem presens ordinatio robur in posterum habeat firmitatis presentem paginam sigilli nostri uolumus impressione muniri.

Sigillum Ottonis episcopi appendet ex filis sericis viridis ac rubri coloris, hunc repraesentans sedentem in cathedra episcopali, bireto tectum, pedum dextra, librum evangeliorum sinistra tenentem; in circuitu legitur: „† OTTO DEI GRATIA WIRCEBVRGENSIS ECCLE EPS."

CLXXV.

Anno 1209.

Otto wirceburgensis episcopus ad usus concanonicorum suorum quaedam confert molendina sibi vacantia et si hoc factum in irritum revocari debeat, XIII iugera vinearum in Scalkeberc in recompensationem substituit.

O. dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus, vniuersis Christi fidelibus, qui hoc scriptum inspexerint salutem in domino. Notum esse cupimus uniuersitati fidelium hanc cartam intuentium, quod de petitione concanonicorum nostrorum quedam molendina nobis uacantia ad usus ipsorum sancto Kyliano et sociis eius conferremus libere et absque omni conditione, ad hoc precauendum, si quo ingenio

heredum ad ipsa molendina pertinentium, de quibus adhuc minus intelleximus, hoc factum nostrum debeat uel possit in irritum reuocari, XIIII iugera uinearum Scalkeberc ad usus nostros pertinentes, in reconpensationem confratribus nostris tradidimus. Vt autem hec nostra delegatio firmiori consistat robore, et inuiolabiliter obseruetur, hanc cartulam sigilli nostri iussimus inpressione consignari. Huius rei testes: Otto maior prepositus, Perseus decanus, Gerlacus prepositus noui monasterii, Theodericus prepositus de Hovge, Arnoldus prepositus de Onolvesbach, Iringus cantor, Godefridus prepositus, Henricus custos, Wernerus scriptor, Baldewinus. Laici: Heinricus marscalcus de Lure, Nidungus, Waldeber, Heinricus Rufus dapifer, Kvno Wolvoldus et alii quam plures. Actum anno dominice incarnationis MCCIX, indictione XII[a].

Sigillum Ottonis episcopi appendet ex filis sericis viridis et rubri coloris.

CLXXVI.

Anno 1209.

Otto wirceburgensis ecclesiae episcopus capitulo S. Kyliani duo molendina in Bleicha cum horto pretio centum marcarum vendit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. O dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus vniuersis Christi fidelibus, qui hoc scriptum inspexerint, salutem in domino. Quia status tocius mundi labitur et deficit, necessarium duximus scripture testimonio confirmare, que transeuntis temporis uolubilitas consueuit alienare. Ea propter etati presentium et successioni futurorum notum esse cupimus, quod de petitione confratrum nostrorum wirceburgensis ecclesie canonicorum, duo molendina sita in Bleicha cum horto, ad nostros usus deuoluta, cum omni integritate, qua ea Henricus scultetus, pater

Bernonis concanonici nostri in beneficio dudum habuerat, et post modum, dum mortuo Richalmo iuniore de Harpach, qui ea iuste possederat, nobis uacarent, precise et absque omni conditione, in precio centum marcarum sancto Kyliano et sociis eius ad usus confratrum nostrorum tradidimus. Ne igitur diuturnitate temporum aut suspitione malignantium, rite ac sollempniter peractis possit derogari, hanc presentem paginam sigilli nostri testimonio fecimus roborari. Huius rei testes sunt: Otto maior prepositus, Perseus decanus, Gerlacus prepositus noui monasterii, Theodericus prepositus sancti Johannis in Hovge, Iringus cantor, Arnoldus prepositus de Onolvesbach, Godefridus prepositus, Albertus scolasticus, Heinricus custos, Wernerus scriptor, canonicus noui monasterii, Baldewinus. Laici: Heinricus marscalcus de Lure, Nidungus, Waldebęr, Heinricus Rufus dapifer, Kvno Wolfoldus et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. IX°., indictione XII^a^., regnante Ottone Romanorum rege.

Sigillum Ottonis episcopi appendet ex filis sericis.

CLXXVII.

Anno 1209.

Burkardus abbas in Brunnebach curiam in Randisaker et XVIII iugera vinearum, quae Eberhardus de Marmore, wirceburgensis canonicus, ecclesiae suae puerisque suis Walperto et Cunrado delegaverat, conventus sui consensu Iringo wirciburgensis ecclesiae cantori acceptis XXX. marcis confert.

C. In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Burkardus dictus abbas in Brunnebach. Nouerit tam presentium quam futurorum uniuersitas, quod benę recordationis domnus Eberhardus wirciburgensis ęcclesię canonicus, dictus de Marmore, ante aliquot annos

moriens, spe uitę eternę consequendę, curiam suam in Randisaker, et XVIII iugera uinearum ęcclesie nostre puerisque suis Walperto et Cůnrado delegauerat. Porro accedente tempore, cum eadem curia uetustate simul et incuria dilabi cepisset nullusque eius ruinas instauraret, quidquid iuris in sepe dicta curia habuimus, unanimi conuentus nostri mediante consensu domino Iringo venerabili wirciburgensis ęcclesię cantori, acceptis XXX[a] marcis contulimus, curiam videlicet solam ac nudam, quantum muri ambitus et edificia cetera conplectuntur, uineas ipsas et si qua sunt alia sub pristina testamenti lege ac forma ecclesie nostrę conseruantes. Testes sunt huius contractus: Oddo maior prepositus wirciburgensis, Persius decanus, Gerlacus prepositus noui monasterii, Theodericus prepositus de Hovge, Arnoldus prepositus de Onoldisbach, Gotefridus prepositus de Mukestat, Berhtoldus de Otingen archidiaconus et uniuersus fere eiusdem wirceburgensis ęcclesię conuentus. Laici: Iringus Crase, Iringus de Randesaker et Heinricus filius eius, Volcnandus an Rinnewege et filius eius Gotefridus et alii quam plures. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini M[o] CC[o] VIIII[o], indictione XII[a], regnante domino Ottone IIII[o] Romanorum rege inuictissimo, domino Ottone wirceburgensis ęcclesię episcopo et Berhtoldo comite de Heninberc vrbis prefecto.

Appendet sigillum abbatiae brunnebacensis laesum.

CLXXVIII.

Anno 1211. 12. Februarii.

Otto herbipolensis episcopus homines ab Henrico de Bokesberc abstractos suisque servitiis mancipatos et Wimaro de Husen traditos, ab ambobus autem iterum resignatos, ministeriales ecclesiae wirciburgensis declarat.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otto dei gratia herbipolensis episcopus. Vt negotiorum, que apud mortales geruntur

noticia non inpediente antiquitatis obliuiose fermento etati presentium Christi fidelium et successioni futturorum clarius illucescat, necesse [est] ea, que finem sortiuntur legitimum, scripturarum auctoritate et munimine roborari. Inde est, quod nos tam presentibus quam futturis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis notum esse cupimus, quod dilectus noster Heinricus de Bokesberc quosdam homines a nobis et ecclesia nostra suis tenuerat seruitiis mancipatos et astrictos, quos ab ipso Wimarus de Husen et filii sui iure consimili tenuerunt, uidelicet Adelheidim filiam Wolframi Bawari cum omni eius successione et Wolframum filium eiusdem Bawari, quos Heinricus iam dictus de Bokesberc a Wimaro et suis filiis sibi in nostra presentia resignatos nobis et ecclesie nostre ab omni iugo seruitutis absolutos et liberos resignauit. Nos igitur ipsorum comodis cupientes utiliter prouidere, conditiones eorundem meliorando, eosdem nostros et ecclesie sancti Kiliani in Wirceburc, cui tunc presedimus, ministeriales esse decreuimus et factum nostrum totius terre nostre tam nobilium quam ministerialium astruente sentencia et id ipsum concordi omnium assensu conprobante sanctiuimus, vt idem homines integraliter omni ministerialium optimo iure gauderent et priuilegio, eosdem ad ipsorum optionem marscalcie officio deputantes. Huius rei testes sunt nobiles et liberi: comes Berhtoldus de Hennenberc, Conradus de Warperc, Crafto filius eius, Crafto de Nuwenburc, Heinricus de Haldenberc, Egeno comes de Eichelberc, Heinricus et Swicgerus fratres de Buchela, Heinricus de Binzuelt. Clerici: Otto maioris ecclesie et noui monasterii prepositus, Albertus de Waldhusen, Boppo de Osternach, Werenherus scriba, Gotefridus custos noui monasterii, Baldewinus notarius, Heinricus de Dieppach, magister Heinricus de Onoldesbach, Conradus scriba, Hermanus notarius. Laici: Nidungus et Waldeber fratres, Heinricus et Berngerus de Teleheim fratres, Gerungus Diues et Helmericus fratres, Heinricus et Reinhardus de Buteriet fratres, Heinricus magister inperialis coquine, Iringus Creso, Adelhunus pincerna, Heinricus dapifer, Heinricus pincerna, Albertus magister coquine, Wolframus et Siboto de Heitingesuelt fratres, Egelolfus, Conradus scultetus, Berhtoldus filius eius, Sifridus et Heinricus de

Heitingesfelt, Sefridus de Rotenburc et alii quam plures. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini M°·CC°·XI°· indictione IX^{a}, II°· Idus Februarii, inperii gloriosissimi Romanorum imperatoris anno III°·, episcopatus nostri anno quinto. Nequis autem huius pagine ueritati audeat in posterum contraire, nos ipsam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Appendet sigillum Ottonis episcopi ex filis sericis rubri ac viridis coloris.

Anno Christi 1211 currebat indictio decima quarta.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlandes. III, p. 338, Nr. XVI.

CLXXIX.

Anno 1211.

Otto wirceburgensis ecclesie episcopus cives suos a persolutione denariorum missalium ad maiorem ecclesiam attinentium liberat, eiusdemque ecclesiae plebano in recompensationem donat vineas in montibus Pfaffenberc et Schalkeberc, contra stiegam Rinpure et in Treibenclingen.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. O. dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Uniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, qui hoc scriptum inspexerint salutem. Hiis, que a nobis iuste ac rationabiliter postulantur, eo fauorem nostrum et beniuolentiam libentius inpertimur, quo per ea et maior postulantibus accedit utilitas et legitimis nichil deperit institutis. Vt igitur fidelium nostrorum ciuium herbipolensium postulatio, quam grato assensu recepimus et admisimus, cum effectu confirmationis nostre muninime roboretur et nec in obliuionem amodo transeat aut in recidiue dubietatis scrupulum relabatur, notum esse cupimus et etati presentium et posteritati fidelium futurorum, qualiter par-

rochianus maioris ecclesie Billungus et antecessores eiusdem a ciuibus nostris et familiis eorundem, quemadmodum in locis aliis est consuetum fieri, missales denarios annis singulis receperunt, in quorum requisitione aliquos de ciuibus propter negligentiam frequenter siue contumaciam excommunicationis uinculo contigit innodari et sine absolutionis beneficio decedere per obliuionem uel ignorantiam, aut per casus alios, qui solent indiscretis et salutem suam negligentibus euenire. Ut autem his malis resisteretur prouide et prudenter, et inter parrochianum et successores ipsius et tam ciues quam ipsorum posteros discordie fomes et dissensionis in perpetuum materia auferretur, prelatis et clero suadentibus nobisque annuentibus est statutum, quod ciues et populus, qui prouisioni plebani maioris attinere noscuntur, liberi ab huiusmodi denariorum missalium persolutione in posterum esse debent et nos auctoritate pontificali, qua fungimur, fratrum nostrorum coniuentia et consensu, prefati Billungi parrochiani etiam interuentu, ipsos censemus esse liberos et penitus absolutos. Ne autem dictus plebanus uel sui successores aliqua sui stipendii portione priuentur et ex hac mutatione emolumenti soliti diminutionem sustineant aut iacturam, procuratores huius negocii, ciues nostri, quorum in his et in aliis bonis actibus prudentia et sollicitudo apparent, de elemosinis Christi fidelium octoginta et octo marcarum precio decem iugera uinearum et terciam partem unius iugeris compararunt, que uineę in recompensationem denariorum prescriptorum sepedicto plebano et suis successoribus decetero seruient, et ad usus ipsorum conuertentur. Prefatarum autem uinearum sita sunt tria iugera in monte Phaffenberc, et prope illa unum iuger et quarta pars iugeris in monte Schalkeberc, contra stiegam Rinpure tria iugera quartali minus, Treibenklingen contra nouum montem tria iugera et tercia pars iugeris. Vt igitur factum ipsum perpetua firmitudine gaudeat, ad ipsius certam in posterum euidentiam presens priuilegium conscribi et sigillo nostro et ecclesie et sigillo ciuium nostrorum iussimus insigniri.

Testes: Otto maior prepositus, Perseus decanus, Theodericus prepositus de Hovge, Arnoldus prepositus de Onolvesbach, Vakardus cellerarius, Iringus cantor, Godefridus prepositus de Kulenberc,

Heinricus custos, Boppo portenarius et vniuersum capitulum. Laici: Heinricus de Rauensburc, Bodo frater suus, Nidungus, Heinricus de Thalheim, Berngerus, Gerungus Diues et frater suus Helmericus, Heinricus magister coquine, Iringus Cresso, Adelunus pincerna, Heinricus dapifer, Arnoldus Pica et tota ciuitas wirceburgensis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XI°., indictione XIIII^a., regnante imperatore Ottone et episcopo Ottone existente wirceburgensi, et Bertoldo de Hennenberc prefecto wirceburgensi existente.

Appendent tria sigilla ex filis sericis: 1) Ottonis episcopi. 2) Collegii maioris ecclesiae. 3) Civitatis „Wirceburc".

CLXXX.

Anno 1211.

Capitulum maioris ecclesiae wirzeburgensis bona in Espenvelt et vineas in Hohenbuch, oblationi ecclesiae maioris attinentes, hospitali domui S. Egidii ad sustentationem pauperum confert.

I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia wirzeburgensis ecclesie prepositus, Perseus decanus et vniuersum maioris ecclesie capitulum. .. Notum . . . facimus vniuersitati fidelium, qui hanc cartam inspexerint, quod nos de communi consilio et pio fauore capituli nostri et de bona uoluntate et fauorabili consensu confratris nostri Bernonis de oblatione ecclesie nostre, que in possessione ipsius est, bona in Espenvelt et vineas in Hohenbuch, huic oblationi attinentes, ad hospitalem domum sancti Egidii et beati Theodrici, que ecclesie nostre gubernacioni et prouisioni a predecessoribus nostris pie memorie Embricone episcopo et Ottone preposito tradita est, ad sustentationem pauperum contulimus. Donationis autem nostre forma hec est, ut prefatus Berno confrater noster,

quam diu vixerit, absque omni infestatione predictos redditus quiete possideat et debitum canonem ecclesie nostre et aliis ecclesiis, sicut hucusque, inde persolvat. Post mortem uero ipsius possessio predictorum prediorum ad hospitale supradictum deuoluatur et prouisores huius hospitalis debitum canonem, sicut Berno multis annis persoluit, ecclesie nostre et aliis ecclesiis de bonis illis persoluant, hoc etiam adiecto, ut in anniuersario sepius dicti Bernonis decem solidi ecclesie nostre tantum modo annuatim de bonis supradictis persoluantur. . .

Testes huius rei: Thodericus prepositus de Hauge, Arnoldus prepositus de Onolvesbach, Godefridus de Kulenberg prepositus, Vakardus cellerarius, Iringus cantor, Gozwinus et Boppo frater eius, Heinricus custos et frater eius Adolfus, Boppo portenarius, Theodericus Flosculus, Albertus de Walthusen, Heinricus de Augusta, Cunradus de Kulenberg, Kuno. Acta sunt hec anno incarnationis domini M°. CC°. XI.

Ex libro copiali Bebenburg: fol. 322 Nr. XVII.

CLXXXI.

Anno 1212. 24. Augusti.

Otto herbipolensis episcopus Judaeo Nathan confert curtes quasdam et domos super Cornelium, inter utramque plateam sitas, ab Judaeo Biscoph nomine de Rotenburch, per Ludewicum de Stoleberch et Heinricum de Nortenberch resignatas.

C. I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia herbipolensis episcopus. Notum . . . facimus . . . quod nos curtes quasdam et domos super Cornelium, inter vtramque plateam sitas, que cuiusdam Judei Biscoph nomine de Rotenburch fuerant, per Lvdewicum de Stoleberch et Heinricum de Nortenberch resignatas nobis

libere, ad petitionem Nathan Judei ecclesie sancti Kiliani proprias dedimus. Eo videlicet pacto, vt idem Judevs et omnis heredum suorum posteritas easdem curtes et domos ab ipsa ecclesia per manum decani maioris pro maldro tritici, in festo sancti Martini ipsius ecclesie fratribus annvatim dependendi, reciperet et teneret. Ita videlicet, vt ab ipso Nathan et suis heredibus bona predicta absolut[!] et libere possidentibus, nullus omnino respectus ad aliquem, nisi ad maioris ecclesie nostre capitulum habeatur.

Huius rei testes hii sunt: Otto maior et noui monasterii prepositus, Persevs decanus, Theodericus Flosculus, Theodericus in Hovge prepositus, Arnoldus in Honoldesbach prepositus, Iringus cantor, Gotefridus in Mukkenstat prepositus, Heinricus custos, Berno, Eberhardus de Hombvrch, Albertus de Walthusen, Cv̊nradus de Winesperch canonici. Laici: Gerhardus comes de Rienekke, Heinricus de Sterenberch, Nidungus, Waldeber, Heinricus de Theleheim, Heinricus dapifer, Heinricus pincerna, Helmericus, Heinricus magister coquine de Rotenburch, Sintrammus, Billungus camerarius, Wolframus de Zabelstein. Judei: Abraham, Bonefan, Lieberman, Jacob, Viuus, Michahel. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M$^{o.}$ CC$^{o.}$ XII$^{o.}$, indictione XIIII$^{a.}$, nono kalendas Septembris, anno domini Innocentii III. XIIII$^{o.}$ Imperante serenissimo domino Ottone IIII$^{to.}$, Boppone vrbis prefecto, episcoptus nostri anno qvinto.

Appendet sigillum Ottonis episcopi optime conservatum.

CLXXXII.

Anno 1212.

Capituli maioris ecclesiae testimonium, quod Leo civis wirzeburgensis ratione bonorum, quae cum uxore sua Bertrade conquisierat, per fratres Heinricum et Marquardum de Rotenvils incommodum sustinere non debeat.

I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia wirceburgensis ecclesie maior prepositus, Perseus decanus et vniuersum eiusdem ecclesie collegium.

24 *

...Notum .. facimus uniuersitati fidelium .., quod cum nobilis vir dominus Heinricus de Rotenvils ciuem quendam wirceburgensem Leonem nomine super eo conveniret, quod pro uxore sua Bertrade defuncta, quam propriam suam fuisse asserebat, rationem esset redditurus de omnibus rebus conquisitis tam mobilibus quam inmobilibus et de uniuersis, que simul uiuendo conquisierant, ipse Leo intercedentibus mutuis amicorum suorum precibus hanc a prefato d[omino] H. obt[inuit] gratiam et securitatem, quod ipse dominus Heinricus in presentia capituli nostri et plerisque ciuibus wirceburgensibus audientibus in manus domini decani data fide promisit, quod nec per ipsum seu per fratrem suum Marquardum, qui tunc absens fuerat, siue per ipsorum heredes iam dictus Leo nullum de cetero super hac causa debeat incomodum sustinere, et quicumque ipsum pro hoc facto deinceps inquietare uel conturbare presumpserit, ipsum penitus indempnem et sine omni inquietatione securum faciat permanere. Vt autem hoc factum sine omni contradictione firmum permaneat, cartam presentem conscribi et tam sigillo ecclesie nostre, quam ipsius domini Heinrici et ciuitatis wirceburgensis sigillo fecimus roborari.

Testes: Perseus decanus, Theodericus prepositus de Houge, Godefridus prepositus de Kulenberc, Heinricus cellerarius, Iringus cantor, Berno, Heinricus custos, Cunradus de Winsberc, Albertus de Walthusen, Adolfus et totus conventus. Laici: Heinricus de Brotzolvesheim, Nidungus, Heinricus de Thelheim, Heinricus magister coquine, Theodericus prope Mǫgum, Arnoldus Pica, Adelunus pincerna et filius suus Adelunus, Iringus Cresso, Gerungus, Helmericus, Sintramus, Helewicus de Randesaker, Iringus, Bertoldus et Arnoldus citra Mogum, Ekehardus Pullus, Iringus filius Brunonis, Heroldus de Foro, Godefridus de Gowenheim, Heinricus de Binzvelt, Heinricus Lůgelin, Rudegerus et Eberhardus, Arno de Hochheim, Johannes de Foro, Cunradus Sweigerere, Siboto et frater suus de Klinge, Hermannus de Vlma, Kůno, Eberkin, Růpelin, Hermannus filius Reinwardi, Cunradus de Friberc, Billungus de Bleichvelt, Heinricus filius suus, Theodericus, Engelardus aurifex, Emehardus de Heidingisvelt, Ortwinus de Rotenburc, Hugo de Argoteshoven, Rudolfus, Heinricus

de Dorenberc, Erkenbolt, Heinricus de Wigenheim, Bertoldus frater suus, Cunradus de Dingoldeshusen, Cunradus de Nurenberc, Cunradus Rufus monetarius, Cunradus magister monete, Heinricus filius Luverici, Heinricus monetarius, Ceruus et frater suus Godefridus, Reinboto monetarius, Ekehardus, Albere, Bernolf monetarius, Heinricus filius Willemodi, Fridericus frater suus, Wolframus Lene, Heinricus filius Gumberti, Hermannus de Friberc, Iringus de Turri et alii quam plures. Actum anno dominice incarnationis M°. CC°. XII°. Indictione XV°.

Sigilla perierunt.

CLXXXIII.

Anno 1212.

Heinricus custos, consensu fratrum et dominorum maioris ecclesiae wirceburgensis Richilt viduae Theoderici confert cubiculum, situm contra cubicula sua prope foras ecclesiae, eodem iure possidendum, quo reliqua cubicula custodiae attinentia possidentur, ita videlicet, ut sibi suisque successoribus in die s. Kyliani VI libras cerae et in nativitate Domini duas libras peperis annuatim persolvat.

Testes: Theodericus prepositus de Houge, Iringus cantor, Gerungus de Enkersberge, Cunradus de Winsberc, Fridericus de Rotenbur, Boppo de Osterna, Adolfus, Arnoldus de Moguntia. Laici: Bertoldus, Arnoldus, Boppo de Lina, Marquardus Herbest, Walpertus Torse, Iringus Cresse, Wolframus monetarius, Heinricus frater suus, Wolframus filius Cunradi, Cunradus frater Heroldi Rufi, Reinboto monetarius et filius suus, Cunradus de Precipicio, Eberchin, Hermannus de Friberc, Cunradus de Friberc, Heroldus et Diethmarus generi Hartmodi Risen, Cunradus filius Hildebrandi, Cunradus de Nurenberch et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M$^{o.}$ CC$^{o.}$ XII$^{o.}$, indictione XV$^{a.}$, regnante Romanorum imperatore Ottone et episcopo Ottone wirceburgensi existente et Bertoldo de Hennenberch vrbis prefecto.

Appendent tria sigilla ex funiculis cannabinis: 1) Capituli maioris ecclesiae wirceburgensis; 2) Ottonis episcopi; 3) Heinrici custodis.

CLXXXIV.

Anno 1213. 15. Julii.

Otto herbipolensis ecclesiae episcopus ad petitionem nobilis viri Heinrici de Bokisberg, qui donationem castri sui prenominati et aliarum suarum proprietatum in Egersheim, Burchheim, Beringen, et Senephelt aliquando per manus salemannorum suorum Růperti de Durne, Sibotonis de Luden, Kraftonis, Kunradi de Lobenhusen, Swikeri de Bukele, presentibus domina Adelheida sorore sua et marito eius Wolfrado de Crutheim, suumque ad hoc consensum praestantibus, in manus f. m. domini Heinrici episcopi, de Babenberc dicti, factam, postmodum in manus domini Heinrici electi, Casei, innovatam, tercio coram se, superadditis aliis quibusdam proprietatibus in Waneshoven innovans consummavit, ipsum castrum Trimberc cum proprietatibus praedictis omnibusque beneficiis, quae ab ecclesia herbipolensi habuit, uxori eius dominae Agneti iure feodali confert.

Testes: Otto maior et novi monasterii prepositus, Perseus decanus, Theodericus prepositus de Houge, Gotefridus in Muchenstat prepositus, Heinricus cellerarius, Iringus cantor, Eberardus scolasticus, Heinricus custos, Theodericus Flosculus, Berno canonicus, Bertoldus de Otinge, Cunradus de Winsberc, Adolfus portenarius, Eberardus de Hohenberc. Laici: Ludewicus comes de Otinge, Fridericus de Trvͦhendingen, Boppo et Bertoldus comites de Hennenberc, Gerardus comes de Rienekke, Boppo comes de Wertheim, Albertus de Hiltenbvrc, Manegoldus de Wiltperc, Heinricus et Marquardus

fratres de Grômbach, Siboto de Luden, Hermannus de Ruheneke, Wasmodus de Spekevelt, Theodericus et Albertus fratres de Hohenberc, Heinricus marscalcus de Lure, Volkerus dapifer et Theodericus de Salzberc fratres, Wolframus pincerna et Heinricus de Brozolvesheim fratres, Cunradus Rufus de Zabelstein, Heinricus Schakan, Fridericus de Spiezheim, Gotefridus de Erla, Cunradus et Warmundus fratres de Erla, Nidungus, Heinricus Rufus dapifer, Billungus camerarius, Heinricus magister coquine de Rotenbvrc, Iringus Cresso, Heinricus pincerna, Gerungus Dives et Helmericus fratres, et alii quam plures. Actum anno incarnationis domini M°. CC°. XIII°., indictione II., idibus Julii, pontificatus domini Innocentii pape III. anno XVII°. Regnante domino Friderico magnifico Romanorum electo et Sicilie rege, episcopatus nostri anno VIII°.

Appendet sigillum Ottonis episcopi ex filis sericis rubri et viridis coloris, optime conservatum.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlandes. III. p. 340, Nr. XVII.

CLXXXV.

Anno 1213.

Perseus decanus maioris ecclesiae wirceburgensis vineam duorum iugerum et dimidii in Selberc, a Cunrado Brunnecyl, cive wirceburgensi, pro lumine in cimiterio, quod lichof dicitur, oblatam, a filio ipsius Wolframo postmodum Einwico ecclesiastico per manum salemanni sui Johannis filii Dietheri, magistri montis, venditam, eidem Einwico sub onere, statutum inde canonem solvendi tradit.

Testes huius rei sunt hii: Persius decanus, Theodericus Flosculus, Iringus cantor, Theodericus prepositus, Gotthevridus prepositus de Culenberc, Berno, Albertus de Zabelstein, Heinricus de Augusta, Heinricus custos, Adolfus portenarius, Gotthefridus subcustos.

Laici: Johannes predictus, Sintterammus, Vlricus retro monetam, Albertus Fucheler, Fridericus Levvere.

Acta sunt hec anno ab incarnatione domini M°. CC^{mo} X^{mo}III, Otthone existente episcopo, Perseo decano, Boppone de Hennenberk vrbis prefeto.

Sigillum capituli maioris ecclesiae appendet ex funiculo cannabino, albi et caerulei coloris.

CLXXXVI.

Anno 1213.

Otto herbipolensis episcopus hominibus de Rimpure conferentibus proprietates suas beato Kiliano pro pensionibus annuis, vulgo obelei dictis, perpetuae defensionis subsidium et juvamen promittit.

C. I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia herbipolensis episcopus. .. Nos ... debitis ad nos confugientium commodis pie et humiliter intendentes, notum facimus vniuersis . ., quod accedentes ad nostram presentiam homines de Rimpure, quorum nomina subnotata sunt, spe defensionis et subsidii omnes suas proprietates, quas in villa eadem habuerunt, sanctis martiribus beato Kiliano et sociis eius, nobis quoque et successoribus nostris proprias contulerunt, easdem a manu nostra resumentes pro pensionibus annuis, que vulgo obelei dicuntur, sicut subscriptum est, nobis et successoribus nostris perpetuo persoluendis, ita vt singuli cum suis uxoribus et heredibus postfuturis de singulis proprietatibus pensiones teneantur pendere subnotatas: Heroldus Sluntpuch et vxor sua Gertrvdis tritici tria maldra, Berno et Liukardis duo maltra, Burchardus Schotto, qui sicut et predictus Heroldus Sluntpuch noster et ecclesie nostre ministerialis est, cum vxore sua Gota duo maltra, Lendericus et Mechtildis maltrum et dimidium. Albertus Crusenere et Mechthilt dimidium maltrum, Poppo

in Vitza et Juta maltrum et dimidium, Albero Comes et Hirtzburch maltrum et dimidium, Albero iuxta cimiterium et Friderundis maltrum I., Cvonrat et Irmengart maltrum I., Cvonrat Schaphericht et Mechthilt maltrum I., Berenger, Willekint, Berchta mater Willekinde duo maltra, Henricus molendinarius et Berlint maltrum I., Burchart de Cellario et Adelheidis dimidium maltrum, Rotwich Colere et Rilint dimidium maltrum, Berchtold Trelleboc dimidium maltrum, Rotwicus et Albero fratres dimidium maltrum, Henricus et Cvonradus filii Irmentrudis de Crampsneit maltrum I., Poppo, mater eius Kunegunt; Cvonrat, Juta, Meregart, Petrissa duo maltra, Bertolt Beies et Berchta dimidium maltrum, Poppo, Kunegunt et mater Popponis Hatzeka duo maltra, Gunther carnifex et Mechthilt maltrum et dimidium, Helewich Renne, Meregart maltrum et dimidium, Hartlieb, Hiltegunt dimidium maltrum, Eberhart de Monte, Adelheidis maltrum et dimidium, Cvonrat Kento, Liukardis quatuor maltra, Cvonrat filius Cupre et Mechthildis dimidium maltrum, Poppo Fraz, Adelheidis dimidium maltrum, Herolt Zecke dimidium maltrum, Walkun Merce, Adelburch tria maltra, Ortlieb, Mechthilt dimidium maltrum, Cůnrat, mater eius Adelheidis dimidium maltrum, Albero Ectze, Mechthild maltrum et dimidium, Rvodeger Fritach, Gerlint maltrum et dimidium, Herolt Cesar, Juta maltrum et dimidium, Helpwin, Berchta maltrum I., Helewich Ectze, Juta maltrum I., Poppo Hovbet, Gota dimidium maltrum, Theodericus de Steiga, Mechthilt dimidium maltrum, Berchtolt Wirt et mater eius dimidium maltrum, Herman Bertelin, Rimburch dimidium maltrum, Albero Wippe, Liukart dimidium maltrum, Rvodeger Hengest, Adelheid dimidium maltrum, Rapoto, Liukart dimidium maltrum, Burchart Wicnandi dimidium maltrum, Ramvolt dimidium maltrum, Petrissa et Eckehardus maritus filie sue et Liukardis maltrum I., Bertolt Corch, Tamburch I. summerin, Cvonrat Torenblente I summerin, Cůnrat Frowelin I summerin, Heinrich de Bleichuelt, Mechthilt I summerin, Burchart Stumph, Herburch dimidium maltrum, Wolfram Winne, Irmengart dimidium maltrum; Otto de Terhissa, Benedicta maltrum I., Engelbertus et Petrissa maltrum I. Ad quoscunque itaque homines quocunque modo predicte proprietates deuolute fuerint, de eisdem nichilominus episcopo annuatim pensiones debite persoluentur, ita, vt sine contra-

dictione qualibet infra festum assumptionis et natiuitatis beate virginis omnimodis sint solute. Nos quoque et nostro et ecclesie nostre nomine fideliter et certe repromisimus hominibus antedictis et heredibus eorumdem perpetue defensionis subsidium et juuamen, hoc addito, quod nos et successores nostri homines eosdem et bona nobis data, predictorum etiam pensionum prouentus nec vendendo, nec in feodum dando, nec aliquo alio alienationis titulo, ab ecclesie dominio faciemus aliqualiter aliena. Nullus preterea schultetus eisdem hominibus prefigetur nisi quem ipsi inter se ipsos ad consilium et voluntatem episcopi decreuerint eligendum. Vt igitur nobis et ecclesie, predictis quoque hominibus et eorum heredibus mutue predictorum vicissitudines rate et firme inperpetuum obseruentur, nos presentem cartam conscribi et sigilli nostri appensione fecimus communiri.

Huius rei testes sunt: Albertus de Hiltenburch, Manegoldus de Wilperc, Heinricus et Marquardus fratres de Grumbach, Otto maior et noui monasterii prepositus, Perseus decanus, Theodericus in Hovge prepositus, Gotefridus in Muckenstat prepositus, Eberhardus scolasticus, Iringus cantor, Heinricus custos, Adolfus portenarius, Theodericus Flosculus, Berno, Cvono Saxo, Cv̊nradus de Winesperch, Albertus de Zabelstein, Poppo de Osternach, Cv̊nradus et Gotefridus fratres de Kulenberch, Heinricus marschalcus de Lure, Volkerus dapifer, Wolframus pincerna, Cv̊nradus Rufus, Nidungus, Henricus et Berengerus fratres de Teleheim, Albertus de Hornberch schultetus, Cv̊no Woluoldus, Henricus dapifer, Billungus camerarius, Henricus pincerna, Arnoldus Pica, Iringus Cresso, Volkerus de Bastheim, Alhunus Alhuni filius, Albertus magister coquine, Otto de Stamheim, Hermannus notarius et alii quam plures.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M°. CC°. X°. III°., indictione II^a^., pontificatus domini Innocentii pape III anno XVI, episcopatus nostri anno VII, Bertoldo puero comite de Hennenberch vrbis prefecto.

Appendet sigillum Ottonis episcopi optime conservatum.

CLXXXVII.

Anno 1214. 26. Januarii, Wirzeburc.

H. nunc abbas hersveldensis, sed in tractatu negotii abbas S.Stephani, H. de Nuwenstat et H. de Celle abbates ex mandato Innocentii III. d. d. Laterani, XIV. kal. Januarii, pontificatus anno sexto decimo [1213 19. Dec.] canonicum maioris ecclesiae wirceburgensis quendam C. propter participationem casualis homicidii, facta purgatione, absolvunt.

Acta sunt hec Wirzeburc, in claustro maioris ecclesiae anno ab incarnatione domini MCCXIIII., VII kalendas Februarii.

Appendent tria sigilla non satis bene conservata, quorum primum habet inscriptionem: „RICHARDVs NVWEN . . AT ABBAS", cuius nomen in textu chartae litera H designatur; ex inscriptione secundi restat nomen „. ENRICVS ."; ex inscriptione tertii adhuc legendum est: SI . . . . REPOSITI . . ELLENSIS.

CLXXXVIII.

Anno 1215. 28. Julii, Aquisgrani.

Fridericus II. Romanorum rex Cunradum puerum, filium Lodoyci de Stolberch, haereditarii ministerialis sui, sancto Kyliano tradit et offert, ut sit ministerialis erbipolensis ecclesiae, et pertineat ad officium dapiferatus huius ecclesiae.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 32. Nr. DCXIV.

CLXXXIX.

Anno 1215, 23. Augusti.

Otto episcopus herbipolensis Herdeino de Randesakere curiam ibidem sitam iure hereditario, ab omni precariorum iugo et aliorum obsequiorum onere liberam tradit.

Huius rei testes: Otto maior et noui monasterii prepositus, Theodericus sancti Johannis in Hovge prepositus, Perseus decanus, Arnoldus in Onoldesbach prepositus, Gotefridus in Mukkenstat prepositus, Poppo scolasticus, Heinricus custos, Iringus cantor, Adulfus portenarius, Theodericus Flosculus, Cv̊nradus de Winesperch, Fridericus de Grindelach, Berno, Cvono, Thegenhardus canonicus, Baldwinus noui monasterii canonicus, Cvonradus scriba, Hermannus notarius. Laici: Manegoldus de Wilperch, Henricus, Marquardus fratres de Grumbach, Siboto de Luden, Henricus marschalcus de Lure, Volkerus dapifer, Wolframus pincerna, Henricus de Brozoldesheim, Cvonradus Rufus de Zabelstein, Hartmǒdus de Scheremberch, Theodericus et Albertus fratres de Homberch, Ludewicus de Stoleberch, Henricus et Berengerus fratres de Teleheim, Gotefridus de Erlach, Cv̊nradus et Warmundus fratres de Erlach, Nidungus senior, Nidungus junior, Henricus magister coquine de Rotenbvrch, Liupoldus scultetus de Rotenburch, Iringus Cresso, Gerungus Diues et Helmericus fratres, Henricus dapifer, Henricus pincerna, Albertus magister coquine, Otto de Stamheim, Helewicus schultetus et Henricus de Randesakere, Ebero, Heroldus Brost, Heroldus centgrauius, Wolframmus Hepelin, Heroldus Schelle, Albertus Wirsink, Wernherus Sundere, Helmboldus, Otto, Waltherus, Wernherus de Goslaria.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice M°. CC°. XV°., domini Innocentii pape III anno XVIII, episcopatus nostri anno nono, decimo kalendas Septembris.

Appendet sigillum Ottonis episcopi.

CXC.

Anno 1216. 10. Februarii, Romae.

Hugo ostiensis et velletrensis episcopus, auctoritate domini papae querelas inter Sifridum archiepiscopum maguntinum et Ottonem herbipolensem episcopum sententiando dirimit.

Uniuersis Christi fidelibus ad quos littere iste peruerint. Hugo miseratione diuina ostiensis et velletrensis episcopus salutem in domino. Cum inter venerabilem patrem S. archiepiscopum maguntinum ex una parte et dominum O. herbipolensem episcopum ex altera querele diuerse super pluribus capitulis uerterentur, domini pape auctoritate electus arbiter ab eisdem ad controuersias supradictas iudicio aut concordia terminandas de utriusque partis assensu domino faciente pensatis circumstantiis uniuersis, que ad optinendam pacem et concordiam nutriendam expedire potissimum uidebantur, duximus taliter prouidendum, ut per ea, que post latas sententias a domino maguntino prelati et subditi herbipolensis ecclesie de appellatione sua, et domini magdeburgensis archiepiscopi absolutione confisi quoquomodo attentasse uidentur, nullum eis preiudicium generetur, ita quod cautela ab episcopo herbipolensi seruetur, quam ei dedimus ad animarum periculum euitandum, abbas uero de Kamberch benedictionem et alia spiritualia a domino herbipolensi recipiat, sicut abbates eiusdem monasterii a suis predecessoribus recipere consueuerunt, saluis tamen honore et prestationibus uniuersis, que ratione iuris patronatus archiepiscopo et ecclesie maguntine ..., sicut in priuilegio ab archiepiscopo maguntino concesso plenius est expressum. Volumus etiam, ut Arnoni, clerico archiepiscopi maguntini, in prebenda, quam in Honolesbach est canonice assecutus, ab herbipolensi episcopo uel suis nulla molestia inferatur, et Engelardus herbipolensis ecclesie et Hegehardus sancti Johannis canonici stipendiis nullam iniuriam patiantur.

Data Rome anno incarnationis dominice M. CC. XVI., pontificatus domini pape Innocentii anno octauo, decimo mensis Februarii indictione III.

Sigillum Hugonis appendet ex particula membranae; repraesentans episcopum sedentem; cum inscriptione: SIGILL. HVG. DEI. GRA. OS . . ., EN. et UELLETREN. EPI.

CXCI.

Anno 1216. 11. Maii, Herbipoli.

Fridericus II. rex, consuetudini sive iuri occupandi res decedentium episcoporum et abbatum et proventus ecclesiarum cathedralium et abbatiarum per totius anni circulum in usus proprios convertendi, quam antecessores sui exercuerunt, renuncians, Ottoni herbipolensi episcopo eiusque ecclesiae speciale hoc privilegium largitur.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 41 Nr. DCXIX.

CXCII.

Anno 1216. 17. Augusti, Wirceburch.

Otto herbipolensis episcopus maioris ecclesiae confratribus omnes redditus episcopales nondum oppignoratas pro mille et trecentis marcis de praedio Lambach a duce Austriae habitis obligat, simulque promittit, se nullam alienationem, quae vulgo Dinge dicitur, circa barones terrae facturum esse vel admissurum.

I. n. d. a. Ego Otto diuina miseratione herbipolensis episcopus. Omnes redditus episcopales, qui adhuc non sunt obligati, sub notatos

videlicet: In Heidingesuelt, ad precaria XXX libras. Census officii, XVI libras, vini XXV carratas. Randesakere de precaria XX libras, vini X carratas. Ahusen denariorum XX libras, vini de precaria XXI carratas, de proprietate XX carratas, siliginum VIII maltra. Ossenuort de curtibus XIII vntias, vini V carratas. Frikkenhusen de precaria XXX libras, de censibus VII libras, IIII vntias, vini XXXa. carratas. In aduocatia Stephe XX libras, tritici C. et XIIII maltra. In Hittenheim censuum libram unam. In Windesheim denariorum XII libras, tritici CC et II maltra, porci XXVII, precaria XXX libras. In Berneheim et in Gesselere precaria XXX libras. In Heilichprunen de mansis XIII marcas, de piscationibus V libras hallensium, de villicatione XX marcas, de precaria denariorum XXX marcas, vini XXX carratas, de proprietate vini XV carratas, tritici, spelte, siliginis, auene CL maltras. Hombvrch de censu IIIIor libras et dimidium frumenti, C. maltra, vini XX carratas. Karleburch de teloneo LX libras denariorum, de censibus X libras, frumenti C. maltra, de precaria vini V carratas, de proprietate vini XXX carratas. Apud Seligenstat de censu XIIII libras. Apud Eislebe auene L maltra, tritici XL maltra, siliginis LX maltra, de octo mansis, quorum tres inculti sunt, quinque soluunt V porcos, tritici V maltra, siliginis XV maltra. Geltersheim per totum frumenti CCL maltra, porcos X., denariorum VIII libras. Apud Ebern, Salzberch, Vachedorph, Melrichestat, Rochperch per totum denariorum CC libras, frumenti CCCLVI maltra. Apud Herleheim denariorum XV libras, et alios, si qui sunt, pro mille et trecentis marcis argenti de predio Lambach, a duce Austrie habitis, et pro ampliori summa, quam ab ipso forte recepturus sum, obligo confratribus meis maioris ecclesie, et ipsis amministrationem eorundem redituum committo, exceptis obuentionibus et lucris incertis, que propter certos redditus contingit aliquando prouenire, et exceptis hiis, que michi ad expensas ab ipsis fuerint deputata, donec per ipsos tota predicte pecunie summa in integrum sit recepta et eosdem redditus pro posse meo tamquam in manibus meis eos haberem, protegam fideliter et defendam. Insuper nec illos, nec alios redditus episcopales a festo sancti Martini

proximo ad tres annos vendam vel obligabo, nec aliquo titulo alienabo nec concedam, exceptis beneficiis ecclesiasticis, que michi libera reseruo, et nisi forte aliqua ad status mei mutationem vel diminutionem intenderint. Preterea nullam alienationem, que vulgo dinge dicitur, circa barones terre vel alios faciam vel admittam, exceptis ministerialibus ecclesie nostre circa quos etiam capituli vtar consilio vel eorum, qui michi ab ipso fuerint deputati. Hec autem omnia, que predicta sunt, iuro me bona fide, sine malo ingenio et dolo pro possibilitate mea fideliter seruaturum, nisi forte hec vel aliqua istorum de consensu capituli vel maioris partis fuerint immutata. Promitto preterea bona fide, quod ad consilium fratrum vel eorum, qui adhuc specialiter deputati fuerint, expensas et familiam temperabo. Datum Wirceburch VI kalendas Septembris, indictione IIII, episcopatus mei anno X., pontificatus domini Honorii pape anno primo.

Appendent duo sigilla, Ottonis et capituli, mutila.

Editum in: Archiv für Geschichte, Statistik, Literatur und Kunst. Wien 1827, pag. 706.

CXCIII.

Anno 1217.

Ottonis maioris praepositi testimonium, quod Sifridus Faber custodiae maioris ecclesiae herbipolensis adscriptus, in confessione sese beati Kyliani hominem declaraverit.

Huius rei testes sunt: Berno canonicus, prepositus Gotefridus, Henricus custos, Adolfus portenarius. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XVII°., pontificatus domini Honorii pape III. anno primo.

CXCIV.

Anno 1218.

Capituli maioris ecclesiae testimonium, quod dominus Gerardus miles de Nazza ancillam suam propriam, Mergart nomine, manumisit et ipsam libertati deditam super altare S. Mariae in ecclesia b. Kyliani contulit.

Huius rei testes sunt: Walpertus scultetus, Fridericus Lewere, Heroldus filius Arnonis, Cunradus de Bleicha, Alhunus pincerna, Theodericus de Wizenburc, Billungus de Bleichuelt, Fridericus sacerdos de sancta Maria.

Actum anno dominice incarnationis M°. CC°. XVIII°., regnante gloriosissimo Romanorum rege ac semper augusto Friderico, et rege Sicilie, Ottone wirceburgensi existente episcopo.

Sigillum Ottonis episcopi appendet ex filis cannabinis albi coloris.

CXCV.

Anno 1218.

Capitulum maioris ecclesiae wirceburgensis venditionem areae diu dilapsae, a procuratoribus hospitalis S. Egidii et S. Theoderici, Judaeo Sůzkind pro decem talentis factam approbat.

C. I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia wirceburgensis ecclesie maior prepositus, Iringus decanus et totum capitulum vniuersis Christi fidelibus, tam futuris, quam presentibus salutem in domino . . : Nos . . scire cupimus vniuersitatem fidelium, qui hanc cartam inspexerint, quod magister Burchardus uicarius et confratres sui de

hospitali sancti Egidii et sancti Theoderici, quibus procurationem eiusdem hospitalis commisimus, de communi consensu capituli nostri particulam quandam arȩe in fine curiȩ eiusdem hospitalis prope locum, qui vulgo Rigol dicitur, diu dilapsam et omnino inutilem Judeo, Sůzkint nomine, pro decem talentis uendiderunt, et nos iuste considerantes, quod de hac pecunia reditus hospitalis possent ex parte aucmentari, hanc venditionem communiter approbauimus. Huic uenditioni hoc impletum est, quod idem Judeus in loco, qui Rigol dicitur, aqueductum subterraneum, qui thol uocatur, sumptibus suis taliter cum lapidibus circumquaquam firmatum debeat preparare, ut diu sit durabilis, et ut sordes et omnia de domo infirmorum defluentia per locum illum sine expensa hospitalis deducantur, et ut Judeus in eodem thol ex altera parte muri, quem edificauerit, de commodo suo disponet; preterea si aqueductus a Judeo preparatus quandoque dilabitur quocumque casu, ipsum Judeus sine expensa hospitalis debet reparare. Terminus uero arȩe, quem Judeus comparauit, taliter ei signatus est, quod super fundamentum ueteris muri, qui prope Rigol est, edificium suum preparando nullatenus ultra murum contra curiam hospitalis debet dilatare, nec murum in longitudine nisi usque ad finem domus sue debet protendere, et si procurator hospitalis domum uoluerit edificare, murum, quem Judeus preparabit, secum habebit ex altera parte commodum et communem sine Judei nocumento. Ut autem hoc factum in posterum nullus possit aut debeat in irritum reuocare, privilegium istud conscribi et sigilli nostri munimine iussimus roborari.

Testes magister Burchardus uicarius, Bernardus sacerdos, Cunradus de sancto Petro, Otto de Meininge, Cunradus, Baldewinus, Bertungus, Simon. Laici: Heinricus de Theleem, Berengerus frater suus, Bertoldus vltra Mogum, Sintramus. Judei: Caleman, Lieberman de Grunsvelt, Bonifan, Sconeman, Abraham. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XVIII°., regnante gloriosissimo Romanorum rege Friderico et rege Sicilie, Ottone episcopo Wirceburc existente.

Sigillum capituli maioris ecclesiaȩ herbipolensis appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris.

CXCVI.

Anno 1219.

Capitulum maioris ecclesiae wirceburgensis Engelhardo diacono adiudicat possessionem mansi in Bleifeld a Sigemundo laico pro personis ecclesiasticis sanguinis sui sanctis martiribus Kiliano, Colonato et Totnano oblati.

C. I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia wirceburgensis ecclesie maior prepositus, decanus et uniuersum capitulum omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus, salutem in domino. Quomodo ecclesie nostre facultatibus qualescunque prouisores gratia dei sumus instituti, proinde uniuersis tam presentibus quam futuris intimamus, qualiter Sigemundus laicus de predio suo in Bleifelt mansum delegauit beatis martiribus Kiliano, Colonato, Totnano, tali conditione, ut sui sanguinis successione ecclesiastica persona, maior etate, possideret, et in festo beatorum martyrum IIIIor uncias ecclesiastico persolueret, ad candelam omni nocte coram reliquiis sanctorum martyrum illuminandam. Secundum uero mansi donationem Rudigerus ecclesie sancti Johannis canonicus et nepos predicti Sigemundi, plusquam L annis primus possessor mansi extitit, annualem canonem ecclesiastico persoluens, quo Rudigero defuncto, cum Burchardus possessor mansi predicto iure consanguinitatis esset accessurus, prece cognati sui Richalmi a possessione elisus, Richalmus mansi possessor, eo tempore licet indebitus accessit, et eodem manso fratrem suum laicum, et post fratrem personas tantum laicales hereditare proposuit. Verum tamen Cunradus subdiaconus, Richalmi propositum perpendens, quia et ipse de sanguine Sigemundi processerat, eundem Richalmum et de mansi tunc indebita possessione et de proposito coram iudice conuenit, ubi prout sententia dictauit, Cunradi archiepiscopi moguntini mandato, ad quem predictus Cunradus super eodem negotio appellauerat, coram nostra ecclesia Cunradus tercia manu conprobauit ac

stabiliuit, supradictum laicum Sigemundum tali conditione mansum ecclesie contulisse, ut de posteritate sua tantum ecclesiastica persona, maior etate, possideret et IIII^or^ vncias in festo beatorum martyrum ecclesiastico solueret. Procedente uero tempore, cum iamdictus Cunradus, qui div prefati mansi possessor extiterat, uiam uniuerse carnis ingrederetur, Engilhardus diaconus, eiusdem Cunradi consanguineus, ad quem possessio mansi iure hereditario deuoluta fuerat, mansum predictum sue uolebat subicere potestati, set Ekehardus miles de Bleifelt, qui de eodem manso annuum canonem uero possessori, scilicet Cunrado, persoluere solebat, Engilhardum de possessione eiusdem mansi nitebatur elidere. Nos itaque tam Engilhardum clericum, quam Ekehardum militem ad nostram scitantes presentiam, de priuilegio predecessorum Engilhardi, sicut prenotatum est, etiam de assertione discretorum uirorum meram intelleximus ueritatem et Engilhardo clerico possessionem mansi adiudicauimus stabiliendam. Quo circa nos ad iustam petitionem Engilhardi probabiliter inducti priuilegium istud sibi et suis successoribus renouauimus, statuentes, ut sicut supradictum est, census annuus ab ipso ecclesie nostre ecclesiastico persoluatur, et ut a nullo hominum de possessione iam dicti mansi deinceps perturbetur, et sua posteritas post ipsum eadem gaudeat possessione, cartam istam sigillo ecclesie nostre fecimus communiri.

Huius rei testes sunt canonici maioris ecclesie: Fridericus cantor, Heinricus custos, Fridericus de Grindelahe. Canonici noui monasterii: Arno de Hochheim, Ditherus, Symon parrochianus de Hovge, Wernhardus, Burchardus, Wolfhelmus, Heinricus episcopus Zobel. Testes laici: Arno miles de Hochheim, Heinricus Lůgelin, Eberhardus filius Mergardis, Rudigerus Tagbrot, Billungus de Bleifelt, Heinricus filius suus, Erkenbolt Tagbrot, Heinricus filius sororis bincerne, Ekehardus filius Hermanni de Friberc. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o^. CC^o^. XIX°., regnante Friderico Romanorum rege, Ottone episcopo, Boppone urbis prefecto.

Sigillum maioris ecclesiae capituli appendet.

CXCVII.

Anno 1220. 7. Augusti, apud Augustam.

Fridericus II rex principibus suis Eckeberto babenbergensi et Ottoni herbipolensi episcopis liberam concedit facultatem, transigendi de mutuis matrimoniis inter ecclesiarum eorum familias contrahendis et de contrahentium prolibus inter praedictas ecclesias partiendis.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 102. Nr. DCLII.

CXCVIII.

Anno 1220.

Otto herbipolensis episcopus de consilio capituli in restraurum bonorum ex fundatione Godefridi episcopi sacerdoti ad portandas reliquias deputato assignatorum, sed propter necessitatem ecclesiae oppignoratorum, quinque libras de moneta sua singulis annis solvendas ecclesiae suae confert.

I. n. s. e. i. t. Otto miseratione diuina herbipolensis ecclesie episcopus ... Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam postfuturis volumus innotesci, quod felicis recordationis Gotefridus uenerabilis noster antecessor olim choro ecclesie nostre sacerdotem perpetuum ordinarat, super cuius institutione priuilegium suo sigillo confirmatum procurauerat in hunc modum: „C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Gotefridus dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Quia cum frequenter“ [vide supra sub Nr. CXLI]. Verum quia predicta bona prenominato sacerdoti ordinata, propter necessitatem ecclesie postmodum pignoris fuerunt titulo obligata, nos nichilominus nolentes ecclesiam sua dote, et sacerdotem institutum suo

beneficio destitui ac priuari, ob reuerentiam beatorum martyrum Kyliani et sociorum eius de consilio ac consensu Ottonis prepositi, Iringi decani, et totius maioris capituli, in restaurum et recompensationem dictorum bonorum, quinque libras de moneta nostra singulis annis in festo sancti Martini soluendas, ecclesie contulimus et assignauimus, ut sub forma supradicti priuilegii sacerdos perpetuus choro deseruiat in diuinis, easdem quinque libras in usus suos recipiens et reducens. Volumus etiam, ut ecclesia et sacerdos ecclesie deseruiens primo omnium feoda de moneta habentium sine qualibet protractione expediatur, et sicut a prefato antecessore nostro discrete perpenditur ordinatum, idem sacerdos in mensa cuiuslibet episcopi, qui tunc ecclesie presidebit, honestius et benignius recipiatur, ius instituendi ipsum in prenominato beneficio nobis et nostris successoribus reseruantes. Vt autem hec perpetua firmitate digna habeantur, presens scriptum tam nostro quam ecclesie sigillo et testium subscriptionem disposuimus insigniri. Nemini ergo hoc nostrum factum, ut uidetur rationabiliter ordinatum, infringere liceat, uel ei ausu temerario contraire.

Testes sunt: Otto maioris ecclesie prepositus, Iringus decanus, Theodericus de Hovge prepositus, Heinricus custos, Degenhardus scolasticus, Fridericus cantor, Cuonradus de Winsperc, Fridericus de Grindelach, Albertus de Zabelstein, Cuonradus de Kvlenberc, Boppo de Osternach, Gerungus de Engersperge, Cuonradus de Retersheim, B. de Trinperc, moguntine ecclesie decanus, Albertus de Walthusen, Godefridus de Sweigere, Heinricus de Lapide, Theodericus de Appolt, magister Salomon, Arnoldus camerarius, Engelhardus de Lobenhysen, Arnoldus de Zabelstein, Arnoldus de Moguntia, Cuonradus notarius et alii quam plures. Acta sunt hec anno incarnationis domini M°. CC°. XX°., indictione VII, regnante uictoriossissimo Romanorum et Sicilie rege Friderico, Boppone de Hennenberc burgrauio Wirceburc existente.

Sigilla Ottonis episcopi et capituli maioris ecclesiae appendent.

CIC.

Anno 1221. 27. Februarii.

Otto herbipolensis episcopus ius aduocatiae in parochiam Waltorf ad petitionem Ottonis plebani eidem parochiae confert.

I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia herbipolensis episcopus. Subditorum nostrorum precibus fauorem nostrum tanto benignius impertimur et ecclesiarum nostrarum tanto fauorabilius commoda procuramus, quanto exinde ipsis gratiores profectus accedere et amplius saluti nostre meritum apud altissimi gratiam cognoscimus prouenire. Nouerit igitur omnium Christi fidelium tam presentium etas, quam futurorum successura posteritas, quod cum parrochia in Waltorf a longe retroactis temporibus grauibus fuisset aduocatorum angariata pressuris, nos demum, cum eadem aduocatia nostris inciperet uacare temporibus, ad petitionem dilecti et fidelis nostri Ottonis, tunc ibidem plebani, dei intuitu et proprie nostre salutis respectu omne iam dicte aduocatie ius, quod in ipsa habuimus, eidem parrochie libere contulimus, ipsius parrochie, tam bona quam homines ratione censuum uel mansorum ad ipsam specialiter pertinentes ab omni aduocatie onere in perpetuum penitus eximentes. Vt autem nec a nobis nec a nostris successoribus laudabilis iam dicti facti stabilitas infirmetur, nos presentem cartam conscribi et sigilli nostri appensione ipsam fecimus communiri.

Huius rei testes sunt: Otto maior et noui monasterii prepositus, Arnoldus in Onoldisbach prepositus, Thegenhardus maior scolasticus, Henricus custos, Hermannus sancti Stephani in Babenberch prepositus, Cunradus scriba, Iringus de Sande, Hermannus notarius, Henricus Scotus, Hermannus sacerdos. Laici: Albertus de Frankenstein, Ludewicus de Northeim, Theodericus Kiselinck, Henricus de Glozenkirchen, Fridericus de Distelstat, Henricus pincerna, Arnoldus

Pica, Albertus dapifer, Alhunus, Gotefridus Betelman, Rudegerus Herbest, Walpertus Torso et alii quam plures.

Acta sunt hec anno domini M°. CC°. XXI°., tertio kalendas Martii, episcopatus nostri anno quarto decimo.

Sigillum Ottonis episcopi appendet ex filis sericis.

CC.

Anno 1221. 10. Novembris.

Otto herbipolensis episcopus Ottoni de Salhach bona in Stutbach et in Turtal, quae ipse ecclesiae wirceburgensi tradiderat, iure feodali reddit.

I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia herbipolensis episcopus... Notum facimus uniuersis Christi fidelibus, quod dilectus noster Henricus de Salhach, cum noster et ecclesię nostrę homo non existeret, ad hoc, vt familiarior tam nobis, quam ecclesię esset inposterum pro sua et tam precessorum quam heredum suorum salute, zelo dei ductus, quasdam suas proprietates, quas in Stůtpach et in Tůrtal habuit, abdicans, in honore sanctorum martirum Kiliani et sociorum eius, nobis et ecclesię nostrę proprias tradidit et donauit, bona eadem postmodum a nobis iure recipiens feodali, ita uidelicet, quod et ipse et omnes heredes sui, tam masculi, quam feminę, eadem feodali successione libere potiantur, et cum eadem hominii familiaritate cum ecclesia permaneant et persistant. Vt autem super predictorum ueritate nulli possit in posterum dubietas suboriri, nos presentem cartam conscribi et tam nostro, quam ecclesię nostrę sigillis ipsam fecimus communiri.

Huius rei testes sunt: Otto maior et noui monasterii prepositus, Iringus decanus, Theodericus sancti Johannis in Houge prepositus, Arnoldus in Onolspach prepositus, Thegenhardus scolasticus, Henricus

custos, Fridericus cantor, Henricus portenarius, Fridericus de Grindelach, maioris ecclesie canonici. Laici: marscalcus de Lure, Theodericus de Homberch, Albertus de Hartpach, Cunradus et Warmundus de Erlach. Albertus de Eislebe, Henricus de Telheim scultetus, Reinhardus et Heinricus de Bůtert, Heroldus de Foro, Gotefridus de Gauwenheim, Alhunus pincerna, Gotefridus Haco. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. XXI°., IIII. Idus Nouembris, episcopatus nostri anno XVI., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico.

Appendent duo sigilla.

CCI.

Anno 1221.

Otto comes de Bodenlouben domino Friderico cantori maioris ecclesiae herbipolensis XL marcas argenti accredit tali pacto, ut hic sibi annuatim IV carratas vini depurati ex vineto suo in Schalberc vel novo monte subministret.

Vniuersis presens scriptum intuentibus innotescat, quod ego Otto comes de Bodenlv̊ben domino F., cantori maioris ecclesie herbipolensis, XL marcas argenti fidejubentibus domino preposito Arnoldo et H. custode, A. de Walthusen, F. de Grindelahe canonicis herbipolensibus accredidi, hujus accredicionis termino in festo Walpurgis inchoante, tali forma, vt de uineto suo in Schalberc vel nouo monte sito IIII^or mihi carrate vini depurati in festo Martini persoluantur. Si uero post terminum anni, cujus initium prelibatum est, argentum mihi predictum permanserit insolutum, persolutionis forma de primo anno constituta, in annos subsequentes, quamdiu argentum pretaxatum permanserit insolutum, extendatur. Vt autem hec accreditio robore consistat firmiori tam domini cantoris

antefati, quam fidejussorum predictorum sigillis presentem feci paginam communiri. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XXI°.

Appendebant quondam sex sigilla ex membranis, quorum primum periit; ex secundo restat fragmentum parvulum, quatuor reliqua valde laesa sunt.

CCII.

Anno 1222.

Otto episcopus, Otto praepositus, Theodericus decanus et totum maioris ecclesiae capitulum consilio et deliberatione tam canonicorum quam baronum nec non et ministerialium, variis laboribus propter guerras et multimoda servitia in negotiis imperii episcopo incumbentibus, contractum super venditione Lambach quondam celebratum immutant.

I. n. s. e. i. t. Otto diuina miseratione episcopus, O. prepositus, Theodericus decanus et totum maioris ecclesie . . capitulum omnibus in perpetuum. Cum propter guerras et multimoda servitia, in negotiis imperii ab ecclesia multotiens requisita, domino episcopo varii labores incumberent et expense, maturo consilio et prouida deliberatione tam canonicorum quam baronum necnon et ministerialium contractum super venditione Lambach quondam celebratum, qui talis est: „In nomine patris et filii et spiritus sancti. Dominus . . episcopus, prepositus, decanus et vniuersum capitulum herbipolensis ecclesie vnanimiter conuenerunt, vt predium im Lambach cum suis pertinentiis sub hac forma uendatur: de pretio, quod receptum fuerit de predicto predio ab emptore, comparabitur allodium domine de Abenberg, eiusdemque allodii prouentus, si habitum fuerit et coeptum, statim in vsus et seruitium cedent episcopi no-

minati. Insuper de pecunia eiusdem pretii dabuntur domino episcopo mille marce argenti, de quibus soluet monetam suis creditoribus obligatam, de aliis disponet episcopus, quod sibi senserit magis expedire. Dabuntur preterea ad meliorationem prebendarum maioris capituli marce quingente, de quibus annuatim certe persoluendos redditus comparabunt ad celebrationem anniuersarii domini Alberonis venerabilis herbipolensis ecclesie quondam episcopi, qui dicta bona in Lambach sanctis martiribus Kyliano et sociis suis pro salute sua feliciter contulit et donauit. Residuum pecunie pretaxate non in vsus alios expendetur, quam in solutionem prouentuum ecclesie et bonorum, que pignori obligata noscuntur. Fructus autem reddituum soluendorum, moneta tantum excepta, omnino cedent et colligentur ad manus capituli per ministerium canonicorum et ministerialium, qui ad hoc fuerint deputati, et ex hiis cuncta bona ecclesie, que impignorata sunt, sicut prouide deliberatum fuerit et prudenter, penitus liberentur. Cum autem omnia liberata fuerint et recepta, dictis receptoribus prouentuum solutorum fructus omnes debent fideliter assignari, quousque tanta summa pecunie colligatur, quanta in solutione bonorum ecclesie fuerint distributa. Cum autem tanta collecta fuerit, quanta expensa fuisse dinoscitur et mille marce, que domino episcopo fuerant assignate, recepte fuerint, de vniuersa tunc pecunia comparabitur allodium sicut pro commodo ecclesie vtilius poterit inveniri, et tunc omnia seruient mense et usibus episcopi preter illa bona, que marcis quingentis empta fuerint ad prebendas dominorum. Bona uero fide promisit episcopus et absque malo iurauit ingenio, quod nichil de bonis vniuersis, que pretio prefati predii Lambach fuerint comparata, aliquo alienationis tytulo distrahet uendendo, inpignorando, uel in feodum cuiquam offerendo, nec impediet prouisores in redditibus colligendis, immo iuxta possibilitatem suam consilium bona fide prebebit et operam, ut omnia libere et sine perturbatione qualibet colligantur et cuncta, que prescripta sunt, fiant ordine prenotato suis consiliis et auxiliis, sicut a dominis pro tempore fuerit requisitus. Ad hec aliqui de fratribus maioris ecclesie, quidam de ministerialibus, aliqui de ciuibus iurauerunt,[1]) bona fide conseruare pecuniam memoratam, quousque in

prescriptos usus utiliter expendatur, et si dominum episcopum, quod absit, ante facti huius consummationem mori contigerit, iurabunt etiam, nunquam pecuniam sepedictam ab aliquo successorum suorum expendi, nisi quemadmodum in scripto precedenti est utiliter dispositum et fideliter ordinatum. Preterea dominus episcopus bona fide promisit, quod de mille marcis, quas recipit de pretio predii antedicti, solvet capitulo debitum quingentarum marcarum, quas ab ipso capitulo mutuo cognoscitur recepisse." Hunc quidem contractum in hunc modum placuit inmutare: Omnes redditus, quos ex ipsa pecunia de Lambach soluerant et in sua procuratione habebant, domno episcopo canonici reliquerunt, retentis sibi quadringentis libris, quas Heinricus custos et Fridericus cantor, quorum fidei commissum est, colligent annuatim, videlicet de moneta ducentas libras, de thelonio in Sande centum libras, de theloneo pecorum viginti libras, de thelonio lignorum libras quindecim, de statera libras tredecim, de officio houeschultheizen libras octo, de theloneo equorum tres, de Randesacker libras triginta septem. In hiis autem si quis forte quandoque defectus habebitur, ubicumque alibi placuerit, sine contradictione qualibet recipiet supplementum et eandem pecuniam annuatim collectam ad solutionem episcopatus et conquisitionem prediorum pro restauro Lambach et non ad aliud, nisi legitima necessitas incumbat, caute et de communi consilio capituli distribuent et conuertant tam ea, que soluerint, quam ipsas quadringentas libras in sui procuratione habentes et custodia, quousque omnes redditus episcopatus, modo obligati, sint soluti et restaurum in comparatione Lambach sufficiens habeatur. Si autem aliquid de moneta uel de aliis superfuerit in usus domni episcopi conuertetur. Promisit etiam dominus episcopus data fide et sub sacramento in priori contractu prestito, ut nunquam aliquid de reditibus sibi relictis uendat uel infeodet, vel aliquo alienationis titulo alienet, nisi, ut predictum est, necessitatis articulo ingruente. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo.

Ex libro copiali Bebenburg. Fol. 367 Nr. XLIV.

---

[1]) Cod: intraverunt.

CCIII.

Anno 1222.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis per manum confratris Gerungi, vicem decani gerentis, curiam Arnonis de Hocheim Arnoni canonico novi monasterii ac fideicommissariis eius confert libere possidendam, salvo censu, videlicet maldro tritici, quod singulis annis de eadem curia ecclesiae wirciburgensi persolvitur, permanente.

I. n. s. e. i. t. Capitulum maioris ecclesie herbipolensis ... Ad noticiam .. tam futurorum, quam presentium Christi fidelium uolumus peruenire, quod Arno canonicus novi monasterii herbipolensis et fratres sui conuenerunt sub hab forma, ut ante mortem patris eorum quiuis illorum ius, quod haberet in curia quadam sita in ciuitate Wirceburg, que uocatur Arnonis de Hocheim, cuicumque uellet, posset potestate libera delegare uel uendere, siue quocumque modo alienare, ad quod patris illorum spontaneus consensus accessit. Postmodum uero idem Arno portiones, que fratrem suum Bernonem et Rapotonem militem, sororium suum, ratione sororis ipsius contingebant, quadam summa pecunie comparauit dictusque Berno in lobio dicte curie ante pirale, sicut mos est, renuntiauit ore, manu et calamo iuri suo. Rapoto uero, quia pueros suos, Rapotonem uidelicet et Elsebet, presentes non habuit, quorum tutor fuit, tertia die, conuocatis illis ante altare sancte Marie Magdalene in nouo monasterio, vna cum illis omni iuri et impetitioni in sepedictam curiam renuntiavit ibidem. Preterea iidem Rapoto et pueri eius prenominati et Heinricus Autumnus, maritus ac tutor dicte Elsebet, dictum A. ab impetitione Felicitatis et Hildegardis, filiarum Rapotonis, omnino eximere promiserunt, si forsitan aliquando per illas super dicta curia aliquam moueri contingeret questionem. Post hec quoque cum Heroldus, frater dicti Arnonis, in domo uersus in maiori ecclesia, Henricus quoque, frater suus,

ac Meregardis soror sua omni iuri et impetitioni in sepefatam curiam renuntiassent spontanee, Arno miles de Hocheim, pater ipsorum, eandem curiam in manus Gerungi de Enkersperge, confratris nostri, qui tunc uicem decani gerebat, uoluntarie resignavit, omnesque prefati, qui in ea ius aliquod uidebantur habere, omni iuri et impetitioni in illam renuntiauerunt communiter ac spontanee coram nobis, renuntiationes, quas ante singulariter fecerant, publice profitentes et confirmantes ibidem. Ad quorum omnium rationabilem petitionem nos curiam sepius nominatam sepedicto Arnoni canonico noui monasterii ac fideicommissariis eius, uenerabilibus uiris uidelicet magistro Thegenhardo scolastico et Henrico custodi maioris ecclesie, necnon Craftoni cantori, Henrico Pullo magistro, Danieli et Diethero canonicis noui monasterii per manum prefati Gerungi confratris nostri contulimus cum omni iure quiete ac libere possidendam, salvo tamen censv, uidelicet maldro tritici, quod singulis annis de eadem curia nostre persoluetur ecclesie permanente. Huius ergo rei series, ut rata sit ac inuiolabilis, hanc cartulam conscribi ac sigillo nostre ecclesie testiumque subscriptione fecimus communiri:

Testes autem sunt hii: Cunradus de Culemburg, Engelhardus de Lobenhusen, Albertus de Zabelstein cellerarius, Henricus de Lapide portenarius, canonici ecclesie nostre, Engelhardus clericus. Laici quoque: Offo Orfanus scultetus, Gotefridus Betelman, Eckehardus Pullus, Walpertus Torso, Richalmus filius Berengeri de Thelheim, Rudegerus Autumnus, Henricus frater eiusdem, Fridericus Lewere, Heroldus filius eiusdem, Henricus Quabelo, Henricus filius Eckehardi de Bleichvelt, Billungus senior de Bleichvelt, Henricus et Eberhardus filii eiusdem, Erkenboldus Tacprot, Schiltungus. Acta autem sunt hec anno incarnationis dominice M°. CC°. XII°., domino ac patre reuerendo Honorio sacrosancte romane ecclesie presidente, inuictissimo domino Friderico Romanorum imperatore ac rege Sicilie imperante, venerabili domino Ottone episcopo herbipolensi.

Appendet sigillum capituli maioris ecclesiae solitum ex funiculis sericis rubri ac viridis coloris.

CCIV.

Anno 1224. 4. Decembris, apud Hagenowe.

Heinricus VII. rex super sopienda controversia de feudo suo, quod progenitores sui ab ecclesia wirzeburgensi habuerunt et ipse habere debet, approbat arbitros, ex utraque parte constitutos, et formam ipsius arbitrii, locum scilicet et terminum.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 129. Nr. DCLXX.

CCV.

Anno 1225., circa finem mensis Februarii.

Articuli, quos Hermannus electus herbipolensis juravit.

Dominus Hermannus electus herbipolensis articulos subscriptos jurault. Feodum, quod regale siue regis dicitur, nullatenns ab ecclesia alienabit; et si uiolenter illud sibi aliquis usurpabit, supplicationibus, querimoniis, viribus seu aliis quibuscunque modis ad requirendum illud seu defendendum omnimode se exponet. Aduocatias etiam super possessionibus episcopalibus et canonicorum herbipolensium seu claustrorum, seu aliarum ecclesiarum in dyocesi constitutarum, iam non alienatas, seu etiam, quas vacare contigerit, sibi et ecclesie retinebit, ita, quod eas ab ecclesia alienari nullatenus paciatur, nec de eisdem aduocatiis uel aliis feodis aliquam alienationem, que uulgo dinge dicitur, faciet, nec eas uno resignante alii conferet; nisi recipiens iure feodali fuerit heres iustus. Item feoda magna, que vacare contigerit, scilicet ultra XX libras in reditibus habentia, nullomodo ab ecclesia alienabit, sine consilio capituli et assensv. Preterea aduocatiam in Karlestat cum omnibus suis pertinentiis nequaquam alicui conferet, nec alienari ab ecclesia aliqualiter pacietur, et si qua de ipsa sunt abstracta, pro posse et nosse fideliter repetet et requiret. Castrum in Arnstein cum suis pertinentiis, feodum quondam

Sibodonis de Luden, quod comes de Rienecke uiolenter detinet, feoda Vlrici de Wisshenvelt, necnon et castrum in Frankenberg, quod Cunradus de Ense violenter detinet, feodum etiam comitis de Velburg, quod etiam idem C. de Ense detinet, curiam etiam, que quondam fuit comitis Eckehardi et castrum, quod marscalcus de Lure et filius suus de nouo ceperunt edificare, et siluam Haseberg cum omnibus suis pertinentiis, et castrum Steina, quod comes de Hennenberg de nouo edificat, et bona in Nickersvelde, que uiolenter idem comes detinet, omnibus modis requiret et nullatenus ab ecclesia alienabit. Item beneficia, quae ceperunt uacare per mortem comitis de Hennenberg, scilicet Meiningen et Melrichstat cum suis pertinentiis modis omnibus conseruabit, et nihil ex hiis alienabit. Factum de pecunia de Lambach secundum formam in capitulo ordinatam et in scripto redactam, ratum obseruabit. Item feoda, que marscalcus de Lure habebit ab ecclesia, nullatenus alicui conferet in feodo, cum idem marscalcus iurauerit, se nullatenus alienaturum. Hec omnia iurauit dominus electus predictus super sacra euangelia firmiter et fideliter obseruare.

Hermannus 27. Feb. 1225 electus est. Vide Ussermann Episcopatus Wirceburgensis p. 84

Appendebant quondam duo sigilla, quorum primum periit; secundi pars minuta residua demonstrat caput S. Kiliani.

Editum in Jaeger Gesch. Frankenlands III. pag. 344. Nr. XVIII.

CCVI.

Anno 1225. 27. Julii, apud Frankfort.

Heinricus VII. rex formam arbitrii approbans, quo controversia super feodo herbipolensi inter patrem suum Fridericum II. imperatorem et se ex una parte et ecclesiam herbipolensem ex parte altera decisa est, nominatim exprimit feoda, quae ab ecclesia eadem se habere recognoscit, reliqua autem omnia ab impetitione sua et successorum suorum libera declarat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 130. Nr. DCLXXI.

CCVII.

Anno 1225., 20. Novembris, Maguntiae.

Cunradus portuensis et sanctae Rufinae episcopus, apostolicae sedis legatus, capitulo maioris ecclesiae wirzeburgensis sub poena excommunicationis interdicit, oblationes, domos vel curias seu alias possessiones, quae canonicis assignari debent, in laicos vel personas alias extra personas capituli transferre.

C. miseratione diuina portuensis et sancte Rufine episcopus, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo preposito, decano totique capitulo maioris ecclesie herbipolensis salutem. Auctoritate legacionis, qua fungimur, uobis sub pena excommunicacionis mandamus, ne oblaciones, siue domos uel curias, seu alias possessiones ecclesie uestre, que debent et consueuerunt actenus canonicis assignari, uel usum fructuum earum in laicos uel personas alias, extra personas uestri capituli transferatis. Siquis autem contra inhibicionem nostram hoc adtemptare presumpserit, oblacione, curia uel domo seu aliis possessionibus careat ipso iure, et capitulum hanc potestatem ea persone uestri capituli offerendi. Qui uero de manu canonici contra hanc prohibicionem oblacionem, domum uel curiam, uel alias possessiones uel usum fructuum eius receperit, excommunicacionis sentencia se nouerit innodatum. Huius modi sentenciam ad illos uolumus extendi, quibus mediantibus ista fuerint, qui fideicommissarii nuncupantur, a qua sentencia per episcopum erbipolensem, qui pro tempore fuerit, post satisfactionem idoneam absoluatur. Cui damus super hoc autoritate legacionis, qua fungimur, potestatem. Datum Maguncie, anno dominice incarnacionis M°. CC°. XXV°., XII. kalendas Decembris.

Sigillum olim appensum periit, remanentibus filis sericis rubri ac flavi coloris.

CCVIII.

Anno 1225.

Capitulum maioris ecclesiae litem dirimit inter confratres, hospitalis S. Egidii et b. Theoderici sacerdotes et Judaeum Sůzkint ob aquaeductum subterraneum iuxta domum hospitalis.

O. dei gratia wirceburgensis ecclesie maior prepositus, A. decanus totumque capitulum vniuersis presentem paginam inspecturis salutem in domino. Scire uolumus uniuersitatem tam presentium, quam futurorum, quod confratres hospitalis sancti Egidii et beati Theoderici nostre ciuitatis sacerdotes, quibus eandem domum commisimus procurandam, omni actioni, que hospitali contra Judeum, Sůzkint nomine, competebat super eo, quod aqueductum subterraneum iuxta domum suam preparatum, si quandoque dilaberetur, suis debebat sumptibus reparare, de capituli nostri consensu et conniventia renuntiarunt, tam ipsum, quam suos heredes de omni inpeticione penitus absolventes. Insuper ad nature commodum in eodem aqueductu cum infirmis accedendum memorato Judeo in forma compositionis promiserunt. Judeus autem de prudentum uirorum, clericorum et laicorum, consilio pro tali conpositione VI libras hospitali contulit, quibus procuratores supradicti, ad profectum domus, aqueductum firmum et utilem de nouo construxerunt, adiacentem stupam diu dilapsam et inutilem de eadem pecunia restaurantes. Premissis quoque adiectum est, quod si procuratores supradicti amplius aliquid edificare voluerunt, sine Judei facient nocumento. Formam igitur prioris priuilegii, aliquando prefato Judeo traditi, de cetero uolumus non ualere. Ne uero sepedictus Judeus super hoc facto calumpniari uel grauari possit in posterum, presentem paginam conscribi fecimus et horum sigillorum nostro uidelicet et confratrum munimine roborari.

Testes sunt: Godefridus maioris ecclesie, Symon de Houge, Wernherus de Bleicha, parrochiani; Heinricus de Witoldishusin,

Baldewinus de sancta Katerina, Cunradus de sancto Andrea, Weltcůnus, Cunradus uicarius, et alii confratres sacerdotes. Laici autem: Arnoldus Pica, Arnoldus cognatus suus, Echehardus Pullulus, Walpertus Torse, Marcuwardus Crispus, Marcuwardus Auctumnus, Cunradus de Culinberc, Heinricus Lugelin, Heinricus magister coquine de Rodenberc, Hartwicus magister coquine et alii. Judei: Calman, Liberman, Schoneman, Samuhel, Abraham, Joseph et alii. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XXmo Vto, pontificatus Hermani episcopi anno primo.

Appendent duo sigilla ex funiculis rubri, albi et viridis coloris 1) capituli maioris ecclesiae herbipolensis, 2) sigillum sacerdotum fraternitatis in Wirzeburch, demonstrans inter A et Ω manum porrectam, crucem tenentem, cum inscriptione: „† S. SACERDOTV. FRATERNITATIS I. WIRCBVRCh."

CCIX.

Anno 1226. [ante 27. Febr.]

Hermannus herbipolensis episcopus notum facit, quod nobiles viri Cůnradus de Trimperg et Albertus filius suus castrum Trimperg superius et inferius, et omnem proprietatem suam, quae infra semitam, de villa Vrdorf ad montem Herstelberc ducentem, usque ad vallem, quae Sibotental nuncupatur, et infra ripam sub castro in valli Engetal decurrentem usque ad Salam fluvium sita est, unacum novo castro Frundesberc et villa in minori Steten herbipolensi ecclesiae appropriaverunt; quae quidem bona et castra ipsis in feodo concedit.

„Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo VI, indictione XIIII, episcopatus nostri anno primo.

Testes sunt: Arnoldus decanus, Henricus custos, Fridericus cantor, Albertus cellerarius, Arnoldus de Zabelstein. Laici: Otto

comes de Botinlŏbe, Wahsmundus de Spekevelt, Godefridus Betelman, Alhunus pincerna, Albertus dapifer, Gotefridus Hakko, Gotefridus magister coquine, Henricus et Hertwicus magistri coquine."

Sigillum Hermanni „electi" appendet.
Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III p. 348 Nr. XX.

CCX.

Anno 1226. [post 27. Febr.]

Hermannus herbipolensis episcopus notum facit, quod Waltherus nobilis vir de Langenberg cum Alberto et Sifrido, filiis suis, omnes proprietates suas: Langenberc castrum et opidum, Bechelingen, Nezzelbach, Neisenbvrnen, Tuntzebach, Forst, Rudern, Michilberc, Gerhiltebrunnen, Lindebrunnen, Otzenrode et Eberbach, praeterea omnes piscarias in fluvio Jahis, ad castrum Langenberg pertinentes, herbipolensi ecclesiae cum omni iuris integritate donavit, receptisque prefatis bonis in feodo, publice recognovit, quod bona etiam in Reinbach, in Aloswiler, et ius patronatus ecclesiae inferioris Reinbach, ad ipsum iure hereditario devoluta, in feodo etiam ab ecclesia herbipolensi possideret. Ad huius voluntariae donationis compensationem Hermannus canonicis novi monasterii quadraginta modios siliginis, in quibus Waltherus ipsis annis singulis tenebatur, de bonis in Karelburc annuatim promittit persolvendas, atque X carratas vini, quas Waltherus prius ab ecclesia herbipolensi tenebat in feodo, de decima in Frikenhusen annuatim ipsi constituit assignandas.

„Testes: Otto maior praepositus, Arnoldus decanus, Henricus custos, Fridericus cantor, Albertus cellerarius; Manegoldus de Wilperg et Albertus de Ense nobiles; Albertus dapifer, Alhunus pincerna, Godefridus camerarius, Cunradus Sweigerer et alii quam plures.

Actum anno domini MCCXXVI., episcopatus nostri anno secundo."

Duo sigilla appendent: 1) Hermanni, cuius pars inferior tantum superest, 2) Waltheri de Langenberg.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 350. Nr. XXI.

CCXI.

Anno 1227., 28. Maii, Moguntie.

Judices a domino papa delegati in causa H. de Rabensburc contra Johannem de Rabensburc, capitulum herbipolense per sententiam ab ingressu ecclesiae suspendunt, mandantes, ut H. de Rabensburc infra spatium octo dierum proventus praebendae suae ministrentur.

Viris honorandis et in Christo dilectis preposito, decano, totique capitulo herbipolensi W. sancti Petri, B. sancti Stephani decani, et Th. scolasticus sancti Stephani Moguntie, iudices a domino papa delegati, salutem et ueram in domino karitatem cum omnimoda orationum suarum deuotione. A memoria uestra nondum credimus excedisse, qualiter nos dominum H. de Rabensburc ex primo decreto propter multiplicem contumaciam aduersarii sui Johannis de Rabensburc in prebende sue possessionem causa rei seruande mittere dignum duxerimus, set aduersarius eius dictus I., nostra sententia contempta, de prouentibus stipendii memorati nichilominus se intromittere presumsit; super quo citatum et contumacem inuentum ad instanciam predicti H. sententia excommunicationis ipsum J. innodauimus, denunciantes uobis sepius, ipsum cxcommunicatum et artius euitandum, consequenter et uobis dantes in mandatis, ut supradictum H. in possessione prelibata nullatenus inpediretis, a quo mandato, licet frivole, appellastis, nec tamen illam infra biennium prosequi curastis. Biennio uero elapso H. de Rabensburc memo-

ratus ad presentiam nostram accedens cum instantia nobis supplicauit, ut ipsum ex secundo decreto uerum possessorem prefate prebende constituere dignaremur, allegans, hoc de iure post unius anni elapsum sibi conpetiuisse. Nos uero hiis et aliis allegationibus hinc inde diligenter indagatis secundum proborum uirorum et iurisperitorum consilium per sententiam ipsum H. prebende sue uerum constituimus possessorem. Set quia propter metum et corporis cruciatum, qui merito cadit in constantem uirum, personaliter ad locum uestrum accedere non audebat nec adhuc audet, ut uobis constat et nobis, auctoritate sedis apostolice et nostra domino E. concanonico uestro, preposito de Muckestat, firmiter et sub pena dedimus in mandatis, ut prouentus ante dicti stipendii nomine memorati H. colligeret et ipsi transmitteret, adicientes, ut uos preposito E. assignaretis integraliter eosdem, quod facere minime curastis, sedem apostolicam super quibusdam articulis appellantes. Nos uero articulos appellationis uestre propter plures causas insufficientes reputantes, appellationem a uobis interpositam nullius esse momenti iudicauimus, vos etiam, quia scienter et temere contra nostrum mandatum eidem I. communicastis, prout in litteris uestris nobis transmissis confessi estis, per sententiam ab ingressu ecclesie suspendimus, licet maiorem excommunicationem ipso iure incideritis. Scitis enim uel scire debetis, quod quicumque scienter communicat et crimini et criminoso, consilium et auxilium siue favorem inponendo eidem, in maiorem utique incidit excommunicationem, prout in nouo iure cautum reperitur. Vnde bona fide et in domino uobis adhuc consulimus, mandantes et precipientes, ut prouentus prebende memorate infra spacium octo dierum a receptione presentium dicto H. ministretis et preposito de Muckestat, sicut supra scriptum est, assignetis, alioquin contra uos licet inuiti ad ulteriorem sententiam procedere compellemur. Datum Moguntie, VI. feria, Junii V. kalendas, anno dominice incarnationis M°. CC°. XXVII.

Ex tribus sigillis appensis secundum tantum integrum est.

CCXII.

Anno 1227., 11. Augusti, Mulehusen.

Heinricus VII. advocatiam curiae in Frickenhusen, ad monasterium Ahusen spectantem, quam ab episcopatu herbipolensi in feodo tenuit, Hermanno episcopo herbipolensi resignat, ab eodemque episcopo remissam, praedicto monasterio confirmat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXXI. Part. I. pag. 527 Nr. CCLXXVII.

CCXIII.

Anno 1228. [ante 27. Febr.]

Hermannus herbipolensis ecclesiae episcopus nobili viro Cunrado de Nuwenburc pro bonis in Segeniz resignatis curiam in Osthusen, ab ipso in restaurum oblatam, jure feodali confert.

I. n. s. e. i. t. Hermannus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus . . . Notum . . . esse uolumus vniuersis huius pagine inspectoribus, quod nobilis vir Cunradus de Nvwenburc bona in Segeniz sita, scilicet XVIcim jugera vinearum et unam domum, que in feodo divcius a nobis possederat, in manus noſtras resignauit instanterque petivit, vt ea et ius infeodacionis nostre, quod in eis habere videbamur, sanctis martiribus Kiliano et sociis eius in proprietatem conferremus et Berngerum civem werdensem possessorem eorundem, sub nomine census, facere dignaremur. Et ne in hac donatione aliquam sustineremus iniuriam, dictus C. nobis et ecclesie nostre curiam suam propriam, sitam in Osthusen, in restaurum contradidit, et eam a nobis recepit ivre feodi perpetuo

possidendam. Nos itaque peticioni sue, facta nobis restauracione supradicta, annuentes, nominata bona in Segeniz Kiliano et sociis eius in proprietatem contulimus, que dictus civis werdensis Berngerus a manv nostra, sub nomine census, scilicet vt annis singulis in festo sancti Michahelis duas libras cere ecclesie nostre soluat, recepit, temporibus vite sue et omnivm heredum suorum libere possidenda. Vt autem dicto Berngero super hoc nichil grauaminis oriatur, set omnibus hoc factum in posterum elucescat, presentem cartam exinde scriptam, ei dari iussimus, et sigillo nostro firmiter roborari.

Huius rei testes sunt: Arnoldus decanus, Heinricus custos, A. cellerarius, canonicus herbipolensis, Gotefridus camerarius, Albertus dapifer, Rudegerus miles de Crutheim, Marquardus scriptor custodis, Cunradus de Heidenheim, Rudegerus filius Heinrici ante portam. Acta sunt hec anno domini M. CC. XX. octauo, indictione I^a^., episcopatus nostri anno III°.

Appendet sigillum Hermanni episcopi, laesum.

CCXIV.

Anno 1228. [ante 27. Febr.]

Hermannus herbipolensis episcopus pueros Mechtildis de Eichesvelt, quorum ava Heilecha de Eichesvelt se et omnem posteritatem cognationis suae s. Kiliano et sociis eius censualem fecerat, ab omni coactione servitutis et iure advocatitio liberos esse declarat.

D. anno domini M^o^. CC^o^. XX octavo, indictione prima, episcopatus anno III.

Sigillum Hermanni episcopi appendet.

CCXV.

Anno 1228., 13. Aprilis.

Otto comes de Hiltenburch unacum uxore sua Adelheida et filio suo Alberto castrum suum haereditarium et proprium Hiltenburch cum omni iure et bonis attinentibus, villis videlicet inferius Elspe, Altenvelde, Diezenwinden, Vrankenheim, Sachsen, Swarzbach, insuper bona sua in Husen, Rode, Northeim, Berchoch dominicale, Suntheim dominicale, Holdere dominicale, Obersuelt cum hominibus, agricolis et nemore, quod Rone vocatur, Hermanno episcopo herbipolensi in feudum offert.

„Huius rei testes sunt: Otto maioris ecclesie prepositus, Arnoldus decanus, Henricus custos, Albertus de Zabelstein cellerarius et Arnoldus frater suus, Albertus de Walthusen, Marquardus de Kastele, Cůnradus et Otto de Lutterberc, Hartmannus de Wiltperc, canonici maioris ecclesie herbipolensis, Albertus scriptor, canonicus noui monasterii, comes Otto de Botenlovben, Albertus de Ense, Henricus de Wasungen, Hermannus de Windesbach; ministeriales ecclesie: Henricus marscalcus de Lure, Guntherus de Brende, Henricus et Hertwicus coquinarii regis, Gotefridus Betelman, Albertus dapifer de Witolshusen, Cůnradus Sweigerer; castellani comitis: Cůnradus de Suaneuelt, Albertus de Heriolthusen, Wolframus de Lullebach, Theino dapifer de Liechtenberch, Ludewicus de Habechisberch et Hermannus de Vladungen, et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XX°. VIII°., indictione I^ma^, idibus Aprilis, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico."

Appendent tria sigilla: 1) Capituli maioris ecclesiae herbipolensis, 2) Hermanni episcopi valde laesum, 3) Ottonis comitis de Hiltenburch, triangulare, in superiore parte laesum.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III p. 353 Nr. XXIII, et in Bechstein Geschichte und Gedichte des Otto von Botenlauben p. 132 Nr. 11.

CCXVI.

Anno 1229., 14. Julii, Wirceburc in capella palacii.

Hermannus herbipolensis episcopus et comites de Otingen Cunradus et Ludewicus, fratres, se invicem juvare promittunt contra quemlibet, imperio solo salvo.

I. n. p. e. f. e. sp. s. Notum sit vniuersis huius pagine inspectoribus, quod dominus Hermannus herbipolensis ecclesie episcopus pro se et suis successoribus fide data promisit iuvare comitem Cunradum de Otingen et fratrem suum Ludewicum et eorum successores bona fide pro posse contra quemlibet, imperio solo saluo. Hoc idem fide data promiserunt et iuramento prestito firmauerunt nomine capituli herbipolensis se seruaturos et prometuros, vt episcopus et sui successores inviolabilter obseruent Arnoldus decanus, Fridericus cantor, Heinricus portenarius, magister. Walterus de Tannenberc, nomine autem ministerialium: Warmundus de Erlah, Richolfus de Ried, Gotefridus camerarius, Marquardus Orphanus similiter fide data, iuramento prestito, firmauerunt. Insuper dictus comes Cunradus et frater suus Ludewicus nomine proprio et suorum successorum, fide data et iuramento prestito promiserunt, se et suos successores adivturos dominum Hermannum episcopum herbipolensem et suos successores bona fide pro posse contra quemlibet, imperio solo saluo. Ministeriales eciam suos scilicet Heinricum de Tambach, Eckehardum de Wilerc juniorem, Cunradem dapiferum de Rechenberc, Gerungum juniorem de Eringen, dicti, comes et frater suus Ludewicus, jurare fecerunt, se seruaturos promissa et promoturos, ut dicti comites et eorum successores hoc idem inviolabiliter obseruent. Preterea dominus episcopus herbipolensis iam sepefatus pro septingentis marcis obligauit dictis comitibus decimam in Frickenhusen in pignore, eo modo, quo pater eorundem comitum dictam decimam titulo pignoris habuisse noscitur obligatam. Adiectum eciam fuit, ut si quando antedictus episcopus

uel sui successores vel alius quisquam nomine ecclesie decimam sepefatam redimere voluerit, anno quolibet ante festum sancti Jacobi redimendi habeat facultatem, et fructus eiusdem anni cedent episcopi vel sepefate ecclesie vsibus absoluti. Preterea comites antefati pro se et suis hominibus renunciauerunt, et in manus episcopi Hermanni antefati resignauerunt omne ius, quod habere se dicebant super feodo quondam comitis Ludewici de Kastele in bonis de Swarza, vel super aliis, que idem comes de Kastele ab episcopo dinoscitur tenuisse. Vricko eciam miles ius, quod super ipsis bonis habere se asseruit, in manus dicti domini episcopi resignauit et ipsi juri plene renunciavit. Huius facti testes sunt: Krafto de Warperc, Rupertus de Lierheim, Wernherus de Elewangen, Erkengerus de Rechenberc, Hugo de Sulze, Rudolfus et Rudolfus fratres, et Albertus et Albertus fratres de Hurncheim, Wolframus de Zabelstein, Albertus dapifer, Marquardus et Walpertus sculteti, Heinricus Tacprot, Cunradus Swegerarius, Fridericus de Krense et alii quam plures civitatis herbipolensis cives. In testimonium autem et ad euidenciam huius facti presens pagina est sigillis episcopi Hermanni et capituli herbipolensis et ipsius comitis Cunradi firmiter roborata. Actum apud Wirceburc in capella palacii, anno domini M°. CC. XX. nouo, indictione secunda, II. Idus Julii, episcopatus domini Hermanni anno IIII^to^.

Appendent tria sigilla, episcopi et capituli laesa, et comitis Cunradi de Oetingen, in inferiori parte laesum.

CCXVII.

Anno 1230., 18. Januarii.

Forma compositionis inter dominum Hermannum episcopum herbipolensem et comitem Rupertum de Kastele.

I. n. s. e. i. t. Ista est forma compositionis inter dominum Hermannum episcopum herbipolensem et comitem Rvpertum de Kastele. Claustrum Swarzach infra septa muri exterioris cum omni iure et pratis et

agris contiguis, qui ad hoc pertinent, ciuitas Swarzach cum domibus et agris sitis inter monasterium ipsum et ciuitatem eandem et omni iure, villa Gerlaheshusen cum omni integritate et iure, et quicquid quondam comes Ludewicus de Kastele vel in advocatiis, vel in proprietatibus, vel in hominibus siue iure siue non iure possedit in ipsis, decima in Bernheim, bona in Blechfelt cum hominibus et omnibus suis attinentiis libere et absolute, absque omni impetitione comitis Ruperti et heredum eius, domini episcopi et herbipolensis ecclesie vsibus et dominio remanebunt. Quibus bonis et omni iuri prefatus Rupertus comes, quod se in ipsis habere asseruit renuntiauit publice et precise, aduocatias autem harum uillarum: Schonebach, Lovbe, Rihpolstorf, Osthusen, Tienebach, Strelbach, Echfelt, Northeim, Ostheim, Volkach cum omnibus attinentibus, sicut comes Ludewicus quondam habuit, et decimam in Wisenprvnnen dominus episcopus in feodo contulit comiti sepedicto. De hominibus vero swarzahensis ecclesie, qui nunc prefatis bonis episcopi vel comitis sunt annexi, est taliter diffinitum, quod milites omnes, quos predictus Ludewicus comes quiete possedit, cum prolibus et uxoribus ipsorum, quos eadem annectit conditio, vna cum bonis predictis in feodo comiti permanebunt, residui quoque omnes vbicumque terrarum fuerint siue militauerint, siue non militaverint, transeunt ad dominium episcopi absolute. Preterea, ut nichil indiscussum remaneat, per quod possit redintegrate amicicie serenitas obumbrari, promissum fuit, quod dominus episcopus in ciuitatem predictam Swarzach homines ipsius comitis, siue proprios, siue aduocatie sibi gratia attinentes, et suorum homines non colliget, nec recipiet, nisi de bona voluntate duxerit permittendum. Adiectum est etiam, quod de limitatione inter Kastele et Ipphehouen et Swaneberg, de qua diutius lis versatur, dominus episcopus et comes predictus Rupertus in hos arbitros compromiserunt: Manigoldum de Wilperch, Gotefridum de Hohenloch et in vnum de canonicis maioris ecclesie et unum ministerialem, quos episcopus decreuerit nominandos.

Pro plena itaque satisfactione excessuum, quos sepe nominatus comes Rupertus contra episcopum et ecclesiam temere rapinis et incendiis attemptauit, castrum Halleberg vna cum uxore sua manu adunata in proprietatem herbipolensis ecclesie tradidit et ab episcopo in feodo suscepit. Vt autem huius contractus firmitas perseueret, hanc cartam domini episcopi et ecclesie et ducis Bawarie, nec non ipsius comiti sigillis placuit roborari.

Huius rei testes sunt: Otto maior et noui monasterii prepositus, Arnoldus decanus, Fridericus cantor, Heinricus custos, Albertus de Walthusen, Fridericus et Albertus fratres de Grindelach canonici maioris ecclesie. Laici: Ludewicus dux Bawarie, Ludewicus comes de Rienecke, Cunradus de Trimperch, Waltherus de Langenberg, Cunradus et Albertus fratres de Ense, Cunradus de Nuwen-

berg, Gotefridus de Swarzenberg, Siboto de Jagisperg, Hartmvdus de Scherenberch, Hurrier de Clinginberg, Heinricus de Hittenheim, Gotefridus de Erlach, Warmundus de Erlach et Heinricus filius eius, Walpertus Torso, Marquardus Craso, Marquardus Orfanus, Heinricus Wolfoldus et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXX°., quinta decima kalendas Februarii.

Tria sigilla appendent: 1) Hermanni episcopi herbipolensis; 2) Ludewici ducis Bavariae, repraesentans ducem equitantem sinistram versus, vexillum tenentem. In inscriptione legitur: „† LODEWIC⁹. DEI. G. . . CIA DVX BAWARIE.“ 3) Capituli maioris ecclesie wirceburgensis. Sigillum comitis Ruperti de Kastel periit.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. pag. 355 Nr. XXIV.

CCXVIII.

Anno 1230., 19. Augusti, apud Smalkalten.

Sifridus sanctae moguntinae sedis archiepiscopus ex mandato Ottonis apostolicae sedis legati babenbergensem et herbipolensem episcopos concordat.

I. n. d. a. Nos S. dei gratia sancte moguntine sedis archiepiscopus. Accepto mandato venerabilis patris domini . O. apostolice sedis legati, vt de causa controuersie inter honorabiles fratres. babenbergensem et herbipolensem episcopos cognosceremus, et ad componendum inter eos interponeremus partes nostras, auctoritate eadem et propria freti, ipsis episcopis diem deputauimus aput Smalkalten ueniendi. Comparentibus autem ipsis coram nobis iidem fratres venerunt, causam suam arbitrio nostro terminandam tradiderunt, fide interposita, quod ordinacioni nostre starent. Nos itaque ad prouidendum ecclesiis eorundem, et ad precauenda dampna, que ex tantorum principum concertatione possent emergere, habitam

deliberacione et discussione diligenti, ipsos sic concordauimus statuentes et mandantes, quod iuxta formam composicionis inter eos prius habitam, dominus episcopus babenbergensis pro dampnis ecclesie herbipolensi illatis dabit M. marcas argenti, quarum quingentas in festo epiphanie, alias quingentas in festo Walpurgis proximo venturo persoluet. Ad securitatem autem solucionis pecunie antedicte ad terminos dictos dabit sponsores usque ad festum sancti Michahelis; quod si sponsores habere nequiuerit per redditus suos ipsum herbipolensem episcopum certum reddet. Si quis autem ex fideiussoribus datis morte preuentus fuerit, vel dictis terminis in solucione defecerit, ipse dominus episcopus babenbergensis ad solucionem dicte pecunie nichilhominus teneatur. Pro incommodis uero illatis, statuimus, quod dominus babenbergensis IIII. de ministerialibus suis et vnvm vassallum liberum ante festum Michahelis provinciam abiurare faciat, ita uidelicet, vt iidem a die juramenti ad XV dies a prouincia, in qua quisque conmanere consweuit, exulent vel cedant, non redituri donec per gratiam vel licenciam domini herbipolensis episcopi eis reditus concedatur. Item preter hec de iniuriis siue nocumentis, quibus alter ab altero se vel suos dixerit grauatos, siue ceperint ante prelium vel in prelio, siue postmodum emerserunt vsque ad festum tam beati Michahelis, quam ad eumdem terminum sopita non fuerint, ita statuimus, vt dominus babenbergensis duos de canonicis suis maioris ecclesie, duos de vassallis, duos de ministerialibus suis, quos uoluerit, eligat, et dominus herbipolensis de suis similiter canonicis, vassallis, et ministerialibus totidem, quos uoluerit. Isti XII. jurabunt, quod proximo die post festum Michahelis Swinfurthe intrent, ibidem mansuri, donec iniurias et querimonias, que prius inter ipsos episcopos et homines ipsorum sopite non fuerant, secundum iusticiam difiniant, vel amice. Quidquid etiam illis concordantibus fuerit ordinatum, vterque episcoporum pro se obseruabit, et suos ad id obseruandum inducet, bona fide. Quod si forte contingat aliqua parcivm ex hiis XII. ab alia parte qualitercumque inter se discordare, diffinitioni partis maioris standum est, et illa pars, per quam steterit diffinicio talis ex necessitate iuramenti prestiti, predictum oppidum Swinfurthe non exibit, donec concordia uel iusticia interueniat.

Qualiter autem de Hasefurth et aliis municionibus siue structuris prouideatur, id nostre deliberacioni et consilio maturiori, in statu, in quo nunc est, reseruandum duximus et reseruamus, sub debito fidei et sub pena trivm milium marcarum inhibentes, ne quis episcoporum predictorum, vel aliquis ex parte ipsorum municionem aliquam ante propalacionem nostri consilii instaurare vel contra articulos premissos venire presumat. Si quis autem id fecerit et a nobis commonitus infra spacium mensis vnius non resipuerit et satisfecerit, transgressor nobis et ecclesie Moguntine ad M. marcas, parti vero alteri ad duo M. marcarum teneatur, infra spacium anni vnius persoluenda. Reseruata nobis nihilhominus iurisdicione tam delegata, quam ordinaria in huius ordinacionis nostre transgressores. Si quid preterea super predictis dubitacionis emerserit, interpretacionem et diffinicionem nobis reseruamus. Volumus etiam, vt contractus diffinicionis huius duret in perpetuum cum eiusdem pene obligacione. Vt autem hec firma permaneant, presentem paginam conscribi fecimus et tam nostro, quam venerabilium fratrum nostrorum, babenbergensis et herbipolensis episcoporum sigilis fecimus roborari.

Testes autem hii sunt: F. cantor, F. de Grindelah, Th. de Malgoz, magister, W. de Tanneberc, G. Kiselingus canonicus herbipolensis, A. notarius, C. scolasticus babenbergensis, comes R. de Kastele, M. de Wiltperc, Albertus et Siboto de Frankenstein, Her. de Scowenberc, puticularius de Nurenberc, marscalcus de Lura, Volgerus de Salzberc, E. de Osterburc, C. de Bastheim et alii quam plures. Actum anno domini M°. CC. XXX., XIIII. kalendas Septembris, indictione IIII., pontificatus nostri anno XXVIII. Datum Smalkalten.

Ex sigillis quondam appensis duorum supersunt fragmenta valde mutila; tertium periit.

CCXIX.

Anno 1230., 27. October, apud Wirceburc.

Concordia inter Hermannum episcopum et ecclesiam herbipolensem ex una parte et comitem Bopponem comitem de Hennenberc, burcgravium herbipolensem ex altera.

I. n. d. a. Notum sit omnibus tam presentibus, quam futuris, quod inter dominum episcopum et ecclesiam herbipolensem ex vna parte et comitem Bopponem burgrauium herbipolensem ex altera super successione bonorum comitis Bertoldi de Hennenberc questione suborta talis concordia de consensu parcium electis arbitris intervenit. Comes Boppo confessus est, se renunciasse, et renunciauit omni iuri, quod habere se dicebat in civitate Meiningen cum suis attinenciis et villis, quarum nomina sunt subscripta: Berkozez, Walpahc, Bruberc, Eibrehteshusen, Ebersbah, bonis in Himelstat, decime in Ishershusen, decime in Willebrehteshusen, advocacie in Meilrichestat et in villa Stocheim, promittens pro se et pro suis heredibus, quod super bonis predictis vel eorum parte nullam episcopo vel ecclesie herbipolensi mouebit vel moueri faciat ullo tempore questionem. Dominus autem episcopus herbipolensis recognouit et recognoscit comiti Bopponi omnia feoda, que comes Bertoldus de Hennenberc, frater B. dicti comitis, tenuit ab episcopo et ecclesia herbipolensi, specialiter hiis exceptis, quibus comes Boppo renunciavit, que certis nominibus sunt expressa. Insuper dominus episcopus herbipolensis contulit in feodo comiti B. villam Nichersfelde et Masuelt inferius cum suis attinenciis preter ius patronatus ecclesie in Masuelt, quam episcopus herbipolensis, cum vacauerit, conferet, cui volet. Vt autem hec omnia rata et inconvulsa futuris temporibus observentur, presens cartula sigillis domini Hermanni episcopi herbipolensis et comitis B. de Hennenberc est munita. Huic concordie inte-

rerant: Fridericus cantor, Heinricus custos, canonici herbipolenses, Albertus et Siboto fratres de Frankenstein, Manegoldus de Wiltperc, Heinricus marschalcus de Lura, Theodericus de Hohenberc, Otto de Sleten, Theodericus de Herbestuelt, Heinricus de Ostheim et alii quam plures. Acta sunt hec aput Wirceburc, anno domini M°. CC°. XXX°., VI[to] kalendas Novembris, indictione IIII[ta], episcopatus domini Hermanni episcopi anno VI[to].

Appendent duo sigilla: Hermanni episcopi et Bopponis comitis valde laesa.

CCXX.

Anno 1230., 7. Decembris.

Hermannus herbipolensis ecclesiae episcopus castrum Lůterburg cum quibusdam villis a comite Boppone de Hennenberc et Heinrico filio eius in proprietatem herbipolensis ecclesiae accipit, iisdemque iterum in feodum confert.

Hermannus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus. Notum facimus vniversis, tam presentis etatis, quam successure posteritatis, quod comes Boppo de Hennenberc atque Heinricus filius suus manv coadunata castrum Lůterburg et villas subnotatas, scilicet Swerzgersdorf cum omni iure, que soluit VIII talenta, Plesten cum omni iure, que soluit quatuor talenta, Burvelt cum omni iure, que soluit decem talenta, Vtenhusen cum omni iure, que soluit sex talenta, Crusenbah cum omni iure, que soluit quatuor talenta, Gumbrehteshusen vndecim mansos, qui soluunt quatuor talenta, Albungeshusen cum omni iure, que soluit quatuor talenta, Eschelhorn totam villam preter quinque mansos, que soluit quinque talenta, Volchricheshusen, que sita est in officio Struphe, cum omni iure, que soluit octo talenta, nomine satisfactionis, quam ecclesie nostre prebuerunt super iniuriis irrogatis, herbipolensi ecclesie in proprietatem tradiderunt, et a manu nostra receperunt in feodo possidendas, promittentes, quod si quando questio moueatur ecclesie nostre, ipsam ecclesiam defendant modis omnibus,

quibus possint et siqua possessionum predictarum evicta fuerit, tantumdem de proprietatibus suis ecclesie nostre restituent, et eam in hac parte indempnem conseruabunt. In huius autem donacionis eorum testimonivm, presentem paginam exinde conscriptam nostro et ipsius comitis Pobbonis sigillis fecimus roborari. Huic tradicioni interfuerunt: Arnoldns decanus, Fridericus cantor, Heinricus custos, Heinricus portenarius, Fridericus de Grindelah archidiaconus, G. de Swegere archidiaconus, Cuonradus de Rethersheim, Theodericus de Malgoz, magister Salamon, magister Waltherus de Tannenberc, Heinricus de Stubewege, Gotefridus Kisilingus et alii quam plures, canonici herbipolenses. Comes Rupertus de Kastele, comes Otto junior de Botenlouben, Albertus et Siboto fratres de Frankenstein, Cunradus de Hesseburc, Otto de Sleten, Vlricus et Heinricus fratres de Steinberc, Theodericus de Herbestuelt, Heinricus de Ostheim, Cunradus de Struphe marscalkus, Theodericus de Ebenhusen, Wolframus de Lullebah, Gotefridus Scrimph, Albertus de Hergolshusen, Cunradus de Swanevelt, Ludewicus de Northeim, Lupolt de Burchardrode, Engelhardus de Osterburc, Heinricus de Glozzenkirchen, Cunradus de Linah, Friderih de Distelstat, Cunradus de Vachedorf, Cunradus Swegere, Walpertus Torso, Gotefridus camerarius, Gotefridus filius suus, Heinricus de Delheim, Marquardus Cruso, Eckehart Pullus, Heinrih Tacprot, Alhunus pincerna, Gotefridus magister coquine, Rudegerus de Crutheim, Eckehardus filius dapiferi, Otto de Espenvelt, Bruon[?] de Swallungen, Heinricus de Butert, Gotefridus Haco, Wicnant de Lancheim, Gotefridus et Heroldus fratres de Vzenheim, Karlo de Frankenberc, Heinricus Morlinus, Hermannus filius Reinwardi, Eberhart cubicularius, Herolt Rufus, Bertolt de Meiningen, Cunrad Furbaz et alii plures.

Acta sunt hec anno domini MCC tricesimo, indictione IIII^ta^, septimo idus Decembris, episcopatus nostri anno VI^to^.

Appendent duo sigilla: 1) Hermanni episcopi, 2) Bopponis comitis de Hennenberg.

Editum in Schultes: Coburgische Landesgeschichte des Mittelalters. Urkundenbuch p. 8 Nr. VIII. — Bechstein: Geschichte und Gedichte des Minnesängers Otto von Botenlauben, p. 135 Nr. 14.

CCXXI.

Anno 1230, mense Decembri, apud Wirceburc.

Hermannus herbipolensis ecclesiae episcopus a nobili viro Ottone iuniore comite de Botenloube castra Hiltenburg et Lichtenberg pretio quatuor millium et trecentarum marcarum comparat.

I. n. s. e. i. t. a. Hermannus diuina fauente gratia herbipolensis ecclesie episcopus omnibus in perpetuum . . . Nosse cupimus uniuersis, presentes pariter et futuros, quod cum nobilis vir, Otto iunior comes de Botenloube suum animum in hoc proposito firmasset, quod ab huius mundi cultu periculoso fugere, et ad meliorem uitam uellet confugere, et ob hanc causam omnia, que possidebat secutus consilium ewangelii uendere et pro Christo intendere et erogare, nobisque illa emenda offeret, nos habito capituli nostri et aliorum fidelium nostrorum consilio, cum dicto comite Ottone conuenimus, quatuor milia marcarum et CCC marcas ei dare promittentes pro castris Hiltenburg et Liechtenberg et hominibus et possessionibus, eisdem castris attinentibus, inferius nominandis. Cuius pecunie mille marcas comiti O. dedimus ad manus, quas idem O. se confessus est coram pluribus recepisse. Insuper CCC et IX marcas, pro quibus possessiones, quas nobis dedit, tenentur pignori obligate, ipsi computamus in solutum. Pro residuis duobus milibus et nongentis marcis, ad peticionem et jussum et mandatum comitis O. magistro Hermanno et fratribus domus tevtonice possessiones ecclesie nostre proprietatis nomine possidendas, cum consensu capituli nostri dedimus, sub pactis et conuentionibus easdem possessiones statutis terminis redimendi, sicut in instrumentis confectis super bonis singulis continetur. Homines autem militaris condicionis, quos comes Otto memoratus cum uxore sua Adelheida, manu coadunata dedit nobis et herbipolensi ecclesie, propietatis iure perpetuo possidendos, sunt hii: Hartman et pueri sui, due sorores eiusdem cum pueris, Lvdewicus, Albertus, Cvonradus, Theodericus fratres, due sorores eorumdem, Cvonrat, Heinricus, Hartman, Gerdrvdis, Volmvodis vxor Scrimphonis, Mechtildis vxor Hermanni Smuckonis, Mechtildis vxor Gerlaci, qui omnes dicuntur de Habechesberc; Tegeno dapifer et vxor eius et pueri preter vxorem Waltmanni, Herman Rvobezagel, Heinricus, Wortwinus fratres eiusdem, Heinricus Henelin, Wolframus de Ostheim pincerna, Cvnegvndis de Westheim, vxor Sifridi de Werna et pueri, Albertus de Bercham et medietas puerorum, Karlo, Friderich fratres et due sorores eiusdem Alberti, et pueri,

Adelheidis de Strou et pueri, Algenta de Strou et pueri, Herolt et vxor et pueri de Northeim, vxor Gotscalci de Northeim, vxor Gotefridi de Lengesvelt, Thegeno de Svntheim et vxor et III fratres eiusdem Th., vxor Theoderici de Kazzah, vxor Berchtholdi de Nvtelingen, vxor Vlrici de Svntheim, vxor Friderici Rannungere, vxor Heinrici Besewins, mater Sifridi de Eschenbach, Otto, Heinricus, Sifridus fratres de Eschenbach, mater Lamperti et fratrum eius, Gepa de Diepach, Berchtolt de Bvchelberc et pueri, Berno de Ertal et vxor, Cvnradus, Johan et vxores de Ertal, Albertus de Oberuelt, Albertus Henelin et vxor, vxor Helmboldi Steigerwalt, pueri Helmboldi de Gerbrechteswinden, Witigo de Nvwenhouen et fratres, Hartmann de Stetahen et soror, vxor Wolframi de Ebenhusen, Albertus Turdo, Hiltigunt de Rvoperteshusen, Rilindis de Eschenbach, Helewicus, Richza de Hocheim et pueri eorum. Hii et alii, qui condicionis eiusdem sunt, masculi et femine, sunt ad seruicium herbipolensis ecclesie in marscalci officio deputati. Nomina autem bonorum sunt hec: Gruonbach, Svarzbach, Sachsen, Frankenkeim, Liutebach et aduocatie in superiori Fladvngen, in Salchenberge, in Brukken, in Kozenliten, in Heinfvrte, Hvsen duo talenta et quinque solidi, vnum pomerium, vnus hortus, Diezenwinden totum praeter duos mansos, Altenvelt totum, Lihtenowe totum, Elspe totum, Rode unus mansus, Northeim XXVIII porci, et unum dominicale, Ostheim unum dominicale et alia bona, que ibidem habet, Svntheim unum dominicale, et decima et reditus XXIIII solidorum, Tvlba iudicium liberum, aduocacia et proprietas, in Machtolshusen iudicium liberum, aduocacia et homines, decima in Welmarsdorf et aqua Svlza. Nemus, quod uocatur Rona, cum uiis et inviis et aquis aquarumque decursibus, centa in Svntheim, Herfe, proprietas in Welmarsdorf. Acta sunt hec anno domini M° CC° XXX., indictione IIII, mense Decembri, aput Wirzebvrc, presentibus Arnoldo decano, Heinrico custode, Friderico cantore, Adelberto cellerario, Friderico archidiacono, Cvonrado de Retersheim, magistro Walthero de Tannenberc, canonicis herbipolensibus; Hermanno magistro domus Teutonicorum Sancte Marie in Jherusalem, fratre Bertoldo de Tannenrode et aliis pluribus religiosis. Laicis: Rvoperto comite de Castele, Manegoldo de Wiltperc, Adelberto de Frankestein, Heinrico Marscalko de Lvra, Heinrico de Brozoldesheim, Theoderico de Hohenberg et aliis pluribus. Vt autem hec rata permaneant et perpetuis temporibus inconvulsa presentem paginam nostro et ecclesie nostre nec non comitis Ottonis sigillis fecimus communiri. Villa Obersvelt bonis annumerata est. Huius rei testes sunt: Gvntherus de Brende, Heroldus de Bastheim, Volkerus dapifer, Engelhardus de Osterbvrg, Albertus de Herbesvelt, Otto de Malkozes, Lvdewicus, Hartman de Habesberc.

Appendent tria sigilla: 1) Hermanni episcopi, 2) capituli maioris ecclesiae, 3) Ottonis comitis de Botenloube sive de Hiltenburch,

triangulare, cum inscriptione: „† SI . . . . S OTTONIS DE HILTENBVRCH“.

Editum in Schultes diplomatische Geschichte der Grafschaft Hennenberg I. Th. p. 89 Nr. XIII. — Grebner compend. historiae Pars II pag. 1076. — Bechstein Geschichte und Gedichte des Otto von Botenlauben p. 136 Nr. 15.

CCXXII.

Anno 1230.

Hermannus herbipolensis episcopus advocatiam bonorum in Steten et in Rezstat resignatam sibi ab Ottone comite de Botenloube, nec non advocatiam curiae in Heselere, resignatam sibi a Fuhselino de Karleburc capitulo maioris ecclesiae libere confert.

I. n. s. e. i. t. Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus . . . Nouerint . . uniuersi, tam presentes, quam futuri, quod cum dilecti in Christo confratres nostri capitulum maioris ecclesie herbipolensis per aduocaticias angarias et coacta seruicia in bonis suis Steten et in Rezstat sine cessatione intollerabiliter grauarentur, nos dicti capituli commodo, ut tenemur, omnimodis intendentes et dicta eorum bona et homines ab aduocatorum vexatione, quorum multimodam et diutinam sustinuerant incursionem eximi cupientes, benignum eis assensum adhibuimus et affectum, quod ipsorum bonorum aduocatiam a dilecto nostro nobili uiro Ottone comite de Botenlouben, nec non et aduocatiam cuiusdam curie in Heselere, que vorwerc dicitur, predicte ville Steten attinentis, a fideli nostro Fuhselino de Karelbvrc, emptionis titulo suis usibus conquisierunt, sic quidem easdem aduocatias dictis confratribus nostris uenditas, memorati O. comes et Fuhselinus, sicut a nobis eas iure tenuerunt feodali, in manus nostras resignauerunt, et nos ipsas cum omnibus suis pertinenciis prefato capitulo libere contulimus, cum omni integritate in perpetuum possidendas, statuentes et uolentes, vt maior prepositus, quiquis fuerit, de ipsis aduocatiis, uel earum prouentibus ratione prepositure nullam sibi usurpet iurisdictionem set decanus et capitulum eas in communes usus, prout uoluerint uel expedierit, ordinent, ac disponent. Ne autem talis nostra collatio ab aliquo successore nostro, uel alio casu maliuolo

unquam de cetero retractetur, nos pro ratihabitionis testimonio presentem paginam conscribi disposuimus et nostri sigilli munimine roborari.

Testes: Arnoldus decanus, Degenhardus de Hovge prepositus, Fridericus cantor, Heinricus custos, Albertus cellerarius, Heinricus portenarius, Albertus de Walthusen, Theodericus de Malgoz, Gothefridus de Sweigere, Arnoldus camerarius, canonici. Laici: Engelhardus Snephe, Theodericus de Hohenberc, Cunradus de Erlah, Heinricus de Brozoldesheim, Hartmudus de Scherenberc, Marquardus Weise, Walpertus Thorso, Herbordus Hacgo, Richalmus frater suus, Heinricus Wolfoldus, Cunradus Sweigere, Johannes pincerna, Cunradus de Kvlenberc et alii quam plures. Actum anno dominice incarnationis M°. CC°. XXX., indictione III[a], regnantibus glorioso Romanorum imperatore Friderico, et inclito filio suo Romanorum rege Heinrico, Poppone de Hennenberc burggrauio Wirceburc existente.

Sigillum Hermanni episcopi appendet.
Editum in Bechstein Geschichte und Gedichte des Otto von Botenlauben. p. 134 Nr. 13.

CCXXIII.

Anno 1231., 14. Febr., apud Wirceburc.

Forma conventionis inter Hermannum episcopum erbipolensem et Cunradum abbatem fuldensem de mutua defensione contra quemlibet, de connubiis ministerialium, et de non vendendo castro Lichtenberc per abbatem fuldensem nisi episcopo erbipolensi, iustum pretium offerenti, qui si castrum Hiltenburch alienare voluerit, id ecclesiae fuldensi vendet.

Acta sunt hec anno incarnationis domini MCCXXXI°., indictione IIII[a]., XVI°. kalendas Marcii, apud Wirceburc.

Appendent quatuor sigilla: 1) Hermanni episcopi cuius pars superior periit. 2) Cunradi abbatis fuldensis. 3) Capituli maioris ecclesiae herbipolensis. 4) Conventus fuldensis.
Editum ex autographo in J. F. Schannat Dioecesis fuldensis. Francof. ad Moen. 1727, fol., pag. 274 Nr. LIII.

CCXXIV.

Anno 1231., mense Maio aut Junio.

Heinricus VII rex indulget, ut pro quibusdam feudis ecclesiae herbipolensis, quae ab ea H. de Bokesperc et ab hoc Conradus de Winsperc tanquam subvasallus tenuerunt, et post resignationem, ab utroque ecclesiae praedictae factam, ad instantiam Conradi de Winsperc per episcopum marchioni de Baden fuerunt collata, idem Conradus, regis Heinrici ministerialis, in compensationem ecclesiae septem villas ex suo patrimonio conferat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 176. Nr. DCC.

CCXXV.

Anno 1231., 10. Junii, apud Ebern.

Hermannus herbipolensis episcopus bona, quae nobilis vir Ludewicus de Ruhenecke acceptis sexaginta quinque marcis argenti ecclesiae herbipolensi in proprietatem tradiderat, eidem in feodum concedit.

I. n. d. a. Hermannus dei gracia herbipolensis episcopus ... Insinvacione presencium notum facimus vniuersis tam futuris quam presentibus, quod nobilis vir Ludewicus de Ruhenecke, acceptis a nobis LX quinque marcis argenti, bona sua propria inferius expressa, libera et absoluta, cum hominibus suis propriis militaris condicionis, quorum nomina etiam subscribuntur, nobis et ecclesie nostre in proprietatem tradidit et donauit, et ea cum hominibus in manus nostras et Thiemonis de Vrheim coram testibus infra scriptis assignauit, sancto Kiliano et sociis suis in proprietatem de-

ferenda. Nos autem bona eadem in manus nostras et Th. de Vrheim, ut prediximus, assignata supradicto Ludewico concessimus in feodo possidenda. Homines vero commisimus eidem, vt eos possideat, non nomine feodi, set, ut sub sua tutela sint, et ei deseruiant, sicut hactenus consweuerunt. Ipse etiam Ludwicus nobis fideliter conpromisit, quod nullum impedimentum in eisdem bonis nobis et ecclesie nostre faciet siue ea infeodando vel inpignorando set post mortem suam, si absque heredibus decesserit, libera et soluta ad ecclesiam nostram deuoluentur. Nomina autem bonorum nobis datorum sunt hec: Medietas castri in Ruhenecke, in Branberc villa XII mansi, quilibet mansus soluens XX denarios, I modium siliginis, I modium avene, preter precariam. Item molendinum ad XX denarios. Item unum forwerc, VIII mansi, quilibet mansus XX denarios. Apud Marpah XIIII mansi cum simili censu, preter precariam. Item ibidem decimam dimidiam. Herleibesdorf II mansi, vnus soluens V sol., alter XXX denarios preter precariam, pullos et alia. Hanefunthe III mansi, quilibet V sol. preterea ibidem VIII jugera vinearum. Gozmarsdorf, unum forwerc, duo mansi et dimidius. Gmeineuelt III mansi, omnes soluentes X sol. preter precariam et piscariam dimidiam. Tabemarsdorf II mansi, quilibet XX den. preter precariam et piscariam dimidiam. Vrickendorf III mansi, quilibet XL den. preter precariam et piscariam dimidiam ad XXX sol. Aput Ebern molendinum valens XX modios siliginis, IIII modios tritici et piscariam ibidem. Item cum deficeret in bonis liberis solutis ad supplecionem bonorum emptorum bona jam nominanda a manv sua infeodata simili modo nobis et ecclesie nostre in proprietatem tradidit et donauit, videlicet Tragemarsdorf VIIII mansos et dimidiam decimam. In Sande III et dimidium mansos. In Linthehe III mansos. In Ebern dimidium mansum et VIIII areas. Hec bona iam dicta possidet Th. de Lihtenstein in feodo. Item Heinebah VIII feoda in agris et siluis, que habet Marquardus de Rugeheim in feodo. Nomina autem hominum nobis et ecclesie nostre datorum sunt hec: Goteboldus miles et V pueri de Koselen, Herdegen frater suus, Heinricus miles de Gmeineuelt et V filii et vna filia Gerdrudis cum tribus pueris. Quinque pueri Herbordi

de Gmeinenelt et Anthonie sororis H. de Gmeinenelt; Adelheidis et Lugardis, filie Wintheri fratris H. de Gmeinenelt; Juta vxor Heinrici de Brunnen; filia sororis H. de Gmeinenelt cum VI pueris; Epelinus filius sororis H. de Gmeinenelt; Fridericus de Gmeinevelt cum II pueris; Juta soror sua de Houeheim cum III pueris. Item filia dicte Jute, vxor Rudegeri de Ostheim cum IIII pueris; Cunrat Schoder miles, Heinricus Scoder filius sororis sue, Hedewigis filia Helmbrici Schoder, vxor Meinhardi de Schehsliz cum II pueris; Lisa de Kozzenwinden, vxor Cunradi de Redewiz, cum III pueris; Nuzhildis cum V pueris, vxor Noui domini, Ludewicus de Breitebah cum vno puero; frater Nuzhildis, Sophia vxor Wolframi de Westheim cum II pueris, Gerdrudis soror Bopponis de Meheried cum III pueris, vxor Hermanni Cliberi, Juta vxor Alberti de Holenelt cum II pueris, filia sororis Goteboldi de Keselen, Raboto de Nuwenbrunnen cum vna filia et Burchardus filius sororis sue, Thegeno de Nuwenbrunnen et vxor sua cum III pueris, soror Friderici de Greifesdorf. Vt autem huius tradicionis et donacionis memoria futuris temporibus habeatur, hanc paginam inde scribi fecimus et sigilli nostri mvnimine roborari.

Ad maiorem etiam cautelam testes, qui interfuerunt, fecimus adnotari: Magister Waltherus de Tannenberc canonicus herbipolensis, Heinricus scriptor, Hermannus frater Ludwici, Thegeno et Karlo de Lihtenstein, Heinricus de Gmeinevelt et Heinricus et Eberhardus filii sui, Rudegerus de Crutheim, Cunradus de Linah, Cunradus Nouus dominus, Berno de Vinsterloh, Gotefridus de Fullebah et duo filii sui, Waltherus de Smidelueltt, Heinricus Altus, Goteboldus et Herdegen de Koselen, Cunradus de Hesseburg, Heinricus Sturmer, Gerungus de Lihtenstein, Otto filius suus, Bertoldus scultetus de Ebern, Eberhardus de Gmeinmelsdorf, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini MCCXXX primo, IIII Idus Junii, indictione IIII, episcopatus nostri anno VI., aput Eberen.

Appendet sigillum Hermanni episcopi.

CCXXVI.

Anno 1231., 12 Januarii, apud Ruhenekke.

Hermannus herbipolensis episcopus bona, quae nobilis vir Hermannus de Ruhenecke manu coadunata uxoris suae Lugardis ecclesiae herbipolensi in proprietatem tradiderat, eidem in feodum confert.

I. n. d. a. Hermannus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus. Ad memoriam . . presencium et ad noticiam futurorum uolumus peruenire, quod nobilis vir Hermannus de Ruhenecke manv coadunata vxoris sue domine Lugardis proprietatem suam subnotatam ecclesie nostre gloriosis martiribus, sancto Kiliano et sociis suis, tradidit et donauit, proprietatis nomine perpetuo possidendam, et nos bona eadem in feodo contulimus eidem a nobis et ab ecclesia nostra in feodo possidenda. Hec bonorum nomina subnotantur: Albolsdorf villam totam, Immenwinden villam totam, Birchehe villam totam et piscinam ibidem, Tabermarsdorf partem suam, que in diuisione bonorum cum fratre suo Ludewico, cum quo ipsam villam non diuisit, cedet ei. Item Gozmarstorf partem suam, quam etiam cum fratre suo nondum diuisit. Item Vrichendorf IIII mansos, vnum molendinum ad XII modios siliginis et aquam piscium ibidem. Vt autem hec donacio ecclesie nostre facta, omnibus elucescat, et vt eius memoria futturis temporibus habeatur, presentem paginam inde conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari.

Ad maiorem etiam cautelam testes, qui eidem donacioni interfuerunt fecimus subnotari: Magister Waltherus de Tannenberc canonicus herbipolensis, Heinricus scriptor, Thegeno de Lihtenstein, Ludewicus frater Hermanni de Ruhenecke, Hermannus filius eiusdem Hermanni, Heinricus de Gmeineuelt et Heinricus filius suus, Ludewicus de Brunnen, Herbordus de Meheried, Marquardus filius Marquardi de Lutere, Eberhardus de Gmeinmolsdorf et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini MCCXXX primo, II. Idus Junii, indictione quarta, episcopatus nostri anno VI., apud Ruhenecke.

Sigillum Hermanni episcopi appendet.

Editum in Stumpf historisches Archiv für Franken. I. 111. Nr. XXIII.

CCXXVII.

Anno 1231., 30. Augusti.

Otto praepositus, Arnoldus decanus et totum capitulum herbipolense confratri suo Gotfrido Kiselingo concedunt advocatias in Steten et in Rezstat.

O. prepositus, A. decanus et totum capitulum herbipolense. Vniversis hoc scriptum inspicientibus innotescat, quod nos de communi consensu et consilio dilecto confratri nostro Gotfrido Kiselingo, nomine oblationis spectantes nobis concessimus aduocatias in Steten videlicet et in Rezstat sub hac forma, vt ipse singulis annis nobis pro canone soluere debeat XXI talenta in festo Andree. Hoc etiam est adiectum, ut tempore petitionis, que solet fieri, dictus G. Kiselingus unum de nostris confratribus sibi assumat, cuius testimonio homines accedat ad petendum, ne, si quid per se fecerit, homines sibi in peius ualeant interpretari. Promisit pretera memoratus G. Kiselingus in supradictis aduocaciis sibi cum omni iure concessis, hominibus bonus esse, preesse pariter et prodesse, inuenta bona fide conseruare, perdita [1]) proposse reformare. Vt autem super premissis nulli dubium oriatur presentem sibi literam dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Datum anno incarnationis MCCXXXI., III. kalendas Septembris.

Sigillum capituli maioris ecclesiae herbipolensis appendet.

[1]) Membrana hic perforata est, sic ut tantum literae „p . . . ita“ supersint.

CCXXVIII.

Anno 1231., mense Augusto.

Hermannus herbipolensis episcopus a nobili viro Alberto de Entse ac uxore eius Hedewiga castrum Entse cum attinentiis suis comparat.

In nomine domini amen. Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus omnibus in perpetuum. Nouerint vniversi huius pagine inspectores, tam presens etas, quam successura posteritas, quod nobilis Albertus de Entse vna cum vxore sua Hedewiga manv coadunata castrum Entse et omnia attinencia in agris cultis et incultis, pratis, pascuis, pomeriis, lacubus, siluis, virgultis, viis, inviis et quibuslibet aliis, nobis et herbipolensi ecclesie pro CL marcas vendidit et tradidit proprietatis nomine perpetuo possidenda et nos de ipsis bonis infeodauimus eumdem. Postmodum vero processu temporis talis inter ecclesiam nostram et ipsum A. convencio intercessit, vt datis ei ducentis marcis argenti per ecclesiam nostram hac parte castri precipua sibi remanente, scilicet duobus piralibus maiore et minore, et duabus caminatis, eisdem contiguis, ecclesie vero nostre remanente cenaculo magno iuxta turrim cum granario, caminata et cellario, residua pars castri iam dicto A. et suis successoribns et ecclesie nostre in posterum sit communis in edificiis, castellanis, vigilibus, portenariis, mvnicionibus et aliis, que ad conseruacionem eiusdem castri pertinent et tutelam. Insuper ecclesia nostra cum ipso A. et suis communia possidebit suburbia, lacum minorem, locum in quo fuit civitas quondam sita, pomerium ante castrum, foresta in Renneberc, in Musersbuhel, et pascua et omnia tam in siluis, quam in agris et aquis, que gmeinemerke dicuntur, et sic omnia commvnia ecclesie nostre erunt preter quosdam agros et prata, que ex antiquitate dinoscitur possedisse. Ipse etiam Albertus nec partem castri nec ulla bona attinencia uel partem bonorum ab ecclesia nostra quoquam alienacionis titulo alienabit, set si eum decedere contingerit absque heredibus, et bona et homines ecclesie nostre cedent; set si eum vendere contingerit bona prenotata, ea secundum quod competens videbitur, ecclesie nostre dabit et nos nullum potenciorem dicto A. preter suam voluntatem in castro locabimus memorato. Vt autem hec convencio inter ecclesiam nostram et sepefatum A. initam in memoria futuris temporibus habeatur, presentem paginam ex inde scriptam sigillis nostro et ecclesie nostre et dicti Alberti fecimus roborari. Testibus subscriptis, quorum nomina sunt hec:

Arnoldus decanus, Thegenhardus scolasticus, Fridericus cantor, Heinricus custos, Albertus cellerarius, Heinricus portenarius, magister Waltherus de Tannenberc, Gotefridus Kisilingus, Albertus notarius, Heinricus plebanus de Steina, Cunradus de Nuwenberg, Warmundus, Cvnradus, Warmundus de Erlah, Cunradus de Linah, Heinricus in Fossato, Thiemo de Morlebah, Heinricus et Sifridus de Schekenbalt, Gotefridus de Itolfesheim, Cunradus Smelzelin, Emehart de Ehenheim, Eberwinus sculteus de Bernheim, Cunradus Hornelin; preterea interfuerunt Zobelo de Grunsuelt, Johannes de Foro, Gotefridus camerarius et alii quam plures. Actum anno domini M°. CC°. XXX primo, in mense Augusto, indictione IIII., episcopatus nostri anno sexto.

Appendent tria sigilla ex filis sericis 1) Hermanni, 2) capituli maioris ecclesiae, 3) Alberti de Entse triangulare, cum inscriptione: „† SIGILLVM AILBERTI DE ENSE."

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 365, Nr. XXVIII.

CCXXIX.

Anno 1231., 23. Septembris, in curia Waltsahsen apud Heitingesvelt.

Hermannus herbipolensis episcopus, causa, quae inter Heinricum de Lura, marscalcum ecclesiae herbipolensis ex una parte et Botonem de Eberstein, pueros ipsius Botonis et Cunegundis sororis dicti marscalci ex altera vertebatur, se mediante decisa, Volgero de Eberstein et fratribus eius officium marscalciae in feodum confert.

I. n. d. a. Hermannus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus notum facimus vniversis huius pagine inspectoribus, quod causa, que inter dilectum nostrum Heinricum de Lura marscalcum ecclesie nostre ex una parte et Botonem de Eberstein, pueros ipsius Botonis et Cunegundis sororis dicti marscalci ex altera diucius vertebatur, nobis mediantibus est decisa et nos ad peticionem memorati marschalci porreximus in feodo Volgero de Eberstein et fratribus eiusdem officium marschalicie cum omni iure, atque villam inferius Luram eidem officio attinentem. Preterea

porreximus Volgero vnam curiam in Salzberg, et Botoni fratri eiusdem vnam curiam in Osterburg in burclehen, quas memoratus marscalkus ad burclehen possidebat, et dicti fratres in burclehen ipsas curias possidebunt, et vxores de ecclesia nostra ducent, sicut ambo tactis reliquiis iurauerunt, et postmodum easdem curias heredes ipsorum possidebunt, qui similiter ministeriales ecclesie nostre duxerint in vxores. Super hec sepefactus marscalkus legauit eisdem pueris omne ius, quod in villa Lutensahe habebat, quam uillam in pignore ab ecclesia nostra tenuit. Item legauit eis ius, quod in bonis aput Haselbah habuit, que etiam in pignore pro XIIII marcis ab ecclesia nostra tenuit. Item legauit eis omnem proprietatem suam aput Nutelingen, atque feodum ibidem. Item legauit eis omne feodum . . . . de fuldensi ecclesia possidebat. Item omnes homines proprios sive vassalos suos contulit . . . . qui cum ipso voluerint . . . . ab . . . . e ad dictos pueros transire noluerint contulit pueris sepefatis . . . . nant Boto de Eberstein . . . . renunciauerunt omnibus bonis aliis marscalci atque . . . . quod habere se dicebant in castro Lura et . . . . no castrum Lura cum proprietate dictus marschalkus presente sorore Cunegunde et pueris sororis sue non reclamantibus . . . . proprietate ecclesie nostre dedit atque nos idem castrum cum proprietate ad burglehen marschalko contulimus memorato et Heinrico filio suo et heredibus eiusdem Heinrici, qui ecclesie nostre fuerint aut ministeriales ecclesie nostre duxerint in uxores. Contulimus autem sub hac forma. Sepefatus Heinricus marscalkus aut Heinricus filius suus aut heredes sui, quos expressimus, idem castrum Lura atque proprietatem in feodo, quod burglehen dicitur, possidebunt, atque nos atque successores nostri idem castrum atque proprietatem possidebimus pleno iure nobis liberum, sicut castrum in Salzberg dinoscimur possidere, atque ipse castellanus noster erit, quod burgere dicitur, in ipso castro atque si aliquem alium castellanum, qui burgere dicitur, in ipso castro locare decreuerimus, quam potestatem nobis reseruamus, non locabimus in eo potenciorem Heinrico, filio marscalci, per quem timeat se grauari. Et vt hec in memoria futuris temporibus habeantur, presentem paginam inde scriptam sigillis nostro et ecclesie

nostre, testibus infra scriptis fecimus roborari. Huic igitur facto interfuerunt: Arnoldus decanus, Albertus cellerarius, Gotefridus de Swegere, Gotefridus Kisllingus canonicus herbipolensis, Heinricus scriptor, Wolfradus de Crutheim, Heinricus de Brozolsheim, Heinricus Wolfoldus scultetus, Wolframus de Zabelstein, Eberhart de Bleihvelt, Heinricus Tacprot, Gotefridus camerarius, Walpertus Torso, Cunradus Swegerere, Johannes in foro, Hertwicus magister coquine domini regis, Eckehardus Pullus, Heinricus de Telheim, Eckehardus filius dapiferi, Marquardus Orphanus, Marquardus Cruso, Supanus miles, Zobelo de Grunsvelt, Rudegerus de Bischofesheim. Actum in curia Waltsahsen aput Heitingesvelt, anno domini M°. CC°. XXX primo, VIIII. kalendas Octobris, indictione IIII., episcopatus nostri anno septimo.

Appendent duo sigilla.
Membrana pluribus locis lacerata est.

CCXXX.

Anno 1231.

Theodericus commendator domus Theutonicorum per Alamanniam profitetur, quod nobilis vir Otto comes de Hiltenburg canonicis S. Kiliani apud Wirceburc ad peragendum anniversarium suum et uxoris suae trecentas marcas argenti destinavit, dandas certis sub modis et conventionibus de villa Stocheim.

Frater Theodericus commendator domus thethonice per Alamanniam omnibus in perpetuum. Notum sit omnibus, tam presentibus, quam futuris, qualiter nobilis vir Otto comes de Hiltenburg doctrinam domini secutus: „thesaurizathe vobis thesauros in celis", studuit adipisci premium taliter thesaurantibus repromissum „venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis promissum est, ab origine mundi". Sciens igitur, quod dominus ipse dixit „quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis" famvlis dei canonicis

sancti Kiliani apud **W i r c e b u r g** dedit vxore sua, et nobis, et fratribus domus theutonice consencientibus, trecentas marcas argenti, de quibus anniversarius suus et vxoris sue annis singulis peragatur. Dictas autem CCC[tas] marcas de consensu vxoris sue, nostro, et fratrum nostrorum dari constituit de villa S t o c h e i m sub modis et conventionibus infra scriptis. Villa S t o c h e i m taxata est pro quadringentis marcis, quam uillam habebit domina relicta comitis O t t o n i s cum omni iure temporibus vite sue, nisi CCCC[te] marce per dominum episcopum H e r m a n n v m vel per successores suos nobis, vel domine, vel cui iusserimus, vel cui ipsa iusserit, fuerint persolute. Quo casu pro CCC[tis] marcis emetur predium, et habebit domina quod vixerit; qua defuncta idem predivm cedet canonicis absolute. Si autem domina mortua fuerit, bonis in S t o c h e i m per dominum episcopum, vel per successores suos non redemptis, sepedicti canonici dabunt centum marcas, quibus domina dari ivsserit, vel nos dari iusserimus, et villam S t o c h e i m integram cum suis attinentiis omnibus suis vsibus retinebunt, donec per dominum episcopum, aut per successores suos CCCC[te] marce ipsis canonicis fuerint persolute. Predictis interfuerunt frater W i c m a n n u s, procurator domus nostre in W i r c e b u r g, et frater S i b o t o, qui nomine domus nostre omnibus hiis consenserunt. Nos igitur consentimus predictis et confitemur, nobis nomine domus thetonice CCC[tas] marcas argenti per sepefatos canonicos persolutas, sub pactis et conventionibus suprascriptis.

Acta sunt hec anno domini M° CC. XXX primo, indictione IIII[ta], presentibus Ottone preposito, Arnoldo decano, Friderico cantore, Friderico archidiacono de Grindelah, Alberto cellerario, Cunrado de Retersheim, Arnoldo de Zabelstein, Theoderico de Angersbah et pluribus aliis canonicis herbipolensibus. Isti laici etiam interfuerunt: Manegoldus de Wiltperc, Ludewicus de Northeim, Albertus de Perche, Marquardus Orphanus, Gotefridus camerarius, Eckehardus Pullus, Siboto de Heitingesvelt, Heroldus Huzelinus et plures alii. In cuius rei testimonium sigillis domini Hermanni episcopi herbipolensis et capituli sui et nostro et fratris Wicmanni commendatoris domus theuthonice in Wirceburg presens cartula exinde scripta fuit firmiter roborata.

Quatuor sigilla appendent ex filis sericis, 1) Hermanni episcopi, 2) capituli maioris ecclesiae herbipolensis laesum, 3) Praeceptoris Alamanniae, 4) commendatoris in Wirceburg.

Editum in B e c h s t e i n Geschichte und Gedichte des Minnesängers Otto von Botenlauben. p. 137 Nr. 16.

CCXXXI.

Anno 1232., 1. Martii, Reate.

Gregorius papa IX. statutum Conradi portuensis episcopi, apostolicae sedis legati, de non transferendis canonicorum oblationibus, domibus vel curiis in laicos vel alias personas confirmat.

Gregorius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis filiis .. decano et capitulo herbipolensi salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et uota, que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Cum igitur bone memorie C. portuensis episcopus, tunc apostolice sedis legatus in ecclesia herbipolensi duxerit deliberatione prouida statuendum, ne oblationes siue domus uel curie seu alie possessiones eiusdem ecclesie, que debent et consueuerunt canonicis assignari, uel usus fructus earum in laicos uel personas alias a canonicis transferantur, prout in ipsius litteris dicitur plenius contineri, nos uestris iustis precibus inclinati, statutum huiusmodi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Reate, kalendis Martii, pontificatus nostri anno quinto.

Bulla plumbea Gregorii papae IX. appendet.

CCXXXII.

Anno 1232., mense Maio, apud Portam Naonis.

Fridericus II imperator, ad querimoniam herbipolensis episcopi, tunc in generali curia ex sententia principum Albertum de Entse proscribit, eo quod castrum Entse, ad ecclesiam herbipolensem spectans, absente in servitiis episcopo, violenter occupavit.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 201 Nr. DCCXII.

CCXXXIII.

Anno 1232., 18. Junii, Spoleti.

Rainerius, Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, inter herbipolensem episcopum, apud sedem apostolicam existentem ex una et fratrem Gotefridum procuratorem et alios fratres praedicatores apud sedem apostolicam constitutos procuratorio nomine fratrum praedicatorum apud Herbipolim existentium ex altera parte, compositionem amicabilem stabilit.

Uniuersis presentes litteras inspecturis. Rainerius miseracione diuina Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis salutem in auctore salutis. Vniuersitati uestre clareat manifeste, quod cum inter venerabilem patrem .. herbipolensem episcopum aput sedem apostolicam existentem ex parte vna et fratrem Gotefridum procuratorem et alios fratres predicatores aput sedem apostolicam constitutos procuratorio nomine fratrum predicatorum aput Herbipolim existencium ex altera, super quadam conuencione cum ipso et clero herbipolensi cum fratribus prefatis habita quedam dissensio verteretur, tandem mediantibus nobis talis inter eos composicio amicabilis interuenit, quam pars utraque promisit firmiter et inuiolabi-

liter obseruare, non obstante composicione habita olim aput Herbipolim inter partes, quam prefati episcopus et fratres cassam et irritam esse de cetero decreuerunt. Tenor uero huius amicabilis composicionis est talis: Predicatores aput Herbipolim constituti suberunt et obedient herbipolensi episcopo, saluis per omnia sui ordinis institutis, concessionibus, indulgenciis et priuilegiis apostolice sedis. Ordinaciones fratrum, consecraciones ecclesie ac altarium, benedictiones cimiterii, uasorum ac uestimentorum ecclesiasticorum recipient ab eodem episcopo uel ab alio ipsius licencia requisita; excomunicatos eius uitabunt; interdictum generale seruabunt, nisi qua tenus spirituali concessione uel indulgencia sedis apostolice sunt exempti. Sepulturam habebunt pro fratribus domesticis et familiaribus suis ordinis sui religionem seruantibus. Illi fratres tantum predicabunt in civitate et diocesi herbipolensi, qui per priorem domus herbipolensis vel uicem eius tenentem vel superiores ipsorum ad predicationis officium fuerint deputati. Cauebunt autem, ne in publicis predicacionibus coram populo aliqua dicant, vnde iuste scandalizari possint clerici uel prelati. Quando idem episcopus personaliter predicat, uel alicui in aliquibus sollempnitatibus generalem predicacionem iniungit, tunc fratres propter ipsius reuerenciam in illo loco humiliter a predicacione cessabunt. Confessiones autem non audient nisi uenientes ad confessionem requisiti dicant se habere licenciam a prelatis suis, vel eisdem fuisse confessos, vel si dixerint, quod non sint confessi, promittant se confiteri eisdem secundum formam concilii generalis. Vt autem hec omnia supradicta perpetuum robur obtineant firmitatis, hanc composicionem ex utraque parte sponte receptam, et eciam approbatam, tam ipsius episcopi, quam nostro fecimus sigillorum munimine roborari. Actum Spoleti, XIIII. kalendas Julii, incarnacionis dominice anno millessimo ducentesimo XXX secundo, pontificatus uero domini Gregorii pape VIIII. anno sexto.

Appendent duo sigilla ex filis sericis rubri et flavi coloris: 1) Hermanni episcopi, 2) Rainerii, ovatum, repraesentans divam virginem sedentem, sinistra manu puerum Jesum tenentem, cum inscriptione: „S. RAINERII S. MARIE I. COSMIDI DIAC CARD.“

CCXXXIV.

Anno 1232., 4. Decembris, apud Lure.

Concordia inter Hermannum episcopum herbipolensem et comitem Bopponem de Hennenberch mediante domino Ottone duce Meraniae, palatino comite Burgundiae inita.

I. n. d. a. Inter dominum Hermannum episcopum herbipolensem ex una parte et comitem Bopponem de Hennenberch ex altera mediante domino O. duce Meranie, palatino comite Burgundie talis concordia intercessit: Dominus comes stabit arbitrio et ordinacioni domini episcopi super facto puerorum de Sterenberch. Item super castro Lure et uilla Lure, super iure uenandi, piscandi, ligna seccandi in sillua Salzuorst, quod comes habere debet; super silua Stocheim et Melrichstat; super silua Quienuelt; super noualibus in Salzuorst et decimis eorumdem; super decima in Hoheberch; super Kumarche; super silua Ebersbach; super silua Greuenhain; super castro Steina et omnibus aliis, cultis vel incultis, siue hominibus militaris aut rustice condicionis, in quibus dominus episcopus uel sui dicunt comitem vel suos sibi iniuriari, uel comes aut sui dicunt dominum episcopum aut suos ipsi iniuriari, uicini senes fide digni, habentes rei, de qua queritur, noticiam discernent prestito iuramento de ueritate dicenda. Si autem uicinie testimonium haberi non poterit, vel quia rei, de qua queritur, memoria non habetur, uel quia uicini discordent nec in una sententia conueniant, quatuor ex parte episcopi, scilicet Rudolfus de Hohenuelt, Fridericus Kyselinch, Guntherus de Brende, Otto de Bastheim vel dapifer Volcherus de Salzberch loco sui; quatuor ex parte comitis: Eberhardus de Masbach, Otto de Sletten, Vlricus de Steinberch, Heinricus de Ostheim, moniti per episcopum aut comitem nouam ciuitatem intrabunt, a die monicionis infra octo

dies, noctibus non exituri nisi discordia terminata. Item siqua discordia nunc est, vel adhuc orietur inter homines domini episcopi et comitis vel suos, comes pro se et suis sine protractione temporis conquerentibus hominibus episcopi iusticiam exhibebit; quod si non fecerit comes, episcopus comiti vel hominibus comitis diem assignabit et locum, quo secure ueniant comes et sui iusticiam recepturi; quod si comes et sui diem eis statutum ab episcopo non seruauerint, ex tunc E. de Masbach, O. de Sleten, V. de Steinberch, H. de Ostheim moniti per episcopum vel nuncium eius Wirzeburch intrabunt a die monicionis infra octo dies, noctibus non exituri nisi discordia terminata, vel amicabiliter vel per iusticiam, pro qua moniti sunt intrare. Si autem homines comitis de episcopo uel hominibus episcopi conquerantur, episcopus pro se et hominibus suis sine mora iusticiam exhibebit; quod si facere distulerit, R. de Hoheuelt, F. Kyselinc, G. de Brende, O. de Bastheim uel V. dapifer loco sui, Munrichstat intrabunt, obseruaturi eadem, que priores. Homines autem episcopi ibunt in conductu comitis, et homines comitis in conductu episcopi; postquam autem se receperint in loco debito, unus ex quatuor de licencia trium exibit, moniturus super eorum absolutione, et infra dies IIII rediturus. Super castro Kalwenberch taliter est conuentum: dominus episcopus castra noua cum ueteri totaliter destruet, uel nouis destructis, uetus cum comite diuidet; et hoc erit in arbitrio episcopi. Comes etiam procurabit suis expensis et laboribus castrum Kalwenberch episcopo dari per regem, et eius medietatem recipiet in feodo comes ab episcopo. Reliqua autem bonorum, que dominus episcopus emit ab Vlrico de Kalwenberch, episcopus libere tenebit. Promissum est etiam, ut tam episcopus, quam comes tales ponant in castro Kalwenberch castellanos, qui non sint episcopi vel comitis inimici. Et si quando inter episcopum et comitem guerram contigerit oriri, nec episcopus nec comes per castrum in Kalwenberch offendetur, set quieti sedebunt; et siquis dominum suum iuuare uoluerit, de castro descendet, et guerra finita, si uoluerit, reascendet. Item bona iuxta Kalwenberch, que dicit episcopus comiti vel hominibus suis obligata, dabuntur episcopo redimenda, si

probaverit esse pignus, vel comitem confessum esse pignus, vel promisisse, quod det ad redimendum, probauerit inquam per eos, qui interfuerunt placitis, conuencionibus, confessionibus inter episcopum et comitem super hiis factis. Ministeriales episcopi comes inuito episcopo, ministeriales comitis episcopus inuito comite non tenebit. In decimis et aliis bonis, que Th. de Blanchenberch ab episcopo tenet in feodo, comes episcopum non impediet per se uel per suos. Dominus episcopus renunciat promissioni facte de restituendis fructibus, iam perceptis. Bona, que Th. de Blanchenberch dedit, uel dari fecit in proprietatem episcopo, retinebit episcopus, si probatum fuerit, quod eadem bona fuerint ab antiquo wirzeburgensia, uel in manibus salamannorum ministerialium wirzeburgensis ecclesię, uel liberorum. De aduocacia cenobiorum Vilsdorf et Husen comes se non intromittet. Comes amicus est omnium, qui eum offenderunt de Kalwenberch, renuncians omnibus dampnis suis, et illi de Kalwenberch sunt amici comitis, renunciantes per omnia dampnis suis. Quod si quis facere non uult, episcopus erit suus inimicus. Item comes dat Cunrado de Hesseburch L libras pro dampnis suis et non inpediet eum per se uel alium castrum suum reedificare, sicut uelit. Omnia autem debent usque ad festum purificationis proximum esse terminata, uel predicti milites iacebunt in locis dictis donec omnia terminentur. Vt autem hec firma permaneant dominus episcopus pro se et suis successoribus et capitulo suo, comes pro se et suis heredibus data fide in manus ducis Meranie promiserunt se iam dicta fideliter seruaturos et presentem cartulam sigillis suis et domini ducis Meranie et wirzeburgensis capituli fecerunt communiri. Acta sunt hec aput Lure anno domini M°. CC°. XXXII°., pridie nonas Decembris, indictione VI., presentibus domino O. duce Meranie, R. comite de Kastel, M. de Wilperch, F. cantore, H. custode, magistro W., G. Kyselingo canonico, H. de Scowenberch, H. de Sunnenberch, E. Vorschone, R. de Hohenuelt, O. de Bastheim, F. Kyselingo et aliis pluribus.

Appendebant olim quatuor sigilla ex filis sericis rubri et flavi coloris, quorum secundum, capituli maioris ecclesiae, deperditum

est; residua sunt 1) Hermanni episcopi, 2) Ottonis ducis Meraniae eques:re, hunc demonstrans equitantem sinistram versus; in inscriptione legitur: O . . . DI GRA DVX MERANIE et PALATIN ·BVRGVNDIE, 3) Bopponis comitis de Hennenberg, insignia hennebergica monstrans cum inscriptione: „† SIGILLVM COMITIS BOPPONIS DE HENNENBERC."

CCXXXV.

Anno 1233., 20. Januarii.

Hermannus herbipolensis episcopus officium sculteti in Mæilirichstat cum omni iure Ottoni de Burgelin confert ad duorum annorum terminum gubernandum.

H. dei gratia herbipolensis episcopus. Confitemur et notum facimus vniversis, quod nos vna cum O. preposito, A. decano et capitulo ecclesie nostre, in quorum manibus locauimus bona nostra aput Mæilirichstat ad solucionem pignorum ecclesie nostre pro nobis obligatorum, officium sculteti nostri ibidem cum omni iure Ottoni de Burgelin contulimus, a nunc instanti festo purificationis beate Virginis ad duorum annorum terminum gubernandum. Ad hec contulimus eidem census nostros ibidem, theloneum et ducatum cum prouentibus eorumdem; concessimus etiam eidem precariam nostram ibidem, que per nuncium confratrum nostrorum statuta assignabitur sibi, et si quid in constitucione super summam viginti talentorum excreuerit, id usibus nostris cedet, et defectus, si XX talenta haberi non poterunt, nobis computabitur. De hiis omnibus premissis centum et viginti IIII talenta ad solucionem pignorum, sicut premisimus, singulis annis dabit temporibus deputatis, videlicet in festo Walpurgis XXXI talenta, in natiuitate beate Virginis XXXI talenta, in festo Martini XXXI talenta, et in festo Epiphanie Domini XXXI talenta, de quibus denariis XXX talenta erunt datiui monete nostre, residui erunt tales, qui dantur ibidem. Dictum est etiam in hoc contractu

nostro, ut cum denarii, quos diximus, collecti fuerint ad locum determinatum per ipsum deferendi, si per gwerram, que fortisan ingruerit, per sterilitatem temporis aut per alium quemcumque modum, qui legitimus iudicabitur, dictus O. aliquod sustinuerit dampnum, quod absit, nos aut confratres nostri, si tempore computationis absentes fuerimus, eidem graciam facere debemus, dampno suo, si legitimum fuerit, computato. Ad hec omnia concessimus sibi molendinum aput Stocheim, cuius proventus usibus suis cedent ad terminum supra scriptum. Insuper dicto O. concedimus, ut lucrum omne, quod V solidos non excedit, recipiat ad usus suos. Si quidem autem lucrum V solidos excreuerit, vsibus nostris cedet, videlicet ad solucionem pignorum, prouiso diligentius, ne lucrum maius propter diminucionem siue summulam sibi deputatam per ipsum aliquo modo diminuatur. Recognoscimus etiam, quod omnia suprascripta posuimus in manibus Cůnradi et Ottonis de Luterberc, confratrum nostrorum, et magistri Eberhardi, vt ea sibi loco et tempore, si necesse fuerit, debeant optinere. Idem etiam O. pro denariis promissis, temporibus certis dandis, dedit fideiussores, videlicet: Cunradum et Ottonem de Luterberc, Hartmannum de Wiltperc, Ottonem de Kirchperc, canonicos maioris ecclesie, magistrum Eberhardum canonicum noui monasterii, Theodericum et Hartungum de Meilrichstat ciues. Qui, si terminis deputatis pecunia soluta non fuerit, canonici predicti in claustro ipsorum et alii vbicumque decanus eis assignauerit, se recipient, inde non exituri, nisi de licencia ipsius decani aut pecunia persoluta et VIIIto. die post terminum se recipient. Et ut iste contractus omnibus elucescat et firmus utrobique valeat observari, presentem literam sibi concessimus, sigillis nostro et ecclesie nostre firmiter communitam. Huius facti testes sunt: O. prepositus, A. decanus, H. custos, H. portenarius, magister Waltherus de Tannenberc, G. Kisilingus, magister Hermannus scriptor, O. plebanus de Meiningen, Heinricus notarius, Zobelo miles. Actum anno domini Mo. CCo. XXXo. tertio, XIIII. kalendas Februarii, indictione VI.

Sigillum Hermanni episcopi periit, sigilli ecclesiae herbipolensis, ex particula membranae appendentis, pars minuta superest.

CCXXXVI.

Anno 1233., 26. Maii.

Hermannus herbipolensis episcopus Heinrico de Altenhof cubiculario et Ludewico de Tungersheim theloneum civitatis suae, vihezol dictum, ad unius anni terminum concedit.

H. dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniversi, quod nos Heinrico de Altenhof cubiculario et Ludewico de Tungersheim theloneum ciuitatis nostre, quod vihezol dicitur, pro IIII talentis ad ius curie pro II talentis nobis ad hantlon, pro VI talentis ab inde infeodatis et XX duobus talentis concessimus a festo sancti Martini nunc futuro ad vnius anni terminum gubernandum et in usus eorum cum omnibus ab inde prouentibus conuertendum. Et ut ipsa concessio ipsis et eorum heredibus, si medio tempore defecerint, a nobis et a successoribus nostris vsque ad euolutionem termini prescripti inuiolabiliter obseruetur, presentem eis cartulam concessimus, sigillis nostro et capituli nostri firmiter communitam. Huic concessioni nostre aderant magister Waltherus de Tannenberc, G. Kisilingus, magister Hermannus scriptor, O. de Meiningen, G. camerarius, H. dapifer et Zobelo. Data anno M°. CC°. XXX tercio, VII. kalendas Junii, indictione VI.

Sigillorum ex membranis appendentium tantum fragmenta supersunt.

CCXXXVII.

Anno 1233., mense Junio.

Hermannus herbipolensis episcopus Ludewico de Waltdorf et Gerdrudi uxori eius confert unum talentum de teloneo pecudum annuatim exhibendum, ipsi a Mechtilde, vidua Friderici Reguli, curiae episcopalis aliquando spisarii, et filio eius Gotefrido pro quadam summa pecuniae venditum.

I. n. d. a. Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint . . vniversi huius pagine inspectores, quod cum Fridericus Regulus, aliquando spisarius curie nostre, nature debitum persoluisset, cui bone memorie Otto episcopus, predecessor noster, pro diuturno obsequio suo inspecta fidelitate sua vnum talentum de theloneo pecudum ciuitatis nostre cum aliis quibusdam bonis contulit in feodo possidendum et ipso iure in heredes suos quoslibet transferendum, Mehtildis vidua ipsius et Gotefridus filius eius predicti talenti et aliorum bonorum heredes idem talentum manu coadunata nostro super habito consensu Ludowico de Waltdorf pro quadam summa pecunie vendiderunt, confirmacionem nostram desuper postulantes. Nos itaque inspecta fidelitate L. memorati vendicionem ipsam gratam habentes atque ratam recepto feodo a dicta femina et G. filio eiusdem idem talentum sepedicto L. et ad recompensacionem obsequiorum Gerdrudi vxori sue contulimus in feodo possidendum et in heredes suos ipso iure transferendum. Huic collacioni nostre interfuerunt: Gotefridus Kisilingus canonicus maioris ecclesie, magister Hermannus scriptor, O. plebanus de Meiningen, Heinricus de Botenlouben, Wernherus vicarius in Biberah, clerici. Heinricus dapifer, Gotefridus camerarius, Johannes pincerna, Zobelo cum Gutenberc, Albertus Sporlinus, Gotefridus senior, Gotefridus iunior de Rotenkolben, Ludewicus de Tungersheim et alii plures. Actum anno domini M°. CC°. XXX tercio, in mense Junio, indictione VI., episcopatus nostri anno octavo.

Appendet sigillum Hermanni episcopi ex membrana.

CCXXXVIII.

Anno 1233.

Hermannus herbipolensis episcopus notum facit, quod Waltherus, filius Billungi de Bleichfelt, civis herbipolensis et uxor sua Friderun octo iugera vinearum in Bleseberc et duo iugera et dimidium in Morsberc ecclesiae herbipolensi vendiderunt, et per manum decani nomine oblationis pro annuo canone trium talentorum herbipolensis monetae receperunt.

I. n. d. a. H. dei gratia herbipolensis episcopus... Nouerint.. omnes huius littere inspectores, quod fidelis noster Waltherus filius Billungi de Bleichfelt, ciuis herbipolensis, et vxor sua Friderun dilecto nostro A. maioris ecclesie decano titulo emptionis apud ipsos obtinente octo iugera vinearum sita in Bleseberc in loco, qui dicitur Wintirleide, duo iugera et dimidivm sita in Morsberc, in loco, qui dicitur Wintirleide, cum omni iure proprietatis dicte maiori ecclesie nullo contradicente vnanimiter contulerunt. Facta, sicut solet fieri, renunciacione manu et calamo in eisdem, deinde sicut prouisum fuerat, easdem vineas per manum decani nomine oblationis ab ecclesia receperunt, sibi et omnibus heredibus suis in posterum possidendas pro annuo canone trium talentorum herbipolensis monete in tali termino, anno inde singulis soluendorum, que tria talenta sepefato decano quoad uixerit sunt soluenda; post cuius obitum cedent ecclesie sub eo titulo, quo adhuc ipse pro anime sue remedio de ipsius oblationis canone ordinandum decreuerit uel legandum. Hoc etiam pactum inter cetera est adiectum, quod quandocunque dicte pensionis solutio a soluendi termino sex septimanis neglecta fuerit uel omissa, ipse vinee a possessore libere vacabunt cum omni iure ad ecclesiam integraliter deuolute. Testes: Heinricus custos, Arnoldus camerarius, A. de Walthusen, Teodericus de Appolt, Heinricus de Wechmar, Swikerus, Engelhardus prepositus,

Fridericus de Grindela, Arnoldus Rufus, Heinricus de Stubewege, Conradus de Luterberc, Conradus de Thelheim, Eberhardus de Masbach, Eppelinus, Johannes. Laici: Walpertus Torso, Ecchehardus Pullus, Marquardus Orphanus, Conradus Quabulo, Harmudus de Lindelah, Heroldus Lewero, Ricalmus, Heinricus de Curna, Heroldus de Sande, Nicolaus. Vt autem hec firma et inconuulsa permaneant sigillo nostro et capituli maioris ecclesie iussimus roborari. Acta sunt hec anno domini M^o. CC^o. XXXIII°., pontificatus nostri anno VIII^to., indictione VI^a.

Sigillum Hermanni episcopi appendet ex filis sericis; sigillum maioris ecclesiae periit

CCXXXIX.

Anno 1234., 3. Martii, apud Herbipolim.

Otto comes de Botenlouben manu coadunata uxoris suae, dominae Beatricis, castrum Botenlouben cum omni iure et bonis attinentibus ad reliquias sanctorum martirum Kiliani et sociorum eius vendit pro mille ducentis marcis argenti.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Infirmitatis humane memoria cum sit labilis et caduca scripturarum munimine subleuatur ne id, quod rationabiliter statutum obliuionis aut ignorancie uicio corrumpatur. Hinc est, quod ego Otto comes de Botenlôbe [1]), manu coadunata uxoris mee domine Beatricis castrum nostrum Botenlôben [1]), quod iure hereditario et proprietatis nomine noscimur hactenus possedisse, cum omni iure et bonis attinentibus, scilicet Sidingestat [2]) villa sub Struphe ad XII talenta herbipolensia, in Eichisuelt villa superiori [3]) ad III. talenta, Gebolshusin et Hagin [4]), quondam due ville nunc una, in Rotswindihusin [5]) ad VIII talenta cum molendino ibidem, in Ellenbach [6]) ad VI talenta, in Haselbach [7]) quedam bona, que pertinent Ellenbach [6]), bona in Heften, uilla in Ritanswisin [8]), tota villa Iringishusin [9]), dominicale in Kizche [10])

cum quibusdam aliis bonis ibidem, sub castro Botenlŏbe [1]) molendinum, Gunterstorpf [11]) villa tota, uinee sub castro Botenlŏben [1]) ad XL^ta. iugera, vinee in Staphel, in Nutelingin [12]) quedam bona, in Hilteburgehusin quedam bona et omnibus alii intus et de foris eidem castro ex antiquo pertinentibus pro mille ducentis marcis argenti, pro quibus redditus episcopales inferius expressos sub forma adiuncta recepimus, domino Hermanno venerabili episcopo et ecclesie herbipolensi super reliquias sanctorum martirum Kyliani et sociorum eius liberaliter tradidimus et damus perpetuo possidendum. Curiam in ipso castro, quam hucusque inhabitauimus et turrim cum capella et duabus domibus in suburbio sitis ad equorum stabula et XII^cim. iugera vinearum sub palacio castri sita, nomine burchsezze nobis quoad uixerimus et eadem XII^cim. iugera post mortem nostram dicte vxori nostre B. nomine libgedinge, quoad ipsa uixerit, et preterea castrenses nostros saluos in iure ipsorum, siue sit in eorum burchseze, siue in aliis bonis, que possident, conseruantes. Bona domini episcopi, que nobis assignauit, quibus utemur debita honestate, sunt hec. In Sconenowe, Brende, Wegefurthe et Wicenbrunen [13]) ad XLV talenta; in Wizbach, in Frankenheim ad X talenta, in Houstrov ad XV talenta, in Vrdorpf [14]), Elfrichishusin [15]) et Mahtolshusin [16]) ad XXX talenta, preter homines earundem villarum in bonis assignatis residenciam non habentes; que bona pro summa pretaxati precii empcionis castri Botenlŏben [10]) et bonorum attinencium, mille videlicet ducentarum marcarum annuatim centum talenta soluencia a manu ipsius episcopi recepimus in hunc modum, vt si dictus episcopus uel successores sui, vel aliqui nomine ipsorum nobis uiuente ea non redemerint, post mortem nostram quibuscumque in remedio anime nostre claustris uel personis argentum pretaxatum vel partem ipsius delegare decreuerimus, nullo contradicente succedant, tali interposita pactione, ut cum decesserimus, dominus episcopus aut successores sui, aut ecclèsia ipsorum nomine infra IIII^or annorum terminum ipsos redditus redimendi liberam habeant facultatem, ita quod uno quoque anno dictorum IIII^or annorum trecente marce claustris vel personis, quibus eas vel partem ipsarum delegauerimus, persoluantur et sic mille CC^tis marcis persolutis, memorati redditus ad episcopatum liberi reuertentur, ita tamen, ut anno IIII^to transacto [17]), quicquid de summa pecunie solutum fuerit, in redempcionis sortem cedat et quantumcunque de ipsa pecunia extiterit [18]) non solutum, tantumdem de redditibus assignatis tam claustris quam personis, quibus delegauerimus per estimacionem debitam in próprietate remanebit. Hec predicta bona episcopalia a manu dicti domini H. episcopi recepta in manibus domini Friderici cantoris, Gotefridi Kiselingi [19]) canonici herbipolensis, O. plebani de Meiningin, Rv̊perti [20]) comitis de Kastele, Friderici filii sui, Manegoldi de Wilperg [21]), Manegoldi et Marquardi filiorum suorum, Theoderici de Honberg [22]), Richolfi de Luterbach, Ottonis de Bastheim et

Guntheri de Brenden [23]) predictorum bonorum salamannos, quos ad hoc elegimus, dari iussimus nobis et eis, quibus delegauimus obtinenda. Huius rei testes sunt: Willehelmus [24]) abbas, Nidungus prior, Johannes custos de Bilhilthusen [25]), Bertoldus capellanus comitis de Botenlöben [26]), Albertus de Eltingishusen [27]), Albertus Treteberc, Conradus de Holzhusin [28]), Albertus de Strelebach [29]) et Heinricus notarius. Ut autem huius empcionis contractus omnibus patefiat et nulli super eo dubietatis scrupulus oriatur et inuiolabilis permaneat, presentem paginam ab inde scriptam sepe fati domini H. episcopi, capituli herbipolensis, nostro et domine Beatricis vxoris nostre sigillis petiuimus et iussimus roborari. Actum apud Herbipolim, anno domini M°. CC°. XXXIIII°., IIII°. nonas Marcii, indictione VII., episcopatus domini Hermanni anno VIIII°.

Adsunt duo exemplaria, in quorum altero nomina sic scribuntur: [1]) Botenlouben, [2]) Sidingestat, [3]) Eichesuelt villa inferiori, [4]) Gebolshusen et Hagen, [5]) Rotswindehusen, [6]) Ellenbah, [7]) Haselbah, [8]) Ritanswisen, [9]) Iringeshusen, [10]) Kizceche, [11]) Guntersdorf, [12]) Nutelingen, [13]) Wicenbrunen, [14]) Vrdorf, [15]) Eluericheshusen, [16]) Mahtolshusen, [17]) „transacto" deest, [18]) exstiterit, [19]) Kisilingi, [20]) Ruperti, [21]) Wiltperc, [22]) Hohenberc, [23]) Brende, [24]) Willehalmus, [25]) Bildehusen, [26]) „de Botenlouben" deest, [27]) Eltingeshusen, [28]) Holzhusen, [29]) Strelebah. Ex uno exemplari appendent adhuc tria sigilla: 1) Hermanni, 2) capituli herbipolensis, 3) Beatricis; in altero eadem sigilla adsunt laesa; in ambobus exemplaribus deest sigillum Ottonis comitis.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 370. Nr. 31, et in Bechstein Geschichte und Gedichte etc. pag. 140 Nr. 18.

CCXL.

Anno 1234., 2. Octobris.

Soror Adelheidis, filia nobilis viri Alberti de Hiltenburch, relicta Ottonis comitis de Botenlouben, possessiones suas et iura in villis Stocheim et Quienvelt certis sub conditionibus beato Kyliano tradit.

Reuerendis patribus ac dominis O. preprosito, A. decano, totique capitulo herbipolensi. Soror A. filia nobilis uiri A. de Hilten-

burch, relicta O. comitis de Botenloiben tam promptum obsequium quam deuotum. Saluti anime mee consulens et optans magno desiderio uestris apud deum et uestrorum successorum in perpetuum orationibus adiuuari, quicquid iuris habeo et ex quocunque titulo siue quacunque causa in uillis Stocheim et in Quienuelt do et concedo et per presentem litteram possessionem dictorum bonorum trado deo et beato Kyliano et uobis in usus et augumentum prebendarum uestrarum in perpetuum profuturum, sub hoc modo, ut de bonis in Stocheim uestro periculo procurandis michi due prebende integre ministrentur, etiam si canonicis contingat aliquid deperire. Bona uero in Quienuelt meo periculo procurabitis tamquam res proprias defendentes, et quicquid inde prouenerit, assignari michi plenarie facietis; meo autem consilio statuetur uel remouebitur procurator. Quod si Albertus filius meus me decedente superuixerit, canonicus existens ecclesie uestre, predicta bona in Stocheim et in Quienuelt in oblationem hereditariam habeat, sicut habere canonici consueuerunt; postquam centum et quinquaginta marce, secundum dispositionem meam distribuende, solute fuerint per uos, prius quam bona dimittatis eidem. Et de dictis bonis dabit uobis singulis annis quindecim libras, quinque iń anniuersario meo, quinque pro anniuersario mariti mei, quinque pro anniuersario eiusdem A. statuentur. Et si forte filius meus me superstite decesserit, uel laicauerit, uel alias ab ecclesia uestra cesserit, fiat michi uiue de bonis, sicut superius est expressum; me uero mortua bona in Stocheim libere et absolute uobis et uestris successoribus remanebunt. De bonis autem in Quienuelt trecente marce deducentur secundum dispositionem meam distribuende; quibus deductis eadem bona uos et uestri successores libere possidebitis et quiete. Acta sunt hec anno incarnationis domini M°. CC°. XXXIIII., indictione VIII., VI. nonas Octobris.

Sigillum „Adelheidis de Hiltenburch“ optime conservatum appendet. Editum in Jäger Geschichte Frankenlands III. 374. Nr. XXXIII., et in Bechstein Geschichte und Gedichte p. 142 Nr. 20.

CCXLI.

Anno 1234., 18. Novembris, Herbipoli.

Heinricus VII. rex clerum, barones, ministeriales et cives herbipolenses in protectionem specialem recipiens, et defensionem mutuam spondens, protestatur, quod promissiones et iuramenta, ad honorem maiestatis regiae et specialiter intuitu personae suae facta, nunquam ultra instantem necessitatem extendet.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 218. Nr. DCCXXIV.

CCXLII.

Anno 1234., 21. Novembris, Hougae.

Heinricus VII. rex ad querelam Hermanni episcopi herbipolensis, diversis iuribus in villis Dampfesdorf, Urheim, Bernheim, Huttenheim et in aliis pluribus, renuncians, reservans tamen iura in villa Gochesheim, omnibus sculletis et officiatis in specie Wilhelmo de Wimpina, putiglario de Nurenberg, Rotenburg, Hallis, Swinfurthe, Kungesberg et Lenkersheim, praecipit, ut ab omni gravamine abstineant.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 221. Nr. DCCXXV.

CCXLIII.

Anno 1234., mense Novembri.

Hermannus herbipolensis episcopus notum facit, quod Mehtildis comitissa de Hennenberc manu coadunata mariti sui Gotfridi comitis de Richenbach, omnem proprietatem ipsi ex donatione nobilis viri Heinrici de Trimperc devolutam ecclesiae herbipolensi dedit.

I. n. s. e. i. t. a Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus .. nosse volumus uniuersos presentes et post futuros, quod nobilis matrona domina Mehtildis comitissa de Hennenberg manu coadunata mariti sui nobilis uiri Gotfridi comitis de Richenbach, receptis ab ecclesia nostra centum marcis argenti omnem proprietatem suam subscriptam, que ad ipsam ex donatione nobilis viri Heinrici de Trimperc deuoluta fuerat, et homines subscriptos per manum salamanni sui, nobilis uiri Manegoldi de Wiltperc senioris, qui presens aderat, ecclesie nostre dedit proprietatis nomine perpetuo possidendam, offerens illam super reliquias sanctorum martyrum Kyliani et sociorum suorum liberaliter et deuote, ut cum ipsa matrona et maritus suus, comes predictus, de medio sublati fuerint, anniuersarius utriusque certo suo tempore a nostre ecclesie confratribus celebretur, se de ipsa proprietate manu et calamo, prout consuetudinis est, abdicando et renuntiando omni iuri, quod in ipsa proprietate habebat vel habere uidebatur. Similiter ad iussum ipsius dicti nobiles G. comes predictus et Manegoldus salamannus ipsius manibus et calamis renuntiauerunt omni iuri, quod ratione predicte matrone in ipsis bonis [1]) habere uidebantur. Huic donationi et contractui est adiectum, quod dicta domina M. et nobilis G. memoratus ipsa bona uite sue temporibus possidebunt, et post mortem utriusque, si sine heredibus, pueris uidelicet, per ipsos progenitis decesserint, bona ipsa ad nostram ecclesiam reuertentur libera et absoluta. Hec bona dedit: Locum castri antiqui in Trimperc et montem totalem Trimperc. Apud Eluerichishusen VI mansos, quorum quilibet soluit II modios siliginis, I modium tritici, unum pullum, I porcum estimandum pro XII sol, dominicale ibidem soluens XV sol., duas domos ad IIII sol., piscariam soluentem septimanis singulis VI den., vineas circa XII iugera infeodata et soluta, insuper precarias et alia seruitia. In Mahtolshusen siluam, XXX[ta] agros, XI mansos soluentes tantum ut priores, dominicale soluens I talentum, XXXII iugera uinearum absoluta; insuper VII iugera infeodata. Apud

Rûtswindehusen circa VII feoda, quorum quodlibet soluit IIII sol., I modium siliginis, dimidium modium auene et totidem pullos. Ibidem quedam noualia ad X sol. Apud Engetal de uineis et feodis XXV sol. et modium auene. Ibidem in garba sub castro X. iugera; ibidem XVI iugera super ortum. Ibidem in Meinlochesberc XX iugera Ibidem in rotunda uinea VII iugera. Ibidem in Sibotental XVI iugera. Insuper XII iugera, que coluntur a diuersis. Ibidem VIIII iugera inculta. Ibidem XLI iugera infeodata diuersis. Quinque lehen ad II talenta infeodata. Apud Wazzerlose dominicale ad VIII modios siliginis, IIII modios auene. Apud Erlehes XV lehen, quodlibet soluens II sol., I modium siliginis, I modium auene et pullum. Molendinum ibidem tantum soluens sicut lehen. Apud Westeheim mansum X sol. Apud Alpharteshusen I mansum X sol. Apud Sulztal I lehen VII sol. Apud Ruderstal medietatem noualium uinearum circa centum iugera. Apud Trintal medietatem dominicalis et piscarie. Apud Obertulbe bona ad XVI sol. Apud Langendorf III iugera. Melhornes uilla infeodata dapifero comitis. Homines vero sunt hii: Cunradus et Beroldus aduocati de Heidenuelt [2]), Bertoldus, Livpoldus et Otto fratres de Kundorf, Mehtildis soror ipsorum, vxor Rudegeri de Ozelen et pueri, Heinricus et Bertoldus aduocati de Grunungen, Theodericus Schirbin, Bertoldus de Tullesteten, Gotefridus de Sulztal, vxor et pueri, Bertradis de Zvceleibe [3]) et pueri, Johann de Sulza et pueri, Gertrudis uxor Cvonradi aduocati et pueri et insuper alii homines, tam militaris quam rustice conditionis, qui nobilis uiri Heinrici de Trimperc fuisse dinoscuntur. Dedit etiam alia bona eidem proprietati attinentia, quorum nomina superius forsitan non sunt scripta. Vt autem hec donatio omnibus patefiat, presentem paginam abinde conscriptam sigillo nostro, capituli nostri, comitis G. et ipsius comitisse iussimus communiri. Ceterum ut dictus comes G. de familiaritate nostra et ecclesie nostre gaudere debeat, ipsum locauimus in castro nostro Steinekke domum ligneam ante castrum concedentes eidem et preterea ad VIII talenta annuatim in uillis prenotatis Erlehes et [4]) Rutswindehusen, assignantes eidem, ut ea nomine castrensis feodi debeat possidere temporibus uite sue. Testes: Magister Hermannus scriptor, Cûnradus Sweigerarius, Ekkehardus Pullus, Godefridus camerarius, Johannes pincerna, Zobolo, Syboto de Heitingisfelt, Heinricus Sturmer, Cûnradus de Regenstein, Bertoldus Leze, Cûnradus de Altertheim, Livpoldus de Burcharderode, Hermannus de Wertungen, Degenhart de Bibera, Fridericus de Karleburch et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. XXX°. IIII^to^, in mense Nouembri, episcopatus nostri anno X°., indictione VIII.

Adsunt duo exemplaria, in quorum altero haec differunt [1]) „bonis“ deest, [2]) Heidenuelt, [3]) Zuzelebe, [4]) „et“ deest. In primo appendent

quatuor sigilla 1) Hermanni episcopi, 2) capituli herbipolensis, 3) comitis Gotfridi de Richenbach, 4) Mehtildis comitissae. In altero tantum fragmentum sigilli Hermanni episcopi superest.

Editum in Jäger Geschichte Frankenlands III. p. 376 Nr. XXXIV.

CCXLIV.

Anno 1234.

Capitulum herbipolense notum facit, quod Eberhardus sacerdos de Sancto Panthaleone duo iugera vinearum in Lindach et in Rode sita super reliquias b. Panthaleonis contulit, et ipso procurante Hedewicga devota quaedam matrona eadem uno iugere in Rode adauxit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otto prepositus, Arnoldus decanus et totum capitulum herbipolense. Cum piorum corda deus ex alto prospiciat, eorum deuotio et bona opera, que fecerint, sunt non inmerito commendanda, immo etiam in noticiam hominum exponenda, ut posita in candelabro aliis luceant in exemplum. Hinc est quod commendabilem Eberhardi sacerdotis de sancto Panthaleone pietatem ac deuotionem uolentes ostendi posteris in exemplum, per presens scriptum innotescere uolumus uniuersis tam presentibus quam postfuturis, quod predictus E. sacerdos spiritu ductus pietatis duo iugera uinearum in Lindach et in Rode sita super reliquias beati Panthaleonis contulit in nostro capitolio sub hac forma, ut ab obitu suo post annum cum omni usu cedant sacerdoti cuicumque in dicto capitolio diuina celebranti. Insuper ipso procurante Hedewicga deuota quedam matrona herbipolensis unum iugerum illi iugeri in Rode conterminum super easdem reliquias contulit, eiusdem sacerdotis quicumque fuerit post dicte matrone mortem usibus deputandum. Item [1] . . . . Siquidem cum crescentibus donis donorum etiam crescere debeant rationes, statuimus quemadmodum memoratus benefactor prouidit statuendum, vt sacerdos

quilibet altari in loco deseruiens sepefato, diebus singulis matutinas debeat et alias horas canonicas decantare, sicut enim altario deseruiens de altario uiuere est permissus, ita de altaris dote uiuentes, quod habent de altari, tenentur stipendium deseruire. Vt autem alienationi dictorum bonorum debita videretur sollicitudine precaueri, prenotati collatores decanus, cantor, custodes et portenarius ecclesie nostre ea in suam potestatem recipere procurarunt, sacerdoti in loco sepefato celebranti secundum pretaxatum ordinem obtinenda. Et si quando predictum sancti Panthaleonis altare sacerdote caruerit, iam dicti domini prefata bona fideliter conseruabunt sacerdoti, qui institutus fuerit assignanda. Vt autem super premissis ordo prenotatus nunquam in posterum inmutetur, presentem inde paginam conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Testes: Heinricus portenaris, Waltherus, Hermannus filius Reinwardi, Conradus et Burchardus frater suus, Berhtoldus Huseien, Otto Morhart, Symon, Rvͦpertus, Burchelinus, Sifridus, Heinricus et alii quam plures. Actum anno incarnationis domini M°· CC°· XXXIIII°·, regnante glorioso Romanorum imperatore Friderico et inclito filio suo Romanorum rege Heinrico, Hermanno de Lvͦdebvrc episcopo Wirceburc presidente.

Sigillum capituli impressum adest.

[1]) Hic in diplomate lacuna unae et dimidiae fere lineae est.

CCXLV.

Anno 1235, 24. Februarii, apud Spiram.

Heinricus VII. Romanorum rex donationem partis suae in castro Calwenberg, ecclesiae herbipolensi olim factam, innovat et confirmat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXXI. Part. I.

Ulricus de Calwenberg castrum Calwenberg ecclesiae herbipolensi anno 1232., 6. Februarii vendiderat. Chartam venditionis ediderunt: Jaeger Geschichte Frankenlands P. III. p. 358 Nr. XXV. et Schultes Coburg. Landesgesch. Urkundenb. p. 9 Nr. IX.

CCXLVI.

Anno 1236., 7. Februarii.

Arnoldus decanus maioris ecclesiae herbipolensis Michaheli Judaeo dicto de Randesachere et suis heredibus aream cum muribus utrobique sitam retro novam domum in foro vendit.

Sepe suboriri solet de gestis hominum multa calumpnia, nisi lingua testium robra adhibeat vel scriptura. Hinc est, quod ego Arnoldus decanus maioris ecclesie herbipolensis notum fieri volo vniversis presens scriptum inspicientibus, cum emergente nobis necessitate ad comunem vsum fratrum pertinentem aream cum muris vtrobique, ad ipsam aream tendentibus in locis oportunis ad subleuanda edificia ad comunem vsum uicinorum, de communi consensu et consilio capituli nostri vendidimus pro quadam summa pecunie Michaheli Judeo dicto de Randesachere et suis heredibus eo iure, quo vsi sumus hactenus et potestate, que sita dinoscitur esse retro nouam domum in foro, tante longitudinis velut est domus cubicularia, et protendentem usque ad aream Hertwici quondam magistri coquinae preter viam, que est communis, et usque ad nouum cellarium iure proprietatis. Aream cum curia libere sibi et eius heredibus possidendam contradidimus, exclusa penitus omni potestate, quam hactenus exercuimus seu habere potuimus in supra taxata curia uel area nullamque de cetero nobis vendicando potestatem de hac proprietate vsurpantes, preter uiam et scalam que ducit ad nostrum granarium ex antiquitate, quam vsui nostro, Judeo non contradicente, conseruauimus iure proprietatis. Aream autem, curiam cum muro vtrobique ad ipsam tendentem, Judeus cum suis posteris mittendo in eam lapidis et canalia sua sibi ad utilitatem et vtendi ad sua

edificia liberam potestatem habebit, sicut iuris est vnicuique super suam proprietatem. Statuentes denique etiam pro annuali censu et oblatione de area hac et suis attinentiis a prememorata Judeo et eius heredibus nobis in festo sancti Michahelis vnam dari maldratam tritici singulis annis et sic libere et quiete aream sepedictam possidebunt. Vt autem super statuto huius modi nemo attenuandi causa exurgere valeat contra nos uel contra Judeos autefatos, nec cuiquam etiam vlla dubietas ob hoc oriatur, set ratum et inconuulsum habeatur, presentem paginam a nobis editam sigilli ecclesie nostre caractere iussimus insigniri. Acta sunt hec anno M°. CC°. XXXVI°., VII. Idus Februarii, VIII. indictione. Testes: Arnoldus decanus et sui concanonici, Fridericus cantor, Arnoldus custos, Albertus cellerarius, Gotefridus de Sviegern, Fridericus de Grindelah, Marcwardus de Castele, Otto de Lutterburc, Arnoldus Rufus, Heinricus de Stubewege, Kisenligus, Burchardus de Ebersberc, Albertus de Grindaela, Boppo de Trimperch, Cremesarius. Laici: Walpert Torso, Marcwart Cruso, Friderich de Crense, Richalm Hacho, Richalm filius Berengeri, Herolt Lewer, Rudeger filius Ruppoldi, Heinrich de Randesachere, Heinrich de Hocheim, Cunrat Blunzhart, Herolt ex altera parte Mogi, Hertwich de Nihte, Alwich, Godebolt de Randesachere, Cvnrat Vbelin, Lugelin, Heinrich notarius ciuitatis. Judei: Chophelin, Meir filius Manzen, Salman gener Michahelis et alii quam plures.

Sigillum capituli maioris ecclesiae valde laesum appendet.

CCXLVII.

Anno 1236., 22. Martii, Viterbii.

Gregorius papa IX. [Wilbrando] archiepiscopo magdeburgensi, nec non episcopis [Konrado] hildeshemensi et [Eckehardo] mersburgensi mandat, quatenus molestatores ecclesiae herbipolensis per censuram ecclesiasticam compescant.

Gregorius episcopus, seruus seruorum dei, venerabilibus fratribus . . Archiepiscopo magdeburgensi, . . hildesemexsi et . .

mersburgensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut venerabilis frater noster herbipolensis episcopus sua nobis petitione monstrauit, super bonis herbipolensis ecclesie a multis, qui nomen domini in uacuum recipere non uerentur, indebite molestetur, fraternitati uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus non permittatis eundem uel ecclesiam suam ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante constitutione de duabus dictis edita in concilio generali, quod si non omnibus hiis exequendis potueritis interesse, duo uel unus uestrum ea nichilominus exequatur. Datum Viterbii XI. kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

Appendet bulla plumbea Gregorii papae IX.

CCXLVIII.

Anno 1237., 26. Februarii, apud Herpolim.

Contractus et forma concordiae inter dominum Hermannum episcopum et ecclesiam herbipolensem ab una parte et nobilem matronam dominam Gerdrudim, viduam Ludewici de Stolberc et Wernhardum filium ipsius et alios pueros eius et homines eorumdem ex altera.

In nomine domini amen. Inter dominum Hermannum episcopum et ecclesiam herbipolensem ab una parte et nobilem matronam dominam Gerdrudim, uiduam Ludewici de Stolberc et Wernhardum filium ipsius et alios pueros eius et homines eorumdem ex altera talis contractus et forma concordie intercessit. Dominus episcopus castrum Stolberc in sua habebit potestate, et in turri locabit custodes, qui in ea erunt ad suum beneplacitum et mandatum, et nullum grauamen aut uiolentia eidem domine aut pueris suis, aut eorum hominibus ex parte domini episcopi inferetur. Si dictus

Wernhardus, filius predicte domine, antequam compleuerit annos discretionis, uel si post annos discretionis sine liberis decesserit, castrum dictum Stolberc, quod ab episcopo tenet, et omnia alia bona, que similiter ab episcopo in feodo possidet, domino episcopo et ecclesie herbipolensi cedent libera et soluta, ita tamen, quod predicte domine ducente marce argenti et filie ipsius, que contrahere legitime et in seculo remanere uoluerit, ducente marce argenti' ab episcopo aut suis successoribus persoluantur, pro quibus ducentis marcis argenti, que sepedictam dominam contingunt, uillas subnotatas ipsa domina nomine pignoris retinebit, uidelicet: Schoneih, Binebah, Cameruorst et nouam uillam; et si filia ipsius decesserit, mater succedet eidem in receptione pecunie memorate. Ipsa etiam domina potestatem habebit, de pecunia, que eam contingit, legandi, donandi, uel quicquit ab inde placuerit ordinandi. Preterea dabuntur castrensibus, qui in castro tunc fuerint residentes, si castrum et feoda cesserint domino episcopo, centum marce argenti distribuende ad consilium Ludewici de Steteberc, vel Heinrici Mŭtel, si superstes fuerit premortuo Ludewico. Item dominus episcopus pro remedio anime Ludewici de Stolberc duos mittet armatos, quibus ad minus dabit sexaginta marcas argenti ad subsidium terre sancte. Dictus etiam dominus episcopus castrense feodum assignabit domine memorate et curiam in castro, quam in castrensi feodo, si placuerit, possidebit, aut aliquem locabit ideonum in eadem, retenta domino episcopo curia principali. Item si castrum ad ecclesiam deuoluetur per mortem Wernhardi castrenses, qui tunc fuerint in castro, residentes manebunt, si domino episcopo placuerit, in eodem et precipue L. de Steteberc et H. Mvͤtel, quibus duobus competens et honestum castrense feodum debet ab episcopo assignari. Si autem sepedictus Wernhardus ad annos discretionis peruenerint, castrum sepedictum et bona alia nomine feodi possidebit, ita quod ab eo nullum impedimentum episcopo et ecclesie herbipolensi de dictis feodis generetur. Super his omnibus firmiter tenendis dominus episcopus fideiussores pro se et ecclesia sua dedit, uidelicet: Thegenhardum prepositum in Hoͮge, Albertum cellerarium maioris ecclesie, Heinricum de Brozoldisheim,

Ludewicum de **Northeim**, **Wolframum** de **Zabelstein**, **Warmundum** de **Erla** et **Thiemonem** de **Vrheim**, qui et pro premissis omnibus obseruandis et pro ducentis marcis argenti, que filie sunt soluende, prebuerunt fideiussoriam cautionem. Econuerso sepefata domina promisit fide data, et castrenses eiusdem castri iurauerunt omnia supradicta fideliter obseruare. Et ut hec omnibus patefiant et nulli super eo dubium oriatur, presens pagina ab inde conscripta de consensu et petitione predictorum omnium, sigillo domini Hermanni episcopi fuit in testimonium firmiter roborata. Actum apud Herbipolim anno domini M°. CC°. XXX°. VII°., indictione X^ma^, IIII°. kalendas Martii, episcopatus domini Hermanni episcopi anno duodecimo.

Ex sigillo Hermanni episcopi tantummodo pars superior cum capite eiusdem superest.

Editum in Stumpf histor. Archiv für Franken I. p. 66. Nr. XI.

CCXLIX.

Anno 1237., 27. Aprilis, apud Herbipolim.

Sifridus maguntinae sedis archiepiscopus universos Christi fideles per maguntinam et herbipolensem dioceses constitutos rogat, quatenus de bonis sibi a deo collatis elimosinarum largitione herbipolensi ecclesiae ad reparationem edificiorum illius subveniant, omnibus qui manus adiutrices porrexerint, quadraginta dies de iniunctis sibi poenis relaxans.

„Datum apud Herbipolim, anno gratiae millesimo ducentesimo XXXVII°., V. kalendas Maii, pontificatus uero nostri anno VII°."

Sigillum Sifridi archiepiscopi laesum appendet.

CCL.

Anno 1237., . . Maii apud Babemberg.

Engelhardus nuwemburgensis episcopus Christi fideles per nuwemburgensem diocesin constitutos monet, quod ecclesiae herbipolensi subventionem ad reparationem edificiorum suorum ministrent, omnibus vere poenitentibus, qui dictae ecclesiae manus porrexerint adiutrices, quadraginta dies iniunctae ipsis poenitentiae relaxans.

„Datum apud Babemberg, . . Maii, anno gratie MCCXXX septimo, pontificatus uero nostri anno . .“

Sigillum Engelhardi episcopi oblongum appendet.

CCLI.

Anno 1237, 1. Maii, Wirceburc.

Hermannus herbipolensis episcopus universis Christi fidelibus per herbipolensem diocesin constitutis iniungit, quatenus ecclesiae herbipolensi ad reparationem edificiorum cathedralis ecclesiae, vetustate collapsorum, elemosinarum largitione subveniant.

H. dei gratia herbipolensis episcopus uniuersis in Christo fidelibus per herbipolensem dyocesin constitutis salutem et sinceram in domino caritatem . . . Cum edificia cathedralis ecclesie nostre, matris uestre, sint adeo uetustate collapsa, quod ad reparacionem eorum subuencione fidelium necessariam habeant, exhortamur dilectam nobis in Christo vniuersitatem uestram attencius et monemus et in remissionem peccaminum uobis iniungimus, quatenus de bonis uobis a deo collatis elemosinarum uestrarum largicione matri uestre iam dicte ecclesie subuenire curetis, ut per hec et alia bona, que domino

inspirante feceritis, felicitatis eterne uobis premia conparetis. Nos igitur de omnipotentis dei misericordia, beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, ac preciosissimi martyris Kiliani meritis et auctoritate confisi, omnibus corde contritis et ore confessis, qui eidem ecclesie manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies criminalium iniuncte penitentie et annum uenialium, peccata oblita, vota fracta, si ad ea redierint, offensiones patrum et matrum sine efusione sanguinis penitentibus octo dies carrene et unum annum penitencialem, mulieribus autem, que omnem diligenciam adhibuerint pueris baptizatis, dimidiam carrenam et annum penitencialem, ita ut dimidiam carrenam ante natiuitatem domini studeant in domo propria ieiunare; mulieribus quoque, que non baptizatos apud se pueros inuenerunt, octo dies carrene, et annum penitencialem misericorditer relaxamus. Uenerabilis etiam pater ac dominus noster archiepiscopus maguntinus dies quadraginta, et honorabiles fratres ac domini episcopi, dominus merseburgensis dies quadraginta, dominus nuwenburgensis dies quadraginta, dominus eistetensis dies quadraginta omnibus predicte fabrice benefactoribus uere penitentibus et confessis de iniunctis sibi penitenciis relaxandos misericorditer decreuerunt. Omnibus itaque sacerdotibus, in hoc negocio fideliter laborantibus, si quid in diuino officio, in missis et horis canonicis forsitan obmiserunt, uere penitentibus et confessis misericorditer condonamus, vniuersis et singulis uobis sacerdotibus iniungentes in remissionem peccaminum, ut quilibet uestrum duas missas pro omnibus benefactoribus ecclesie dicte pro salute uiuorum, alteram pro defunctis singulis ebdomadis decantet, in die, qua cantauerit missam ipsam, populo denuncians indulgenciam et exhortans ipsum, ut ecclesie subueniat memorate. Datum Wirceburc, kalendis Maii, anno gratie M°. CC°. XXX°. VII°., episcopatus nostri anno duodecimo.

Sigilli appensi pars minuta superest.

CCLII.

Anno 1237., 8. Maii, apud Babenberc.

Capitulum ecclesiae babenbergensis abbatibus, prepositis, decanis, prioribus aliisque rectoribus ecclesiarum per diocesim babenbergensem constitutis mandat, ut nuntios, qui ad canonizationem b. Brunonis et ad aedificia ecclesiae herbipolensis reparanda laborant, benigne recipiant.

P. prepositus, K. decanus totumque babenbergensis ecclesie capitulum dilectis in Christo abbatibus, prepositis, decanis, prioribus aliisque rectoribus ecclesiarum per babenbergensem dyocesim constitutis salutem et sinceram in domino karitatem. Vniuersitati uestre presentium tenore declaramus, quod nos petitiones venerabilis domini nostri herbipolensis episcopi totiusque capituli recepimus humiliter supplicantium, ut nos nuntios ipsius ecclesie, qui ad canonizationem beati Brvnonis et ad edificia ecclesie reparanda fideliter laborant, benigne in nostra dyocesi reciperemus, quas venerabilis dominus archiepiscopus mogvntinus cum aliis suffraganeis suis pie considerare dignatus est, uota fidelium ad hoc suis monitis et indulgentiis inuitando. Ideoque uniuersitatem uestram, nobis in Christo dilectam, monemus et rogamus et hortamur in domino Jhesv Christo presentium uobis auctoritate sub suspensionis pena districte mandantes, quatenus nuntios ipsos predicte ecclesie seruitores super ipsis negotiis nullis aliis inpedimentis obstantibus ad nos uenientes benigne recipiatis et benignius pertractetis et in omnibus expediatis, subditis uestris iniungentes auctoritate nostra, ut ad stationes, quas nuntij ipsi eis indixerint, humiliter ueniant, audituri dei verbum et ecclesie memorate necessitates, ab ipsis etiam destinatas eis indulgentias recepturi. Datum apud Babenberc VIII. idus Maii.

Sigillum capituli babenbergensis ecclesiae appendet.

CCLIII.

Anno 1237., 13. Julii, Herbipoli.

Cunradus hildensheimensis episcopus, indulgencias quadraginta dierum indulget omnibus, qui conventualem ecclesiam, videlicet kathedralem maiorem, in Wirceburc ad structuras et tecti aedificia ac alia necessaria subsidiis adiuuant.

„Data Herbipoli, III. idus Julii, indictione X^{a}., anno domini MCCXXXVII^{o}., episcopatus nostre anno XVI°."

Sigillum Conradi episcopi hildensheimensis adest.

CCLIV.

Anno 1237., 1. Septembris, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus abbatibus, prepositis, decanis prioribus aliisque ecclesiarum rectoribus per herbipolensem diocesim constitutis precipit, quatenus nuncios suos, quos pro negocio colligendarum elemosinarum ad canonizationem Brunonis episcopi et ad reparationem aedificiorum fabricae mittit, benigne recipiant.

H. dei gracia herbipolensis episcopus dilectis in Christo abbatibvs, prepositis, decanis, prioribvs, aliisque ecclesiarum rectoribvs per herbipolensem diocesim constitutis, salutem et sinceram in domino caritatem. Vniuersitatem uestram nobis in Christo dilectam credimus non latere, qualiter dudum merita beatissime memorie Brvnonis episcopi miraculis clarissimis dominus ostenderit coruscare, quod et cottidie signis renouat evidenter. Vnde cum humana deuocio preposito debeat affectu honorare, quos dignacio diuine benignitatis honorat, nolentes deesse muneri diuine gracie sed adesse, ne quod

absit tanta dei gracia nostre negliencie tenebris obvmbretur, pro canonizacione ipsius [1]) de prelatorum et magnatum terre consilio duximus laborandum. Cum igitur ad id ecclesie nostre proprie non subpetant facultates, nam pro eodem negocio plurima iam expendimus, et ad presens edificiis fabrice nostre svmus plurimum onerati, cuius necessitatem pater noster et dominus archiepiscopus mogvntinus cum aliis pluribus episcopis pie considerans dignatus est, vota fidelium suis monitis et indvlgenciis invitare, volentes vos confraternitatis capituli sancti Kiliani sociorumque eius et beati Brvnonis participes fieri meritorum, mittimus ad vos nuncios ecclesie nostre, beati Brunonis et fabrice servitores, rogantes, monentes, in remissionem peccaminum vobis iniungentes et avctoritate nostra svb pena suspensionis vobis districte precipientes, quatenus nuncios nostros ecclesie servitores super vtroque negocio uenientes ad vos, omnibus aliis predicatoribus exclusis, benigne recipiatis et benignius pertractetis, svbditis etiam uestris in confessionibus iniungentes, vt matrici ecclesie de svis svbueniant facultatibus, avctoritate nostra per penam excommunicacionis precipientes, ut ad staciones, quas nuncii nostri eis indixerint, sollemniter celebrent et ipsis presentibus humiliter conueniant, audituri uerbum dei et ecclesie necessitatem, et destinatas eis indulgencias per reuerendos patres ac dominos archiepiscopum moguntinum ac aliarum ecclesiarum episcopos, quorum indulgencias sub sigillo nostro uobis ostendere poterunt euidenter. Data Herbipoli, kalendis Septembris, indicione decima, anno domini M°. CC°. XXX°. VII°., episcopatus nostri anno XII.

Hermanni episcopi sigillum appendet.

---

[1]) Diploma „ipius".

CCLV.

Anno 1238., 25. Maii, apud Augustam.

Landolfus wormaciensis episcopus omnibus in sua diocesi constitutis iniungit, quatenus studeant ecclesiae herbipolensi elemosinas erogare, omnibus benefactoribus vere poenitentibus et confessis XL dies de iniuncta sibi poenitentia relaxans.

. L. dei gratia wormaciensis episcopus omnibus in sua diocesi constitutis salutem in salutis auctore ... Cum .. kathedralis ecclesia venerabilis in Wirceburc sancti Kiliani et sociorum eius ad canonizacionem beati Brunonis, quondam ipsius ecclesie episcopi, de cuius negocio in curia iam laudabiliter inchoato nuper nuncij sunt reuersi, et ad structuras et tecti edificia ac alia ibidem necessaria, ad que proprie non suppetunt facultates, cum largissimas expensas requirere videantur, deposcat piorum subsidiis adiuuari, vniuersitatem uestram monemus in domino et rogamus, uobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus eidem ecclesie pias studeatis elemosinas erogare, ut per has et alia, que domino feceritis inspirante, ad eternorum gaudia peruenire possitis. Nos etenim de omnipotentis confisi clemencia omnibus eius benefactoribus vere penitentibus et confessis XL dies de iniuncta sibi penitentia relaxamus. Data aput Augustam, anno domini M°. CC°. XXX°. octavo, VIII. kalendas Junii, indictione XI[a]., episcopatus nostri anno quarto.

Sigillum Landolfi episcopi laesum appendet.

CCLVI.

Circa annum 1238., post 25. Maii.

Capitulum maioris ecclesie herbipolensis promulgat, quantas unusquisque qui pro canonizationis negotio s. Brunonis quondam herbipolensis episcopi et aedificiis ecclesiae reparandis de suis facultatibus elemosinas erogaverit, indulgentias consequatur.

Uenerabilibus dominis et in Christo dilectis abbatibus, prepositis, decanis, prioribus aliisque ecclesiarum rectoribus O. prepositus, A.

decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis cum orationibus sinceram in domino caritatem. Cum uia salutis omnibus ad patrem misericordie redire desiderantibus sit apta, nos, qui inter huius mundi deuia et anfractus et tamquam in stadio currimus, laboremus, ut brauium contingamus, ad noticiam itaque omnium Christi fidelium per presens scriptum uolumus peruenire, quantas unusquisque homo christianus, qui pro canonizacionis negocio sancti Brvnonis quondam herbipolensis episcopi et edificiis ecclesie reparandis de suis facultatibus elemosinas erogauerit, indulgencias consequatur. Dominus enim archiepiscopus moguntinus metropolitanus noster XL dies criminalium iniuncte penitentie cum svis suffraganeis, quorum quilibet totidem dies peccaminum criminalium iniuncte penitentie, predicti negotii subuentoribus indulserunt. Datas uero indulgentias uobis presentibus declaramus. Dominus noster episcopus herbipolensis relaxat omnibus benefactoribus negocii memorati XL dies criminalium iniuncte penitentie et annum uenialium; peccata oblita, vota fracta, si ad ea redierint, offensas patrum et matrum sine sanguinis effusione penitentibus VIII dies carrene, et annum penitencialem, mulieribus autem, que omnem diligentiam adhibuerunt pueris baptizatis dimidiam carrenam et annum penitentialem; mulieribus quoque, que non baptizatos aput se pueros inuenerunt VIII dies carrene et annum penitentialem relaxat. Et honorabiles domini nostri episcopi, dominus wormaciensis dies XL, dominus spirensis dies XL, dominus eistetensis dies XL, dominus nuvvenburgensis dies XL, dominus merseburgensis dies XL, dominus hildesheimensis dies XL, dominus halberstatensis dies XL criminalium indulserunt. Has eciam indulgencias a suis suffraganeis datas uel dandas idem dominus archiepiscopus moguntinus, metropolitanus noster, ad maioris mercedis cumulum svo patrocinio roborauit.

Sigillum capituli maioris ecclesiae appendet.

CCLVII.

Anno 1239., 24 Junii.

Otto comes de Botenlovben de pecunia, in qua ecclesia herbipolensis sibi est obligata pro emptione castri Botenlouben, donat ducentas marcas argenti episcopo et capitulo herbipolensi ad peragendos dies anniversarii sui et uxoris suae.

I. n. d. a. Ego comes Otto dictus de Botenlovben notum facio omnibus presentis pagine inspectoribus, quod ob reuerenciam Jhesu Christi et bonorum sanctorum martirum Kyliani et sociorum eius, necnon pro salute anime mee et uxoris mee Beatricis de pecunia, in qua dominus meus episcopus et ecclesia herbipolensis mihi sunt obligati pro emptione castri Botenlouben, et quorundam bonorum et uillarum, sicut in priuilegio super uendicione castri plenius continetur, uidelicet de mille ducentis marcis argenti ex consensu predicte uxoris mee Beatricis do, lego atque dono ducentas marcas argenti, centum domino meo episcopo et centum capitulo herbipolensi, ut post mortem meam et uxoris mee predicte dies anniuersarii mei et uxoris mee similiter dies anniuersarii singulis annis habeatur cum tali sollempnitate, que dominis episcopis premortuis et aliis quibuslibet nobilibus premortuis inpendi ab ipsis canonicis est consuetum. Statuo etiam, ut quicumque decesserit primo ex nobis, statim centum marce argenti domino meo episcopo et ecclesie diuidantur, et post mortem superstitis relique centum marce similiter diuidantur. Residuum uero debitum uidelicet mille marcas argenti de uoluntate uxoris mee Beatricis cenobio sanctimonialium, quod uocatur Nouella sancte Marie, quod meis sumptibus ob honorum dei et gloriam inchoaui, do, lego atque trado assensu domini mei Hermanni episcopi herbipolensis et capituli super hoc requisito, saluo tractatu inter dominum meum episcopum et ecclesiam herbipolensem et me super terminis solucionis pecunie habito pro emptione castri predicti Botenlovben et bonorum aliorum, sicut in priuilegio super eo confirmato plenius uidetur contineri. Et ut omnibus hec patefiant et domino meo episcopo et capitulo necnon cenobio predicto Nouelle sancte Marie hec ordinatio nostra inuiolabiliter obseruetur, presens scriptum sigillorum munimine, uidelicet domini mei episcopi, capituli, proprii et vxoris mee domine Beatricis feci corroborari. Actum anno domini M. CC. XXX. nono, die sancti Johannis Baptiste, episcopatus domini Hermanni herbipolensis episcopi anno XIIII.

Quatuor sigilla appendent. Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 384 Nr. XXXVIII, et in Bechstein Geschichte und Gedichte p. 144. Nr. 22.

CCLVIII.

Anno 1239., mense Junii, apud Nurenberg.

Hermannus herbipolensis episcopus ad preces Burchardi de Witansdorf et filii eius Burchardi decimam in Geriut, quam ipsi ab ecclesia herbipolensi in feodo possederant, sed sibi resignaverant, fratribus hospitalis sanctae Mariae domus Theutonicorum in proprietatem dat, ac in restaurum a dictis Burchardis bona eorum in Stadelen recipit, quae in feodum iisdem reddit.

I. n. d. a. Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod Burchardus de Witansdorf junior, decimam in Geriut, quam ipse et Burchardus de Witansdorf, pater suus, ab ecclesia nostra in feodo possidebant, suo et patris sui nomine in nostris manibus resignauit pro se et patre suo supplicans, ut ipsam decimam fratribus hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum dare in proprietatem dignaremur. Cuius precibus inclinati, predictam decimam in Geriut de consensu capituli nostri fratribus dicte domus integraliter damus, tradimus, ac donamus in proprietate perpetuo possidendam. Sepedicti eciam B. de Witansdorf manu coadunata vxoris sue . . . . et Burchardus filius suus bona proprietatis eorum in Stadelen, annis singulis valencia XXVI sumerinos frumenti et amplius, vt ecclesia nostra in hac parte indempnis maneat, de consensu venerabilis domini Friderici episcopi eistetensis, cuius ministeriales dicuntur, qui suas patentes literas destinauit nobis de ratihabicione, nostre dederunt ecclesie in restaurum, proprietatis nomine possidenda, et ipsa bona loco predicte decima nomine feodi a nostra ecclesia possidebunt. Et ut hec omnibus patefiant, presens scriptum dicte domui dedimus, sigilli nostri munimine roboratum. Testes: Gerhardus abbas sancti Jacobi Scotorum in Wirceburg, magister Waltherus de Tannenberg, Albertus de Grindelach, Cunradus de Engersberge, canonici herbipolenses, Warmundus de Erlah, Heinricus dapifer,

Johannes pincerna, Rudegerus de Crutheim et alii quam plures. Isti etiam canonici fuerunt presentes, ubi bona in Stadelen fuerunt in proprietatem ecclesiae nostre data, videlicet: Gotefridus de Swegern decanus, Engelhardus de Lobenhusen, Albertus de Grindelah, Marquardus de Castele, Cunradus de Engersberge et alii plures canonici herbipolenses. Acta anno domini M°. CC°. XXXVIIII°., in mense Junii, anno episcopatus nostri XIIII., indictione XII^a., aput Nurenberg.

Sigillum Hermanni episcopi appendet.

CCLIX.

Anno 1240., 1. Januarii, Herbipoli.

Hermanni herbipolensis episcopi mandatum ad universos abbates, praepositos, decanos, vicarios ceterosque ecclesiarum rectores herbipolensis diocesis de negotio subveniendi ecclesiae herbipolensi pro edificiis destructis reparandis.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus vniuersis abbatibus, prepositis, decanis, vicarijs ceterisque ecclesiarum rectoribus herbipolensis diocesis, ad quos peruenerit presens scriptum, salutem in eo, qui nos lauit sanguine suo. Cum omnibus ecclesiis nobis a deo commissis nostrum ex debito teneamur consilium et auxilium impertiri, illi nimirum herbipolensi ecclesie, que fundata est in honore beatissimi martyris Kilianj et sociorum ejus, prouidere tenemur et pro edificiis eius lacrimabiliter destructis in melius reparandis, sollicitudo nobis specialis incumbit. Ea propter dilectissimi nobis in Christo, quos diuina potentia sub baculo nostre ditionis esse uoluit, attentissime uos rogamus et sub anathemate diuini iudicii ac in uirtute sancte obedientie districte precipimus, quantum unusquisque uestrum omnes parochiales uestros in confessionibus et in publico amoneatis, ut quilibet pro posse suo in tam euidenti necessitate iam

dicte ecclesie subuenire non recuset. Hoc scientes, quod de fidelitate ac deuocione, quam erga nos et ecclesiam nostram hucusque habuisse, et adhuc habere uos credimus, in hoc certum capiemus experimentum. Uolumus autem et precipimus, vt in testamentis omnium morientium uestrorum primo et precipue mater nostra herbipolensis ecclesia uisitetur et nominetur. Unusquisque eciam uestrum in ecclesiis uestris duos de parochialibus uestris ydoneos horum beneficiorum collectores instituat, qui beneficia collata fideliter recipientes ac integre et sine diminutione aliqua ad diem uel horam, quam lator presentium uobis assignauerit, si uos in propriis personis non potueritis interesse, ad manus decanorum uestrorum reportent et latori presentium reddere non omittant. Si quis autem huic mandato nostro rebellis aut contumax extiterit, ex ipso facto se nouerit suspensum a diuinis. Insuper coram nobis uel iudicibus, super hoc negotio a nobis statutis compareat, termino sibi per latorem presentium constituto, condignam penam de sua pertinatia recepturus. Uobis eciam decanis mandantes precipimus, quatinus istud negotium per quatuor ebdomadas singulis diebus dominicis et festiuis ad effectum perduci faciatis. Illos uero, qui istud negotium exemplo, uerbo et opere minus diligenter, quam debuerint, fuerint executi, auctoritate nostra animaduersione debita puniatis. Si quis uero decanorum huic mandato obuiare presumpserit, quod absit, quod nec credere possumus, precipimus, ut coram nobis uel iudicibus a nobis super hoc statutis, ad diem uel horam, quam lator presentium sibi assignauerit, conpareat, de tali et tanta inobedientia responsurus. Ipsos uero nuntios ac negotium sub beati Kiliani et nostra protectione suscipimus, excomunicationis uinculo innodantes, qui eos uel negotium impedire presumpserint, aut in aliquo molestare. Et si uideritis eosdem, quod deus auertat, ab aliquibus molestari, uos forti manu et brachio potentie ad eorum liberationem, tamquam ad nostram uelociter festinetis, ita pro ipsis et cum ipsis in sepedicti negotii promotione facientes, ut per hoc et alia misericordie opera, que domino inspirante feceritis, non iudicium, sed misericordiam consequi ualeatis. Statuimus eciam, ut si alique ecclesie a nobis uel a subditis nostris fuerint interdicte, quam diu negotium istud fuerit ibi promouendum,

excomunicatis nominatim exclusis, diuina ibi officia celebrentur, et uerbum exhortationis ad populum proponatur. Nos igitur de omnipotentis dei misericordia beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, ac preciosissimi martyris Kiliani meritis et auctoritate confisi, omnibus corde contritis et ore confessis, qui eidem ecclesie manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies criminalium iniuncte penitentie et annum uenialium, peccata oblita, vota fracta, si ad ea redierint, offensiones patrum et matrum sine effusione sanguinis, penitentias oblitas et male factas, transgressiones fidei et iuramentorum absque capitalibus penitentibus octo dies carrene et unum annum penitentialem, mulieribus autem, que omnem diligentiam adhibuerint pueris baptizatis, dimidiam carrenam et annum penitentialem, ita ut dimidiam carrenam ante natiuitatem domini studeant in domo propria ieiunare, mulieribus quoque, que non baptizatos apud se pueros inuenerunt, octo dies carrene et unum annum penitentialem misericorditer relaxamus. Uenerabilis eciam pater ac dominus noster archiepiscopus moguntinus dies quadraginta. Et honorabiles fratres ac domini episcopi, dominus wormaciensis episcopus dies XL, dominus spirensis dies XL, dominus eistetensis dies XL, dominus nuwenburgensis dies XL, dominus merseburgensis dies XL, dominus hildesheimensis dies XL, dominus halberstatensis dies XL, omnibus predicte fabrice benefactoribus uere penitentibus et confessis de iniunctis sibi penitentiis relaxandos misericorditer decreuerunt. Et inde uos ecclesiarum sacerdotes testes esse uolumus et responsores. Vobis autem sacerdotibus in hoc negotio fideliter laborantibus, quicquid ex torpore seu negligentia uel obliuione, in diuino officio uel seruicio, in missis et horis canonicis nocturnis siue diurnis omisistis, misericorditer condonamus. Ceterum, si qui ex rapina siue furto uel usura, uel quoquo modo res male acquisitas penes se scienter retinuerint et inde pro posse suo deo satisfacere proposuerint, si forte res illas, quibus restituere debeant ignorauerint, et ad reedificationem sepedicte ecclesie iuxta consilium sacerdotum suorum res supradictas pia intentione contulerint, illos decreuimus auctoritate beati Kiliani et nostra super hoc penitus absolutos. Statuimus eciam, et in uirtute sancte obedientie districte precipimus,

ut quilibet sacerdos tam secularis, quam regularis in nostra diocesi constitutus, singulis septimanis celebret duas missas, vnam pro salute uiuorum, et aliam pro requie defunctorum, et omnibus diebus dominicis post „Credo in unum", flexis genibus conpulsatis campanis dicat hos psalmos: „Ad te leuaui oculos" et „De profundis", cum duabus collectis „Deus, qui caritatis dona" et „Fidelium deus omnium" tam pro uiuis quam pro defunctis, pro quibus elemosine ad reparationem sepedicte matricis ecclesie, caritate debita transmittentur. Dedimus eciam latoribus presentium per totam diocesin nostram plenitudinem potestatis, ut quoscunque laicos siue clericos elemosinarum ecclesie nostre subtractores siue detentores inuenerint, eosdem excomunicandi ac suspendendi a diuinis, quousque deo et ecclesie nostre coram nobis uel iudicibus nostris de tanta presumptione satisfactum fuerit competenter. Hec littera ualeat ad annum. Datum Herbipoli, anno domini MCCXL., kalendis Januarii, indictione XIII., episcopatus nostri anno quinto decimo.

Appendent sigilla Hermanni episcopi et capituli maioris ecclesiae fracta.

CCLX.

Anno 1240., 2. Januarii.

Swiggerus de Oberbach, qui Hermanno episcopo herbipolensi medietatem castri Bibelried cum bonis ac hominibus attinentibus vendiderat, quorum proventus Hedewigis matrona de Bibelried temporibus vitae suae percipere debebat, eidem episcopo ad dies vitae dictae matronae villam Gozbrehteswinden et advocatias villarum Razenwinden, Wizelsdorf, Rumolsdorf, Windischsneitbach et Clafheim assignat.

I. n. d. a. Nouerint vniuersi, quod cum venerabilis dominus Hermannus episcopus herbipolensis a Swiggero de Oberbah

medietatem castri Bibelried, bonorum ac hominum attinentium, pro CCC libris hallensium comparasset, statim suis usibus profutura, quod fieri non potuit, cum Hedewigis matrona de Bibelried, socrus sua, prouentus ex donatione Swigeri percipere deberet temporibus vite sue, nisi voluntarie cederet ab eisdem. dictus Swigerus nominata bona: medietatem castri Bibelried cum bonis et hominibus attinentibus memorato domino episcopo et ecclesie herbipolensi in proprietatem dedit, renuntians eis manu et calamo, sicut in venditionibus est conswetum, et fide data in manibus domini episcopi promittens eidem domino episcopo et ecclesie de ipsis bonis warandiam debitam post mortem matrone predicte exhibere, villam Gozbrehteswinden, quam ab ecclesia possidet in feodo, et advocatias villarum Razenwinden, Wizelsdorf, Rumolsdorf, Windischsneitbach et Clafheim domino episcopo et ecclesie assignavit, et in manibus Hermanni decani novi monasterii, Alberti cellerarii, magistri Waltheri de Tannenberg, Alberti de Grindelah, Gotefridi de Bastheim canonicorum maioris ecclesie, Walperti Torsonis, Richalmi Haconis et Eckehardi filii dapiferi tradidit, ut medio tempore uiuente matrona annis singulis XXX libras hallensium dominus episcopus recipiat ab eisdem loco prouentuum premissorum, et ut respectum habeat ad ea de warandia debita exhibenda. Et cum matrona fatis cesserit, proventus predicti ad episcopum et ecclesiam reuertentur et villa et aduocatia, quantum ad solucionem XXX librarum hallensium erunt Swigero libere et solute, eo saluo, quod dominus episcopus et ecclesia respectum ad ea habeant de warandia exhibenda. Promisit etiam Swigerus pro Eberhardo filio suo, qui infra annos discretionis positus est, ut idem vendicionem huiusmodi ratam habeat et renunciacionem faciat, sicut pater. Et ut contractus huiusmodi omnibus elucescat, presens pagina inde scripta sigillis domini episcopi et predicti Swigeri fuit in testimonium communita. Testes: Ruggerus de Lellevelt, Siboto de Engersheim sororius Swigeri et Heinricus ammanus eius, Heinricus de Rabensbvrg scultetus, Eckehardus Pullus, Walterus de Sulze, Warmundus de Erlah, Cunradus Torso, Richalmus Berngeri, Engelhart Tacprot, Wortwinus trans Mogum, Fride-

ricus de Crentse. Acta sunt hec anno domini M°· CC°· XL°·, IIII. Nonas Januarii, indictione XIII^{a}·, episcopatus domini Hermanni episcopi anno XV.

Appendent duo sigilla: 1) Hermanni episcopi et 2) „Sviggeri in Obirnbahc".

CCLXI.

Anno 1240., 11. Januarii, apud Schalkelingen.

Heinricus marchio de Burgowe annuente uxore sua Adelheide et filiis suis Ulrico et Heinrico, singulis herbipolensis ecclesiae episcopis pro feodo offert praedium suum liberum in villa Kezze.

I. n. p. e. f. e. sp. s. Heinricus dei gratia marchio de Burgowe vniversis presentem paginam inspecturis geste rei noticiam. Sicut cum dilectissimo domino nostro venerabili herbipolensis ęcclesię episcopo Hermanno condiximus et fide data promisimus tam nos quam legitima consors nostra Adelhaidis, seu etiam filii nostri, V̊lricus videlicet et Heinricus, dicto ępiscopo et omnibus successoribus suis de libero predio nostro in villa Kezze ad sex marchas libera tradicione tradidimus id ipsumque predium tam nos quam dicti filii nostri a singulis dictę ecclesię ępiscopis pro feodo et iure feodali in perpetuum debebimus possidere. Huius rei et tradicionis testes sunt V̊lricus iuuenis marchio, Ludewicus Prugel, Albertus de Burgowe, C̊vnradus de Haldvn, Heinricus de M̊vtingen, Heinricus de Ringingen, Berhtoldus de Mvtelstat, Berhtoldus Chimo et seruus episcopi et ęcclesię Albertus de Ohsenfurt, qui eisdem placitis ex iussu episcopi affuit et totum factum pro comodo ęcclesię exequebatur. Vt autem hec tradicio firma et inconvulsa in perpetuum permaneat presens scriptum sigilli nostri mvnimine duximus roborandum. Datum apud Schalkelingen anno dominice incarnationis M°· CC°· XL., indictione XII., III°· Idus Januarii, concurrente VI°·, anno solari VI°·

Sigillum Heinrici marchionis de Burgowe appendet.
Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 386, Nr. XXXIX.

CCLXII.

Anno 1240., 28. Januarii.

Cunradus pincerna de Clingenburc et uxor sua Kunegundis consensu filiorum et filiarum suarum Sifridum filium Engelrici de Kennenkeim beato Kiliano ad marscalci officium deputant, ipsumque a iure proprietatis et servitutis, in quo ad se fuit devolutus, liberaliter eximunt.

„Testes huius donationis sunt: Fridericus cantor, Arnoldus custos, Heinricus de Stubewege, Eberhardus de Maspach. Bertoldus de Sterenberc, Johannes de Rotense, canonici maioris ecclesie, Lvitfridus subcustos. Item milites: Bertoldus de Alenuelt, Bertrammus de Blechenbach, Fridericus de Crense, Walpertus Torso, Heinricus Quabelo, Cunradus de Cunlenberc, Bertoldus Flor, Bertoldus Hartfust, Sifridus de Hochusen, Sifridus Rufus, Rudegerus scultetus. Item filii militum: Sifridus iunior de Hochhusen, Bertoldus iunior Flor, Sifridus filius Rufi, Engelricus de Kennenkeim, Cunradus de Vechenbach, Heinricus Cupherlin. Item ciues herbipolenses: Albertus de Maspach, Cunradus Mulhart, Wortwinus de Rotenburc, Hiltebrandus filius Otnandi, Gerhardus Paruus, Eckehardus de Suarzaha, Heinricus Senfteleben, Hartliebus Rûtel, Herdegen de Smalekalden, Volkmarus de Dornberc, Heinricus filius Ottonis, Eberhardus Sueuus, Arnoldus Colinus et alii quam plures. Actum anno incarnationis domini M°. CC°. XL°., V. kalendas Februarii, indictione XIII[a]., regnante gloriosissimo imperatore Romanorum Friderico, venerabili Hermanno herbipolensium episcopo existente."

Appendent duo sigilla: 1) capituli maioris ecclesiae herbipolensis, 2) „Cvnradi pincerne de Clingenbvrc."

CCLXIII.

Anno 1240., 7. Februarii.

Tractatus inter Hermannum episcopum herbipolensem et Cunradum de Smidevelt super proprietate Richolfi de Ried eiusque feodo castrensi in castro Ried.

I. n d. a. Cum de proprietate Richolfi de Ried et feodo suo castrensi in castro Ried inter venerabilem dominum Hermannum episcopum herbipolensem et Cunradum de Smideuelt haberetur tractatus, eidem tractatui fuit inpositus talis finis. Duas areas in Ried, quas Richolfus tenuit in castrensi feodo, Cunradus de Smidevelt et heredes sui nomine castrensi feodi ab episcopo possidebunt. Alia cedent domino episcopo et ecclesie; ante castrum etiam in suburbio vicino castro, quod dominus episcopus ampliabit aut restringet pro suo libitu, Cunradus habebit duas areas tantum in castrensi feodo et heredes sui, reliquas areas dominus episcopus possidebit. Nullum etiam potenciorem uel diciorem Cunrado, eo inuito, dominus episcopus in castro locabit. Quecumque etiam de proprietate Richolfi extra castrum vel extra suburbium predictum sunt, siue prata sive orti, seu etiam mansi, inter dominvm episcopum et Cunradum equaliter diuidentur, quorum medietatem episcopus liberam retinebit; aliam autem medietatem Cunradus et heredes sui nomine iusti feodi ab episcopo et ecclesia possidebunt, alia autem, que nuzzungen dicuntur, cedent pro indiuiso communiter et domino episcopo et Cunrado. Huius itaque contractus forma, ut omnibus elucescat, conscripta sigillis predictorum domini Hermanni episcopi et memorati Cunradi fuit firmiter communita. Testes: Cunradus abbas sancti Burchardi, Gothefridus decanus maioris ecclesie, Hermannus decanus noui monasterii, Engelhardus de Lobenhusen, magister Walterus de Tannenberc, canonici herbipolenses. Otto comes de Botenlovben, Richolfus de Ried, Wolframus de Zabelstein, Marquardus Horphanus, Cunradus Sichelinc, Wolframus de Witolshusen, Volkerus de Bernroth, Theodericus de Rugeheim, Scachanus, Johannes pincerna et alii. Data anno domini M°. CC°. XL^{mo}., VII. Idus Februarii, indictione XIII^{a}., episcopatus domini Hermanni episcopi anno XV.

Appendent duo sigilla 1) Hermanni episcopi laesum, 2) „Cvnradi de Smidevelt“.

Editum in Bechstein Geschichte und Gedichte p. 145, Nr. 23.

CCLXIV.

Anno 1240., 8. Maii, apud Herbipolim.

Concordia inter Hermannum herbipolensem episcopum et comitem Bopponem de Hennenberc ac filios suos Henricum et Hermannum.

I. n. d. a. Henricus dei gratia Thuringie lantgrauius, Saxonie comes palatinus, frater Cunradus hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum in Jerusalem minister humilis, frater Henricus de Hohenloch uices eiusdem per Alemanniam gerens et Gotefridus de Hohenloch uniuersis Christi fidelibus in perpetuum. Cum super uariis litibus et discordiis diuturnis habitis inter uenerabilem dominvm Hermannum herbipolensem episcopum et suos ex parte una, et nobilem uirum comitem Bopponem de Hennenberc et filios suos Henricum et Hermannum ac suos ex parte altera fide data in nos esset compromissum a partibus, auctoritate regia nichilominus accedente super predictis litibus et discordiis sopiendis, nos sufficienter auditis hinc inde partibus et etiam intellectis statuimus et ordinauimus formam subscriptam et omnes articulos precipientes firmiter obseruari. Comes restituet Th. de Hovstrŏwe feudum et omnia, que de manibus suis dinoscitur habuisse; comes gaudebit possessione decime in Kunishoven, super qua Thimo de Vrheim gwerram sibi mouit, et siue idem Thimo vel quicumque super eadem decima in iudicio voluerit experiri cum comite, ipse vbi debuerit, iusticiam exhibebit. Albertus de Northeim super bonis Richenbach non mouebit gwerram comiti, sed ius suum, si uolet, in iudicio prosequetur. Albertus de Hergoldishusen super quatuor talentis, Henricus dictus Sturmere super quatuor talentis feodi, super quibus comitem inpetunt, [gwerram] eidem non mouebunt, set comes in forma iudicii eis iusticiam exhibebit. Wolframus de Lullebah Lamberto de sua querela secundvm iusticiam respondebit. Super bonis, que Volkerus dapifer de Salzberc et filius fratris sui a comite actenus in feodo tenuerunt, queque dominus episcopus possidet, tam comiti quam Volkero et filio fratris sui episcopus ad iusticiam respondebit. Comes quiete tenebit castrum Steina, quoniam episcopus ad petitionem nostram renunciavit actioni, qvam habebat contra comitem super ea. Episcopus tenebit indaginem siue forestam in Lure pacifice et quiete. Item de novalibus, que uulgariter rode appellantur, et de decimis, que et quas comes nunc possidet in Steina vel prope Steina, de quibus episcopus eum inpetit, comes corporaliter iuramento prestito, in toto vel in parte, prout sibi placuerit, et quantum salua conscientia ausus fuerit, obtinebit. Reliquum autem, quod comes iura-

mento noluerit obtinere vel salva conscientia non audebit, episcopus pacifice possidebit. Si autem comes legitimum inpedimentum habuerit, quo minus hoc facere possit, idem faciet unus filiorum suorum. Hoc autem fiet ante festum sancti Johannis Baptiste vel in ipso die coram episcopo vel suis certis nuntiis inter Lure et Munrichistat, omni dolo et fraude exclusis. Quocumque autem die de parte comitis fuerit intimatum Ludewico de Northeim, ab eo die ad dies octo recipietur et prestabitur hoc iuramentum. Preter premissa omnia, que tractata sunt in Swinfurte et promissa de nemoribus, siluis, agris, cultis vel incultis, siue in separationibus vel distinctionibus, que vulgo schidunge appellantur, et de aliis, in quibus dominus episcopus sibi dicit comitem iniuriari et e conuerso sicut ibi dictum et tractatvm est, seruabuntur et terminabuntur, cessantibus dolo et fraude, ante festum sancti Jacobi proximo nunc venturum eo die, quemcumque episcopus comiti ad quatuordecim dies duxerit prefigendvm. Feodum, quod habuit comes Henricus de Rienecke bone memorie, et quod concesserat Wolframo de Lullebach et Burchardo de Nůtelingin dominus episcopus ad petitionem nostram comiti et filiis suis concedet eo iure, sicut habuit idem comes de Rienecke, excepta villa Holderche et decima ipsius uille, quam sibi dominus episcopus de ordinatione nostra et consensu comitis reservavit et episcopus loco eiusdem uille et decime concedet comiti ad estimationem predicte uille et hanc estimationem et assignationem facient dominus Otto de Meiningen et Ludewicus de Northeim pro parte episcopi, et Wolframus et Degeno pro parte comitis, sicut verbotenus est expressum, et decimam dicte uille comes suo redimet argento. Cacumen montis in Holdere, quod aptum est ad castrum faciendvm, comiti pro medietate episcopus concedet nec comes usum habebit de ipsa parte nec alicui concedet, nec episcopus partem suam, set usum rusticis uille dimittent quiete. Hoc factum est, ne mons ab aliquo ualeat edificari. Omnes captiui ab utraque parte tam episcopi quam comitis dimittentur absque mora, omnesque fideiussores dati utrinque debent esse liberi et absoluti. Dominus episcopus per gwerram non prestabit auxilium comiti Bertoldo de Rienecke canonico herbipolensi, contra comitem, nisi quod erit iudex equus utrisque, si eos amice non potuerit concordare. Henricus pincerna habebit gratiam comitis, ita quod inuicem sint boni amici et dampna hinc inde facta mutuo sint deleta. Quecumque dampna hominibus episcopalibus uasallis, ministerialibus vel burgensibus ab hominibus comitis sunt illata, super eis comes et sui ab omni inpeticione episcopi et suorum sunt omnimodis absoluti, ita quod episcopus suis dampna illata refundere teneatur, querelam ipsorum sopiendo secundum sue beneplacitum uoluntatis. Econuerso comes dampna suis illata tenebitur resarcire, quoniam homines episcopi sunt absoluti, prout superius est expressum. Si forsan homines episcopi vel homines comitis, uassalli, ministeriales, burgenses et alii pro quibus uterque respondere tenetur, noluerint

obseruare statuta compositionis, facientes dampna detinendo, auferendo vel pignorando partem alteram, dominus episcopus pro suis refundet omne dampnum, quod hominibus comitis irrogatur, et comes omne dampnvm, quod per suos episcopi hominibus inferetur, et ad illud dampnvm recuperandum, quod alteruter eorum alteri refuderit, uterque eorum alterum bona fide et totis uiribus, si forte homines eorum rebelles fuerint, adiuuabit. Dominus episcopus et sui erunt amici omnium hominum comitis et e conuerso comes et sui; vbi autem inimicitie sunt capitales, utpote ex homicidio, uulnere vel verbere attroci, episcopus et comes erunt boni mediatores concordie faciende. Si autem his fuerit super proprietatibus, hereditatibus vel feodis, concordia fiat inter eos amicabili conpositione vel iusticia mediante. Dominus episcopus dabit et dat plenitudinem gratie sue comiti et filiis suis et promouebit eos et iuuabit, vbicunque necesse habuerint, tamquam fideles suos. E conuerso comes et filii sui deuote et obsequiose seruient episcopo et ecclesie sue quandocumque fuerint requisiti, salua fide, quam prestiterunt abbati fuldensi. Si noue lites surrexerint vel iam sunt super proprietatibus, fevdis, hereditatibus vel bonis aliis, vel ex alia quacumque de causa, que dominus episcopus terminare a die monitionis infra mensem noluerit vel non potuerit in svo districtu, vel comes in suo, electi sunt ex parte episcopi dominus Burchardus de Eversberc, canonicus herbipolensis, Ludewicus de Northeim et Volkerus dapifer de Salzberc, et ex parte comitis Vlricus de Steinberc, Wolframus de Lullebach et Degeno de Munrichistat, quod predicta terminent moniti amicabiliter vel iusticia mediante. Quod si non potuerint, instituti sunt ex parte regis et electi sunt de consensu partium nobiles viri Albertus de Trinperc et Krafto de Krutheim, ita quod quibuscunque tribus premissis ipsi consentiant dictum et verbum eorum pro finali sententia teneatur. Et si aliquis predictorum noluerit vel non potuerit interesse, alter loco sui idoneus substituatur. Si autem suborta fuerit questio inter episcopum et comitem, quod predicta non fuerint obseruata, quem prefati nobiles viri iudicaverint reum, ille alteri parti penam infra scriptam solvere teneatur. Erit utique predicta concordia firma et rata quamdiu partes vixerint. Ad maiorem etiam securitatem promissa sunt hec a partibus data fide sicut superius est expressum. Et pena mille marcarum vallatum est arbitrium, quas pars non observans parti obseruanti ordinationem nostram soluere teneatur. Pro quibus mille marcis episcopus obligauit comiti opidum suum, quod dicitur Swarza cum suis attinentiis, versa vice comes Kizcech cum suis attinentiis pro mille marcis domino episcopo obligauit. Predicta pena pecuniaria et alia accessoria pretaxata a festo sancti Johannis Baptiste tantum ad quinquennium seruabuntur. Ad huius itaque rei perhennem memoriam, quia partes nostre ordinationi premisse herbipolensis ecclesie capituli accedente consensu unanimiter consenserunt, presentem litteram super his confectam domini episcopi eiusque capituli,

comitis prefati ac nostrorum sigillorum munimine fecimus roborari. Actum apud Herbipolim anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo, octavo Idus Maii, XIII^a. indictione.

Appendent septem sigilla: a) Heinrici landgravii, b) magistri hospitalis s. Mariae Theutonicorum, 3) capituli herbipolensis, d) Hermanni episcopi, e) Bopponis comitis de Hennenberc, f) praeceptoris Allemaniae, g) Gotefridi de Hohenloch.

Editum in Schoeppach Henneberg. Urkundenbuch I. Nr. 29; Gruneri opusc. II. 307 et Schoettgen et Kreysig dipl. II. 589.

CCLXV.

Anno 1240., mense Junio.

Gothfridus de Hohinloch domino Hermanno episcopo herbipolensi auxilium contra omnem hominem domino imperatore et suis filiis exceptis promittit.

I. n. d. a. Ego Gothfridus de Hohinloch, recognosco presentibus litteris et protestor, quod dominum meum Hermannum venerabilem herbipolensem episcopum et ecclesiam suam, in omnibus negotiis ipsorum, contra omnem hominem domino imperatore et suis filiis exceptis fideliter consiliis et auxiliis adiuuabo. Si autem, quod absit, inter dominum meum episcopum contra fratrem meum comitem Popponem, seu inter illos, quibus filios meos uel filias meas copulaui uel inante concedente domino copulabo, discordia surrexerit, ipsos mediante justicia uel amicabili compositione ad concordiam reuocabo. Et si forsan, quod non presumo, per dominum meum episcopum staret, quominus hoc fieret, non ero sibi debitor consilii uel auxilii contra ipsos. Interpositione vtique fidei me confiteor ligatum ad obseruantiam omnium premissorum, adiciens, ut si inter fratrem suum dominum Hartmannum, patrueles suos de Lobdeburc, uel nobilem uirum Mangoldum de Wiltperc et suos filios

ac me discordia suborta fuerit, dedi et do ei potestatem, me ac ipsos justicia mediante uel amicabili composicione ad concordiam reuocare. Huius rei testes sunt: frater Conradus uenerabilis magister domus Tevthonicorum, frater Heinricus de Hohinloch germanus meus, Th. prepositus de Hŏge, Bŏrchardus de Ebersberc, canonicus herbipolensis, Hermanus decanus noui monasterii et Eberhardus scolasticus ibidem, magister Conradus de Cloblochstorf, magister Johannes de Durlo, Johannes pincerna. Actum anno dominice incarnationis M°. CC°. Quadragesimo, mense Junio, tercie decime indictionis. Vt autem predictis obligationibus robur inuiolabile adiungatur, literas presentes domini Conradi Romanorum in regem electi sigillo ac meo dedi episcopo prefato in premissorum testimonium communitas, anno, mense prescriptis.

Sigilla quondam ex filis sericis appensa perierunt.

CCLXVI.

Anno 1240., 24. Novembris.

Hermannus herbipolensis episcopus agros sitos circa villam Schuhesbach, resignatos a Kunone milite de Bernheim Walthèro abbati et conventui in Hahelsbrunnen proprietatis nomine possidendos, bona autem a Kunone in restaurum data, domum videlicet et agros in Bernheim, vineas apud Bergele, hortum, domum et agros apud Offenheim, eidem militi nomine feodi tradit.

H. dei gratia herbipolensis episcopus omnibus huius pagine inspectoribus salutem in Christo Jhesu. Tenore presentium innotescimus vniuersis, quod nos accepta peticione dilectorum in Christo Waltheri abbatis et conuentus ecclesie in Hahelsbrunnen, quosdam agros sitos circa villam Schuhesbah, quos Kuno miles de Bernheim a manu nostra in feodo possidebat, qui eos in

nostris manibus resignauit, predicte ecclesie in **Hahelsbrunnen** dedimus proprietatis nomine perpetuo possidendos, super hac donacione nostra memorate ecclesie, nec alicui de hoc dubietas oriatur, presentes literas in testimonium concedentes. Idem etiam miles, ut nobis et ecclesie nostre caueretur, in restaurum predictorum agrorum, quedam bona proprietatis sue, videlicet domum in villa Bernheim et agros ad XL denarios, duo jugera vinearum aput Bergele, ortum, domum et agros aput Offenheim ad IIII vncias nobis et ecclesie nostre in proprietatem tradidit coram testibus infrascriptis, que loco agrorum premissorum a nobis in feodo possidebit. Testes: Fridericus de Grindelah, canonicus herbipolensis, magister Eberhardus scolasticus, et Wernherus canonici noui monasterii, Ludewicus de Ruhenecke, Rudolfus de Hoheuelt, Heinricus de Hittenheim, Gernodus houescults et Marquardus Orphanus camerarius et alii quam plures. Actum anno domini M°. CC°. XL^{mo}, indictionis XIIIIe., VIII kalendas Decembris, episcopatus nostri anno sexto decimo.

Sigillum Hermanni episcopi laesum appendet.

CCLXVII.

Anno 1241., 15. Aprilis, apud Herbipolim.

Hermannus herbipolensis episcopus honestis matronis Jutae de Sleheried et aliae Jutae, uxori Elgasti, consanguineis, quae unacum Irmengardi, uxore Volgeri de Bernrode, Juta uxore Reinhardi de Grumbach, Petrissa uxore Hartmudi de Werna et Juta puella, Gotefrido et Heinrico pueris suis ac amicis aliis praesentiam suam accesserant, et recognoveraut, quod nomine ministerialium ecclesiae suae attineant, ius ministerialium conservare promittit.

„Testes: Gotefridus decanus, Fridericus cantor, Burchardus de Ebersberg, maioris ecclesiae, Wernherus scriptor, novi monasterii,

Heinricus notarius de Onolsbach, canonici, Otto parrochianus de Wirceburg, Herbort, Haco, Rudeger trans Mogum, Fridericus de Witphelt, Ruggerus pincerne, Gotefridus Mitezze, Herolt Lewer, Wolfram de Witolshusin, Cunradus de Rode, Hartmudus et Berngerus fratres de Werna, Gerlach de Wisentuelt, Albertus de Hergolshusin, Volgerus de Bernrode, Theodericus de Swaneuelt et plures alii. Actum anno domini MCCXLI, XVII. kal. Maii, indictione XIIII., episcopatus nostri anno XVI., aput Herbipolim."

Appendent duo sigilla, episcopi et capituli.

CCLXVIII.

Anno 1241., 3. Julii.

Otto praepositus, Godefridus decanus totumque capitulum maioris ecclesiae herbipolensis septem iugera vinearum in Winterleiten et quatuor in Bleiseberch, quae Arnoldus b. m. decanus maioris ecclesiae a Walthero filio Billungi de Bleichvelt pro viginti marcis argenti emerat et pro animae suae remedio ecclesiae herbipolensi cum oblatione trium talentorum a dicto Walthero annuatim inde solvenda contradiderat, Cunrado filio Lúgelini eadem summa vendunt.

„Actum anno gratie M° CC. XLI°., indictione XIIIIa., V. nonas Julii. Testes: domini et canonici maioris ecclesie Godefridus decanus, Fridericus cantor, Albertus cellerarius, Theodericus portenarius, Engelhardus de Lobenhusen, Fridericus de Grindela, Albertus frater suus, Otto de Luterberch, Marcwardus de Castele, Boppo de Trintberch, Cvnradus de Thelheim, Heinricus Cremefere, Iringus de Hohenburch, Johannes de Rottelse, Manegoldus de Nvwenberc. Laici: Engelhardus Dachbroth, Godefridus magister coquine, Schiltvngus, Conradus de Alta domo, Heinricus de Stern, Heinricus de Bleichvelt, Cvnradus de Heidenheim, Fridericus Willemvt, Albertus

frater suus, Wolframus Roselin, Hirz monetarius, Engelhardus monetarius filius Eckehardi et alii quam plures."

Appendet sigillum maioris ecclesiae herbipolensis.

CCLXIX.

Anno 1242., 27. Augusti.

Hermannus herbipolensis episcopus nobili viro, comiti Ottoni de Botenloube et Beatrici coniugi suae pro curia, turri, et alio castrensi feodo in castro et circa castrum Botenlovbe, nec non pro bonis in Sconenowe, Brende, Wegefurthen, Wizenbrunnen, Wizbach, Frankenheim et Houstreu, tradit in restaurum theloneum lignorum apud Wirceburg, et vihezol ibidem, quatuor areas Johannis Aurifabri, unam mensam panis prope portam Calhardi et allodium apud villam Vzenheim.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus omnibus in perpetuum. Cum dilectus noster vir nobilis comes Otto de Botenlovbe, vna cum Beatrice coniuge sua uellet cedere curie, turri et alio castrensi feodo, quod in castro nostro, et circa castrum Botinlovbe, ad uitam suam debuerat possedisse, partem prouentuum bonorum, que in comparatione castri eiusdem et bonorum attinencium eis dederamus, sub forma, in instrumento desuper confecto, de prudentum consilio preconcepta, per concambium sub securitate locari a nobis humiliter postulauit. Cuius uota pensantes, cum in resignatione castrensis feodi nostrum commodum et utilitas ageretur, parte bonorum, que eis dederamus, recepta ab ipso comite et coniuge sua, videlicet bonis in Sconenowe, in Brende, in Wegefurthen et in Wizenbrunnen ad quadraginta quinque talenta, in Wizbach et in Frankenheim ad decem talenta, et in Houstreu ad quindecim talenta; restaurum ipsis in securis locis fecimus eorumdem, dantes eis theloneum lignorum apud Wirzeburg uidelicet tringinta duo talenta annis singulis, et ibidem aliud theloneum nostrum, quod vihezol dicitur, ad triginta talenta, preter denarios infeodatos in eodem; quatuor areas Johannis Aurifabri, que nunc sunt vna area siue vna domus, ad tria talenta minus quadraginta denariis; vnam mensam panis prope portam

Calhardi ad quinque solidos; apud uillam Vzenheim vnum allodium ad triginta modios siliginis, conputatos pro tribus talentis, et ad octo modios tritici, conputatos pro uno talento, et ad duodecim modios auene, conputatos pro uno talento, de nostri capituli consilio et fauore et concedentes, ut de iam datis eis bonis secundum quod facere debuerant de bonis, que ab eis recepimus et de aliis, que sine commutacione adhuc possident, in instrumento super hoc dato expressis, eorum compleant uoluntatem, secundum formam in ipso instrumento prehabitam et conceptam. Et ut hec omnibus elucescant, et dicto comiti Ottoni et memorate domine Beatrici coniugi sue inuiolabiliter obseruentur, personis etiam atque locis, quibus aliqua legacio facta est, siue facta fuerit per eos, in totali summa, uel in parte, in qua bona iam eis data et in prioribus litteris nondum commutata, prout prior forma continet, ipsis sunt annexa, ipsa legatio firma permaneat, presens scriptum super hoc dedimus, sigillis nostro, capituli nostri, ipsius comitis et domine Beatricis firmiter communitum. Testes: Johannes abbas de Bildehusin, Gotefridus maioris ecclesie, Hermannus noui monasterii decani, Fridericus cantor, Arnoldus custos, Fridericus de Grindelach, Theodericus de Appolde, Cvnradus de Luterberc, Heinricus de Stobwege, Otto de Halderungen canonici herbipolenses, Wernherus scriptor, Heinricus notarius, Warmundus de Erlah, Otto de Espenvelt, Otto Wolfskel, Cvnradus de Lynach et alii quam plures. Actum anno domini M. CC. XL. secundo, VI. kalendas Septembris, indictione XV., episcopatus nostri anno XVII.

Sigilla Hermanni episcopi, capituli maioris ecclesiae et comitis Ottonis supersunt laesa; sigillum Beatricis deperditum est.

Editum in Bechstein Geschichte und Gedichte p. 147. Nr. 25.

CCLXX.

Circa annum 1242.

Otto comes de Botinlouben unacum uxore sua Beatrice, vendito castro Botinlouben ecclesiae herbipolensi, ministeriales suos ad castrum praefatae ecclesiae donat.

I. n. d. a. Notum sit omnibus tam presentibus, quam futuri eui hominibus, quod nos Otto comes dictus de Botinlouben una cum uxore nostra

Beatrice castro nostro Botinlouben cum omnibus attinentiis ęcclesię herbipolensi uendito pro summa argenti, que in alio instrumento continetur, post aliquot annos, de libera uoluntate ministeriales nostros cum uxoribus et pueris, ad castrum unanimi consensu, pro salute animarum nostrarum ęcclesię prefate donauimus. Quorum nomina hec sunt: Cunradus de Holzhusen cum filio et filia, Fridericus de Rannungin cum uxore et duobus pueris, Albertus de Ettingishusin cum uxore et VI pueris, Henricus frater suus cum tribus pueris, Walkon cum VI pueris, Henricus de Natelingin cum duobus pueris, Marquardus cum duobus pueris, Helmboldus cum uxore et uno puero, vxor Henrici de Suntheim cum quatuor pueris. Vt autem donatio permaneat, sigillis nostris roboramus. Testes eciam huius rei sunt . . .

Appendent duo sigilla, quorum primum valde laesum est.

Editum in Bechstein Geschichte und Gedichte p. 148. Nr. 26.

CCLXXI.

Circa annum 1242.

Otto comes de Botinlouben, qui cum uxore sua Beatrice de pretio MCC marcarum venditi castri sui C marcas canonicis herbipolensibus deputaverat, de dicta summa domino episcopo alias centum marcas assignat, eidemque et canonicis possessiones suas in Arnishusen et in Stupfil, sicut et homines juris sui appropriat.

I. n. d. a. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod nos Otto comes dictus de Botinlouben una cum uxore nostra Beatrice castro nostro Botinlouben cum attinentiis uendito ęcclesię herbipolensi pro Mille CC^tis marcis, sicut in instrumento super hoc confecto plenius continetur, C marcas eiusdem pecunię deputauimus canonicis herbipolensibus, sicut in aliis litteris super hoc editis exprimitur euidenter. Nunc autem saluti nostrę uolentes prospicere plenius in futurum, ne quid post mortem nostram nobis obici ab emulis possit imposture, si forte dominus episcopus uel ęcclesia super bonis eisdem a nobis uenditis aliquid molestie patiantur, de dicta summa ducentarum marcarum, preter eas centum marcas, quas canonicis assignauimus, damus domino episcopo alias centum marcas; possessiones eciam nostras et

homines nostri juris, damus domino episcopo et ęcclesię jure proprietatis perpetuo possidendos. Nomina autem possessionum et redituum hec sunt. In Arnishusen tam in mansis quam in molendino ad IX talenta et curia ibidem ad III talenta: decima ad V talenta. Insuper sunt quatuor mansi et quatuor porci, partim burgenses et partim alii quidam habentes. In Stupfil decima ad III talenta. Nomina autem hominum hec sunt: Herbordus et soror sua, Cunradus Schepiler cum uxore et duobus pueris, Lutoldus et Mezza, Heroldus et Mezza cum tribus pueris, et duo fratres sui, et soror sua cum tribus pueris et altera soror cum uno puero, Hiltegardis cum uno puero, vxor Lutoldi vinitoris cum quatuor pueris, et soror sua. Heroldus Irsutus cum vxore et fratre suo, Otto Razzolf cum uno filio, Storkul et soror sua, Wolframus Rufus cum fratre suo, Wintherus et Mezza de Witiginhusen et Henricus Reize. Vt autem hec donatio firma sit, sigillo nostro communimus. Huius rei testes sunt . . .

Sigillum comitis Ottonis quondam appensum periit; ex sigillo Beatricis fragmentum superest.
Editum in Bechstein Geschichte und Gedichte etc. p. 149. Nr. 27.

CCLXXII.

Anno 1243., 4. Martii, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus castrum in monte Hennenberc super villam Nuttelingen erectum. et villas Winden et Richenbach cum ceteris ipsi castro attinentibus et a viro nobili Hermanno comite de Hennenberc ecclesiae herbipolensi in proprietatem datis, eidem comiti Hermanno heredibusque suis. ab eo directa linea descendentibus, sive sint masculi sive feminae, in feodum confert.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Infirmitatis humane memoria cum sit labilis et caduca, consueuit modernorum circumspectio facta temporum scripturarum testimonio roborare, ne a memoria excidant et cum tempore dilabantur. Hinc est, quod notum facimus huius pagine inspectoribus vniuersis, quod cum vir nobilis Hermannus comes de Hennenberc in monte dicto Hennenberc, sito super villam Nuttelingen, edificia in nostrum et ecclesie nostre preiudicium excessisset, et domino Cůnrado abbati fuldensi contra nos et nostram adhesisset ecclesiam, ac nos in ipsius abbatis seruiciis

grauiter lesisset, idem comes nostram cupiens recuperare graciam, cui cum reformauimus ipsum montem dictum Hennenberc et castrum in ipso erectum cum ducentis jugeribus vinearum adiacentium, siluis, agris, cultis et incultis, et villas Winden et Richenbach, ceterisque ipsi castro attinentibus pro optenta nostra gracia in proprietatem ecclesie nostre dedit, promittens, si villa Richenbach sua non sit propria, ad reconpensationem alia sua bona propria, tantumdem valentia,* nostre dare ecclesie in restaurum. Nos itaque idem castrum et bona attinentia eidem comiti concessimus in feodo et promisimus, quod suis heredibus ab eo directa linea descendentibus siue sint masculi siue femine ipsa bona in feodo conferemus. Si etiam dictus comes de eisdem bonis de castro videlicet et attinentiis legationem, que gedinge dicitur, facere voluerit alicui nobili terre nostre, ad hoc ei fauorem nostrum prestabimus, ita quod ad ipsam legationem nullus nobilis extraneus extra terram nostram residens ingeratur. Et ut hoc super hac donatione nulli sit dubium, presens scriptum sigillis nostro et ipsius comitis in testimonium iussimus communiri. Testes: Hermannus decanus, magister Eberhardus scolasticus noui monasterii, frater Heinricus et frater Andreas de Hoenloch, Albertus de Trinperc, Otto de Espenuelt, Otto Wolfeskeln, Fridericus de Crense, Johannes pincerna, Fridericus de Wiphelt, Marquardus camerarius, Vlricus de Buchele, Wolframus de Lullebach, Johannes de Ertal, Tegeno dapifer, Albertus Knurlin, Fridericus Stolz, Bertoldus de Buchelt scultetus, Eberhardus Winscade et alii plures. Actum Herbipoli M°. CC°. XLIII°, IIII. nonas Marcii, indictione prima, episcopatus nostri anno XVIII.

Sigillum Hermanni episcopi periit; illud Hermanni comitis appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.

Editum in Schultes Geschichte der Grafschaft Henneberg I. p. 169 et ex eo in Bechstein Geschichte und Gedichte p. 149 Nr. 28.

CCLXXIII.

Anno 1243., in mense Maii.

Hermannus herbipolensis episcopus, acceptis a Cunrado Sweigerario, sculteto curiae episcopalis, CL marcis argenti omnes, qui in foro civitatis herbipolensis res venales deferre sunt consueti, a forensibus denariis, marchphenninge dictis, et ad theloneum magnum spectantibus, reddit absolutos.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Ex iniuncti nobis officii dignitate astringimur nostrorum subiectorum fidelium commoditatibus prouidere, et piis eorum factis, in quibus honestas communis et commodum adaugetur, fauoris nostri gratiam et exoptatam beniuolentiam impertiri. Insinuatione igitur presentium ad noticiam transmittimus futurorum, quod Cůnradus miles dictus Sweigerarius, scultetus curie nostre, fauorem omnium clericorum et ciuium sibi et heredibus suis conquirere cupiens, ob remedium anime sue, et ad communem utilitatem ac commodum, tam clericorum quam laicorum, pauperum et diuitum, ac aliorum omnium, qui in foro ciuitatis nostre res uenales deferre sunt consueti, forenses denarios, qui marchphenninge dicuntur, spectantes ad theloneum nostrum magnum, de nostro et capituli nostri fauore et conniuentia commutauit, dando nobis centum et quinquaginta marcas argenti in restaurum, quas de capituli nostri consilio acceptauimus pro eisdem denariis atque omnes, qui dictos denarios soluere tenentur, de ipsis denariis reddimus in posterum absolutos. Et ut theloneum dictum, cui iidem forenses denarii cedebant, aut mensa nostra episcopalis defectum in hac parte pati aliquo umquam tempore uideantur, datam nobis pecuniam conuertemus in restaurum, ita quod ipsum theloneum et episcopalis mensa nostra successorumque nostrorum indempnis perpetuo remanebit. Et ut super huiusmodi pie intentionis sue facto et nostre renuntiationis processu memoria sit et successores nostros ad idem obseruandum firmius astringamus, presens

scriptum vniuersitati omnium nostrorum ciuium de uoluntate capituli nostri indulsimus, sigillis nostro et capituli nostri firmiter communitum. Testes: Otto prepositus, Godefridus decanus, Theigenardus scolasticus, Fridericus cantor, Arnoldus custos, Albertus de Zauelstein cellerarius, Fridericus de Grindelah archidiaconus, Markwardus de Castele prepositus in Onolsbach, Burchardus de Ebersberc, Theodericus de Apolde portenarius, totumque capitulum maioris ecclesie; Heinricus decanus, Heinricus Haco custos, Herbordus cantor, totumque capitulum ecclesie in Houge; Hermannus decanus, magister Eberardus scolasticus, Bertoldus de Katzbah custos, totumque capitulum noui monasterii; Hermannus Wolfoldus, Heinricus filius Bertoldi sculteti, Herbordus, Richalmus et Gotefridus Hacones, Fridericus de Crense, Johannes pincerna, Heinricus Wolfoldus, Marchwardus Orphanus camerarius, Ekehardus filius dapiferi, Heinricus filius pincerne, Richolfus filius pincerne, Heinricus Scotelin, Godeboldus et Iringus fratres Cressones, Fridericus Rufus, Cůnradus de Inferno, Rudegerus, Herbordus monetarii, Godefridus de Veteri curia, et omnis vniuersitas ciuium herbipolensium. Actum anno domini M°. CC°. quadragesimo tercio, in mense Maii, indictione I[a]., episcopatus nostri anno XVIII[a].

Appendent duo sigilla.

CCLXXIV.

Anno 1243., mense Maii.

Hermannus herbipolensis episcopus pro denariis forensibus cessis, ne theloneum magnum aut mensa episcopalis defectum aliquem pati videatur, XVI talenta herbipolensis monetae assignat in villa Dingoldishusen, quam a Schakano ministeriali suo comparaverat.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Insinuatione presentium ad noticiam ducimus futurorum, quod cum Cunradus

Swegerarius schultetus curie nostré fauorem tam clericorum quam ciuium herbipolensis ciuitatis sibi et suis heredibus conquirere cupiens ob remedium anime sue et ad communem vtilitatem et commodum pauperum ac diuitum ac aliorum omnium, qui in foro eiusdem ciuitatis nostre res uenales deferre sunt consueti, denarios forenses, qui marchtphenninge dicuntur, ad theloneum nostrum magnum spectantes, de nostro et capituli nostri consensu ac fauore commutavit, centum et quinquaginta marcas argenti dando nobis in restaurum, quod de capituli nostri consilio pro eisdem denariis acceptauimus, et ne theloneum idem aut mensa nostra episcopalis defectum aliquem in hac parte pati uideretur, datam nobis pecuniam convertimus in restaurum assignando pro denariis predictis, quorum summa XVI libras nostre monete uix attingebat, in villa nostra Dingoldishusen ad XVI talenta herbipolensis monete, quam villam a Schakano nostro ministeriali cum pecunia predicta et alia comparauimus. Et ne aliquis successorum nostrorum hoc factum valeat modo aliquo retractare, presentem litteram vniuersitati ciuium nostrorum de consensu nostri capituli indulsimus sigillis nostro et eiusdem capituli nostri firmiter communitam. Testes: Otto prepositus, Godefridus decanus, Thegenardus scolasticus, Fridericus cantor, Arnoldus custos, Albertus de Zauelstein cellerarius, Fridericus de Grindela, Marchwardus de Castele, prepositus onoldisbacensis, Burchardus de Ebersberch, Theodericus de Apolde portenarius totumque capitulum maioris ecclesie; Heinricus decanus, Heinricus Hako custos, Herbordus cantor totumque capitulum ecclesie sancti Johannis in Honge; Hermannus decanus, magister Eberardus scolasticus, Bertoldus de Katza custos, totumque capitulum noui monasterii; Hermannus Wolfoldus, Heinricus filius Bertoldi schulteti, Herbordus, Richalmus et Gothefridus fratres dicti Hakones, Fridericus de Crense, Heinricus pincerna, Heinricus Wolfolt, Marchwardus Orphanus camerarius, Ekehardus filius dapiferi, Heinricus filius pincerne, Richolfus filius pincerne, Heinricus Scotelin, Godeboldus et Iringus fratres dicti Cressones, Fridericus Rufus, Cunradus de Inferno, Rudengerus, Herbordus monetarii, Godefridus de Veteri curia et tota vniuersitas ciuium herbipolensium. Actum anno gratie M°. CC°.

XLo. tertio, mense Maii, indictionis prime, pontificatus nostri anno XVIIIo.

Appendent duo sigilla.

CCLXXV.

Anno 1243, in mense Augusto.

Hermannus herbipolensis episcopus renovat privilegium specialis protectionis ab episcopo Ottone, patruo suo, hominibus de Rimpure ob proprietates suas s. Kiliano olim oblatas concessum.

H. dei gratia herbipolensis episcopus .... Nouerint.. vniuersi huius pagine inspectores, quod dilecti nobis homines de Rimpure ad nostram accedentes presenciam priuilegium quoddam ab antecessore nostro memorie recolende episcopo Ottone, patruo nostro, eis indultum nobis obtulerunt, in quo ivs eorum, qualiter sub nostra et successorum nostrorum defensione protegi debeant, ostendentes a nobis humiliter supplicarunt, ut ipsos in jure eorum nostre protectionis et tutele presidio defendere curaremus, cuius priuilegii tenor per omnia talis erat: „I. n. s. e. i. t. Otto dei gratia herbipolensis episcopus ...“ (Vide supra Nr. CLXXXVI.) Nos itaque predictorum hominum precibus inclinati intuentes affectum, quem circa nos et nostram ecclesiam gerere uidebantur, eos, qui prestito iuramento nobis fidelitatem fecerunt, uidelicet homines ex proprietate nobis et ecclesie nostre attinentes et alios in ipsa uilla residenciam habentes, quorum progenitores proprietates suas nostre donauerunt ecclesie et resumpserunt pro annua pensione a nostra ecclesia possidendas, prout in eodem priuilegio est expressum ac alios quoslibet, qui in proprietatibus suis ibidem resident et nobis tamquam iudici terre seruire tenentur, quemlibet in suo iure et omnem posteritatem suam in nostram et ecclesie nostre protectionem suscepimus, uolentes eos per omnia confouere in optato defensionis subsidio et in eo, quod ipsos uel bona eorum ecclesie nostre data et pensionem ipsorum bonorum, que nobis singulis annis est soluenda, nullo alienationis

titulo faciemus a nostra ecclesia aliena ac in eo, quod nullus eis scultetus prefigatur, nisi quem inter se de uoluntate nostra et successorum nostrorum duxerint eligendum et in omnibus, que eorum respiciunt commodum pariter et profectum. Et ut hec omnibus elucescant et eis ac posteritati eorum hec premissa gratia a nobis et a successoribus nostris inuiolabiliter obseruetur, presens scriptum vniuersitati eorum indulsimus, sigillorum nostri et capituli nostri munimine roboratum. Testes: Hermannus decanus noui monasterii, Otto de Helderungen canonicus herbipolensis, frater Cv̊nradus de Buchelt commendator domus hospitalis sancti Johannis in Herbipoli, Vuarmundus de Erlach, Rudolfus de Hohenuelt, Otto de Espenvelt, Otto Volfeskeln, Heinricus et Theodericus fratres de Sturmer, Ebo de Crezzestat, Cv̊nradus de Vsleibe, Cvnradus de Linach, Liupoldus de Burcharderode, Herolt filius Volfmari, Albero Teteber, Cůnradus scultetus de Arnstein, Nicholaus magister coquine, Iringus Paruus, Syboto, Albero Crezo, Vualterus prepositus prope cimiterium, Rudegerus de Rieden, Rudeger centgrauius, Alexander, Reinherus, Berngerus, Cv̊nrat, Iringus filii Sluntpuch, Ludewicus Coler, Cv̊nrat filius Richeze, Poppo Herbeth, Cv̊nradns filius suus, Albero filius Hirzburgis et alij quam plures. Actum anno dominice M°. CC°. XL tercio, in mense Augusto, indictione I[a], episcopatus nostri anno XVIII°.

Sigilla Hermanni episcopi ac capituli maioris ecclesiae herbipolensis appendent.

CCLXXVI.

Anno 1243., 10. Septembris, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus viro nobili Alberto de Trimperc loco assignatarum ducentarum marcarum argenti confert bona ex morte nobilis viri Alberti de Rotenvels vacantia, medietatem videlicet advocatiae in Sluteren.

H. dei gracia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod nos intuentes obsequia, que dilectus noster Albertus de Trimperc vir nobilis nobis cum exercitu versus Fuldam ad vlciscendas

iniurias ecclesie nostre constitutis exhibuit et poterit exhibere, ad reconpensacionem dampnorum, que ibidem sustinuit, ducentas marcas argenti eidem assignauimus animo liberali, pro quibus bona, que ex morte viri nobilis Alberti de Rotenuels nobis vacare ceperunt, videlicet medietatem advocacie in Sluteren, eidem contulimus ab ecclesia nostra in feodo possidenda. Et ut hec omnibus clarescant presens scriptum ei dedimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum Herbipoli anno domini M°. CC°. XL tercio, IIII. idus Septembris, indictione. I[a]., episcopatus nostri anno XVIII.

Sigillum periit.
Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 390. Nr. 41.

CCLXXVII.

Anno 1243., mense Septembri.

Hermannus herbipolensis episcopus abbatissae Lukardi et conventui sanctimonialium de Valle sanctae crucis, monasterium suum in villam Marpurgehusen, quam a Sibotone de Ezelnhusen absolverat, transferre cupientibus medietatem eiusdem villae, acceptis ab iisdem ducentis marcis argenti, et reservatis sibi theloneo et bonis ab antiquo infeodatis, in proprietatem dat, ecclesiam ibidem a iure plebani exemtam ipsis assignans.

C. I. n. s. e. i. t. Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus omnibus in Christo fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in perpetuum . . . Nouerint . . tam future posteritatis, quam uite presentis homines, quod cum venerabilis abbatissa Lukardis et conuentus sanctimonialium cysterciensis ordinis de valle sancte crucis, consideratione iam diutina habita, quod locus, quem elegerant ad perpetuam mansionem, propter terre duriciam et eius infertilitatem tanto conuentui minus sufficere posset, licet in ea exstirpanda et excolenda essent satis pro uiribus fatigate, accedentes ad nos humiliter supplicarunt, ut eis paternali super hoc prouidentia consulere dignaremur. Nos itaque audita eorum intentione, quod in villa Marpurgehusen, quam a Sibotone de Ezelnhusen, qui eam a nobis in feodo tenuit, absoluimus, prope oppidum nostrum Hasefurthe ultra Mogum sita,

locum desiderarent [1]) perpetue mansionis, in quem suum monasterium eis transferre liceret, cum ibidem terram cultui habilem et fertilem inuenirent et locum spaciosum conuentui magis aptum, ad ipsarum instanciam, acceptis ab eis ducentis marcis argenti, quas nobis pro precio offerebant, reseruato nobis teloneo et bonis ville ab antiquo infeodatis, medietatem ville Marpurgehusen tam in agris, quam in pratis, pascuis, piscariis, siluis, viis et inviis, aquis aquarumque decursibus, cum decima medietatis bonorum et cum libertate telonei bonorum suorum transeuntium et suarum nauium, necessaria sua deferentium, ac cum hominibus censualibus ad altare eiusdem ecclesie pertinentibus, dictis abbatisse et conuentui libere in proprietatem dedimus; ecclesiam in sepedicta villa cum consensu Wernheri scriptoris, noui monasterii canonici, plebani eiusdem loci, a iure plebani eximentes et eam ipsis cum predictis bonis saluo iure archidiaconi assignantes de conniuentia capituli nostri pro monasterio sui ordinis faciendo. In quem locum eas duximus transferendas, ipsas sub specialem nostram protectionem recipientes, et auctoritate nostra atque beatorum martyrum Kyliani et sociorum eius sub pena excommunicationis districte inhibentes, ne quis prelibatum conuentum in bonis pretaxatis et in omnibus iuribus suis habitis et habendis, ullatenus molestare presumat. Et ut hec a memoria hominum non excidant, sed perpetue firmitatis robur accipiant, presens scriptum fieri iussimus et sigillis nostro et capituli nostri firmiter communiri. Testes huius rei sunt: Hermannus decanus noui monasterii, Burchardus de Ebersberg, Cunradus de Luterberc archidiaconus, Otto de Helderungen canonicus maioris ecclesie, magister Eberhardus scolasticus, Wernherus scriptor, canonicus noui monasterii, Vlricus sancti Stephani babenbergensis, Heinricus onolsbacensis canonicus, Ludewicus monachus in Bildhusen, Otto de Espenuelt, Otto Wolfeskel, Heinricus et Theodericus fratres de Sturmer, Albertus dictus Swehmarius scultetus in Hasefurthe, Hermannus Canis, Fridericus Stapfe, Helmericus quondam scultetus in Hasefurthe et alii quam plures. Acta uero sunt hec anno domini M° CC° XLIII°, in mense Septembri, indictione I^a, episcopatus nostri anno XVIII°.

Sigilla a pendent.

Editum in Stumpf Denkwürdigkeiten der deutschen, besonders fränkischen Geschichte. I. p. 117 Nr. 2.

[1]) Charta: desidanrent.

CCLXXVIII.

Anno 1243.

Hermannus herbipolensis episcopus bona intra et extra villam Burnestat, quae partim Otto fidelis suus de Burnestat, partim filii bonae memoriae Marquardi, patrui Ottonis, ab episcopatu nomine feodi possederant, Alardo abbati et fratribus coenobii eberacensis pro CCC marcis argenti vendit, praetereaque XVII agros feodales a fratribus Bernone, Heinrico et Waltero de Lindenloch in manus suas resignatas eberacensi ecclesiae tradit.

C. I. n. s. e. i. t. Hermannus dei gratia wirceburgensis ecclesie episcopus. Potestate nostra, quam largiori munerum deo cum gratiam actione recognoscimus, tanto vtimur absque culpa quanto eam personis ecclesiasticis et maxime uiris spiritalibus ac domino propensius famulantibus inpertimus ipsos non solum a presentibus iniuriis defendendo, uerum etiam a futuris dampnis et calumpniis eisdem priuilegiorum munimine precauendo. Qua propter insinuatione presentium ad noticiam transmittimus futurorum, quod nos ab Ottone fideli nostro de Burnestat omnia bona ipsius in Burnestat sita conparauimus pro CXV libris hallensium denariorum, eodem Ottone in manus nostras eadem bona, quia feodali iure a nobis ea possederat, resignante. Nos autem tam memorata bona dicti Ottonis, quam reliqua bona nostra in Burnestat, que Marquardus bone memorie, patruus eiusdem Ottonis, quondam a nobis habebat in beneficio et nobis soluta fuerant, cum enim idem Marquardus decederet, duos Ludewicum et Marquardum reliquit heredes, quorum Ludewicus de hac luce migrans, Marquardus vero seculo renuncians et ad hospitale sancti Johannis se conferens prefata bona sua in Burnestat nobis et ecclesie nostre libere reliquerunt. Hec inquam prefatorum Marquardi et Ottonis bona, que ad manus nostras legitime deuenerunt, intra villam et extra villam, in areis, agris cultis et incultis, pratis, aquis,

siluis, pascuis, quesitis et inquirendis, decimis et uniuersis attinentiis de consensu capituli nostri dedimus venerabili et dilecto nobis Alardo abbati et fratribus cenobii eberacensis pro CCC^tis marcis argenti, ut idem monasterium premissa bona sub tytulo proprietatis quiete possideat, eo iure, ea integritate, qua sepedicti Marquardus et Otto et eorum progenitores ab episcopatu nostro nomine feodi possidebant. Adicimus nichilominus, vt si memoratus Otto aut heredes ipsius vel quicumque alius pretaxatum eberacense monasterium in sepedictis bonis inpetere vel inpedire temptauerit, nos et successores nostri pro abbate et fatribus eiusdem monasterii tenebimur respondere, ipsis plenam warandiam in eisdem bonis, quotiens ad nos vel successores nostros ipsi fratres recurrerint, exhibendo, ita tamen, quod in sancti Mauritii quamdiu viuimus, et post obitum nostrum in anniuersario defunctionis nostre die consolationem XX^ti solidorum pro recordatione nostri ebracensi conuentui ipsius loci cellerarius offerat annuatim. Preterea XVII^tem agros feodales, pro quibus Berno, Henricus, et Walterus de Lindenloch fratres abbatem de Ebera infestabant, in manus nostras ab eisdem fratribus de Lindenloch resignatos, eberacensi ecclesie ob amorem fratrum inibi degentium tradidimus, perpetuo possidendos. Uolentes igitur contractum supra memoratum inter nos et ecclesiam eberacensem absque omni refragatione inviolabiliter obseruari, presentem paginam exinde conscribi et sigillorum tam nostri, quam capituli nostri auctoritate pro habundanti cautela iussimus communiri, statuentes et banni nostri comminatione firmiter inhibentes, vt nulla persona ecclesiastica vel mundana eberacense cenobium sepius memoratum in premissis bonis in Burnestat nec non et in ipsa curia Burnestat et eius attinentiis aliquatenus audeat perturbare. Siqua vero presumpserit, dei omnipotentis indignationem se incurrisse non ambigat, et a sancto corpore et sanguine domini nostri Jhesu Christi, nisi resipuerit, aliena fiat. Testes sunt: Otto maior prepositus, Godefridus decanus, Giso prepositus de Hovga, Marquardus prepositus de Onoldispach, Arnoldus custos, Fridericus cantor, Th[eodericus] portarius, Arnoldus de Zabelsteine, Boppo de Trinperc, canonici maioris ecclesie, Hermannus decanus noui monasterii, Eberhardus

scolasticus, Wernerus scriptor. Laici: Sibertus de Windeheim, R. de Hoinuelt, F. de Crense, R. Hake. Weiso camerarius, O. de Hespiluelt, O. Woluiskela, C. Vulpes, et alii quam plures. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini M°. CC°. XLIII°., indictione prima, anno pontificatus nostri XVIII°.

Appendent ambo sigilla.

CCLXXIX.

Anno 1244., 29. Aprilis.

Capitulum herbipolensis ecclesiae renovat statutum, quod nullus in concanonicum admittatur, qui alii ecclesiae ratione praebendae esset obligatus.

In nomine domini amen. Nouerint uniuersi presentes pariter et futuri, quod nos capitulum herbipolensis ecclesie consuetudinem talem multis retroactis temporibus habuimus et ex antiquo, ut nullum in confratrem aut concanonicum reciperemus, nisi ab alterius ecclesie prebenda ad nos ueniret simpliciter absolutus. Quamquam autem ab huiusmodi consuetudine propter ualidas imperatorum et regum, nec non aliorum principum ac baronum instantias pro tempore recesserimus, ad ipsam tamen ita sane reuertimur, vt unitis uoluntatibus et concordibus uotis, promissis interpositis et iuramentis nullum in concanonicum admittamus, qui alii ecclesie ratione prebende fuerit obligatus, quoniam tales persone propter frequentem absentiam ecclesie nostre minus utiliter deseruirent. Vt autem hoc nostrum factum nulli uertatur in dubium. presentem paginam sigillo ecclesie nostre et sigillis quorumdam prelatorum nostrorum super hoc decreuimus roborari. Actum anno domini M°. CC°. XL°. quarto, indictione II^a., mense Aprili, tercio kalendas Maii.

Appendebant quondam quatuor sigilla, ex quibus supersunt fragmentum primi, et secundum fractum, tertium et quartum deperdita sunt.

CCLXXX.

Anno 1244., mense Aprili.

Hermannus herbipolensis episcopus bona in Bibelried, quorum medietatem a Swikero de Oberbach et Agnete uxore eius, alteram autem a Siberto de Windeheim et Mehtilde uxore eius comparaverat, fratribus domus hospitalis S. Johannis ducentis sexaginta marcis argenti vendit, qui cavebunt, ne ea bona, si illa aliquo unquam tempore eos vendere contigerit, per ipsos ecclesiae herbipolensi fiant aliena.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Insinuatione presentium ad noticiam transmittimus futurorum, quod nos bona in Bibelrid, quorum medietatem aput Swikerum de Oberbach et Agnetim uxorem eius, et medietatem alteram a Siberto [1]) et Mehtildi [2]) uxore eius in proprietatem ecclesie nostre comparavimus, videlicet caminatam, structuras et edificia alia in Bibelrid cum omnibus attinentiis vineis, siluis, pratis, pascuis, viis, inviis, aquis aquarumque decursibus, piscinis, molendinis et aliis uniuersis considerantes, quod de pecunia, quam pro ipsis bonis dederamus, possemus maiora disponere, que nostre essent ecclesie profutura, intuentes etiam obsequia, [3]) que fratres domus hospitalis sancti Johannis nobis sepius prestiterunt et in posterum poterunt exhibere, acceptis ab ipsis fratribus ducentis sexaginta marcis argenti secundum tractatum inter nos de ipsis bonis habitum, fratribus eiusdem domus hospitalis dedimus proprietatis nomine perpetuo libere possidenda de nostri capituli consilio et fauore et ipsi fratres, prout in tractatu emptionis exstitit tractum, si ipsa bona aliquo umquam tempore eos uendere contigerit, cauebunt ne ea per ipsos fiant nostre ecclesie aliena, et nobis aut successoribus nostris uel capitulo nostro uendent, et si nos aut successores nostri uel capitulum nostrum emere ea ipso tempore nollent, ministeriali ecclesie nostre cuicumque uendere possunt ea. Et ut hec omnibus patefiant et nullum de hoc tractatu

inter nos habito dubium generetur, presens scriptum eis indulsimus sigillis nostro et capituli nostri firmiter communitum. Testes: Godefridus decanus, Fridericus cantor, Arnoldus custos, Fridericus de Grindela, Albertus cellerarius, Gyso da Jaza, prepositus in Houge, Marckwardus [4]) de Kastele, prepositus in Onoldisbach, Cŭnradus [5]) et Otto fratres de Luterberch canonici maioris ecclesie; Hermannus decanus, magister Eberardus scolasticus, Wernherus scriptor, canonici novi monasterii; Marchwardus Orphanus, Heinricus pincerna, sculteti, Johannes pincerna, Echehardus dapifer, Heinricus de Rauensburch, Otto de Espenuelt, Otto Wolfeskel, Herbordus, Richalmus, Godefridus fratres dicti Hacones, Cŭnradus Torso et alii quam plures. Actum anno domini MCCXL quarto, in mense Aprili, indictione secunda, episcopatus nostri anno XVIIII.

Exstant tria exemplaria huius chartae.

[1]) Exemplar C. addit: „de Windeheim", [2]) B: Mehtilde, [3]) B. addit: „fidelia", [4]) C.: Marchwardus, [5]) B.: Cunradus.

CCLXXXI.

Anno 1244., mense Aprili.

Frater Cunradus de Buchelt, provisor domus hospitalis S. Johannis in Wirzeburg et fratrum universitas eiusdem domus promittunt, quod bona in Bibelried ab Hermanno episcopo herbipolensi pro ducentis sexaginta marcis sibi vendita, ab herbipolensi ecclesia nullo unquam tempore facient aliena.

Frater Cŭnradus dictus de Buchelt prouisor domus hospitalis sancti Johannis in Wirzeburg et fratrum vniuersitas eiusdem domus omnibus in perpetuum. Confitemur et notum facimus vniuersis, quod cum bona in Bibelried emeremus a domno nostro

Hermanno venerabili episcopo herbipolensi pro ducentis sexaginta marcis argenti accedente sui capituli conniuentia et consensu, secundum quod in tractatu desuper habito tactum fuit, promittimus, quod nos ipsa bona ab herbipolensi ecclesia nullo umquam tempore faciemus aliquatenus aliena. Et si uendere ea nos contigerit, dicto domino episcopo aut suis successoribus uel capitulo suo uendemus, sed si eo tempore ipsi ea emere nollent, ministeriali ecclesie herbipolensis cuicumque uendemus, ut sic per nos alienatio caueatur. Et ut hoc omnibus elucescat, presens scriptum super eo dedimus, sigillo domus nostre firmiter communitum. Testes: Godefridus decanus, Fridericus cantor, Arnoldus custos, Fridericus de Grindela, Albertus cellerarius, Gyso de Jaza, prepositus in Houge, Marquardus de Kastele, prepositus in Onoldisbach, Cůnradus et Otto fratres de Luterberch, canonici maioris ecclesie, Hermannus decanus, magister Eberhardus, scolasticus, Wernherus scriptor, canonici noui monasterii; Marquardus Orphanus, Heinricus pincerna, sculteti, Johannes pincerna, Eckehardus dapifer, Heinricus de Rauensburg, Otto de Espenvelt, Otto Wolfeskel, Herbordus, Richalmus, Godefridus fratres dicti Hacones, Cunradus Torso, et alii quam plures. Actum anno domini M°. CC°. XL°. quarto, in mense Aprili, indictione secunda, episcopatus nostri anno XIX°.

Sigilla perierunt.

CCLXXXII.

Anno 1244., 1. Septembris.

Ludewicus de Ruhenecke manu coadunata uxoris suae, nobilis feminae Gerdrudis de Zwerenza, domino Hermanno episcopo herbipolensi eiusque ecclesiae legat atque assignat medietatem castri Ruhenecke, quam in feodo ab herbipolensi ecclesia possedit, aliaque omnia bona sua, sive propria, sive feoda.

In nomine domini amen. Ego Ludewicus de Ruhenecke presenti pagina confiteor et protestor ac notum facio vniuersis, quod cum intolerabilia

grauamina sustinerem a Friderico de Ruhenecke, filio fratris mei, a quo pocius debueram honores et commoda reportasse, diu intra me deliberans cogitaui pro commodo meo finibus, in quibus bona mea sita erant, me reddere alienum et sic euadere machinaciones, que mihi cottidie fiebant per ipsum, et mala plurima, que mihi fecit nulla contra me habita racione. In presencia siquidem venerabilis domini mei Her[manni] herbipolensis episcopi medietatem castri Ruhenecke, quam ex successione hereditaria in feodo ab herbipolensi ecclesia diucius iam possedi et alia omnia bona mea sive fuerint mea propria, siue feoda ab herbipolensi ecclesia, mihi libera vel aliis infeodata, temporibus bone memorie episcopi Ottonis et postmodum temporibus sublimacionis predicti domini mei episcopi Hermanni me dedisse herbipolensi ecclesie recognoui et manu coadunata vxoris mee nobilis femine Gerdrudis de Zwerenza ea omnia siue tunc expressa fuerint siue non expressa, seu huic littere non sint ex obliuione aliqua forsitan annotata, iterato dedi dicto domino episcopo et ecclesie herbipolensi et gratie ipsius domini episcopi in eius manibus resignaui ac eis penitus renunciavi vna cum vxore mea predicta manibus et calamis, prout in huiusmodi renunciacionibus fieri est consuetum. Hec itaque bona, que in hac pagina duxi ad maiorem euidenciam exprimenda, videlicet castri medietas supradicti, in superiori Breitebach XIIII mansi et I molendinum, in villa Gemunde X lehen, duo molendina et decima tota, in villa Wizenbrunnen II lehen et medietas decime, in Altenbranberg XVIII mansi et molendinvm et silua, que Steinhart dicitur, eius medietas, item silua a Gerlachesdorf vsque ad Spirboum, que Gmeinholz dicitur; item medietatem silue, que Hart dicitur; item in Altenbranberg I lehen, quod attinet officio sculteti, vnde soluitur I porcus vel I talentum; in villa Vorwerc X mansi; in villa Etleibestorf IIII mansi; in Lentherichheshusen dimidium mansum, dimidium molendinum; in Gmeinevelt II mansi et piscina; in Tabemarsdorf II mansi, I lehen, item dimidium lehen et piscina; in villa Marpach XIIII mansi et silua, que Marpach dicitur et medietas decime; in Brunne IIII mansi cum eorum decima; in Frichendorf IIII mansi et decima tota, et piscina et pratum et I lehen; allodium vnum sub castro Ruhenecke; in Nuseze I mansus et I lehen; in Bischofeswinden I mansus; in Houesteten I mansus et I lehen; item medietatem montis Ruhenecke per omnia; in Ebern molendinvm et piscina, dimidium mansum et VIIII areas; item villam Tragemarsdorf; item villa Sande et piscina; item villa in Linthe et piscina; in Vnefunthe III mansi et multas vineas super ipsam villam; in Gozmarzdorf I area et silva et vinee. Insuper alia omnia bona mea, quorvm forsan non habui mencionem. Et ut huiusmodi donationis mee resignacionis et renunciacionis memoria futuris temporibus habeatur, presens scriptum memorato domino episcopo et ecclesie herbipolensi dedi, inpressione sigilli mei firmiter communitum.

Testes: Fridericus comes de Kastele, Sibertus de Windeheim, Thegeno de Lihtenstein, Thiemo de Vrheim, Cunradus de Sturmer, Heinricus Scotus, Heinricus Altus, Otto Flosculus, Otto Wolfeskel, Otto de Espenuelt, Cunradus de Speckeuelt, Heinricus de Hittenheim, et alii quam plures Ibidem etiam resignaui et dedi omnes homines meos, siue militaris siue alterius condicionis sint, dicte ecclesie herbipolensi et hoc similiter duxi in presenti pagina exprimendvm. Datum anno domini M. CC. XLIIII., kalendis Septembris, indictione II., episcopatus domini Hermanni episcopi anno XVIII.

Appendet sigillum triangulare: „LVDEWICI DE RVHENECKE“ ex filis sericis.
Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 395.

CCLXXXIIII.

Anno 1244., mense Septembri, apud Herbipolim.

Hermannus herbipolensis episcopus nobilem virum Ludewicum de Ruhenecke ob resignationem medietatis castri Ruhenecke et omnium bonorum suorum in castrensem suum recipit.

H. dei gratia herbipolensis episcopus. Notum esse volumus vniuersis huius pagine inspectoribus, quod cum vir nobilis Ludewicus de Ruhenecke propter grauamina intolerabilia, que Fridericus filius fratris sui sibi multipliciter irrogauerat, cogitaret de finibus illis, vbi possessiones sue site erant, cedere et in nostra tuicione aput nos residens esse, sicut vice altera se fecisse recognouit, medietatem castri Ruhenecke et omnia bona sua, que sibi propria fuerunt uel a nobis in feodo habuit, sibi nunc libera, inpignorata vel ab eo infeodata, cum omnibus hominibus, qui sibi attinebant, manv vxoris sue Gerdrudis de Zwerenza coadunata in proprietatem ecclesie nostre dedit, omnibus illis bonis adiectis, si qua in prioribus donacionibus tacita forsan erant, nulla super bonis omnibus nobiscum habita convencione, que bona omnia in priuilegiis super hoc confectis plenius sunt expressa. Et cum idem

nobilis taliter se nostre gratie submisisset, nos deliberato consilio eum in castrensem recepimus, et in recompensam bonorum, que nobis et ecclesie nostre dederat, frumentum, vinum, denarios et alia infrascripta ei assignauimus vite sue temporibus possidenda, videlicet vnum forwerc aput Stamheim ad XVIII modios siliginis et VIII modios avene, item duo molendina in Witphelt ad VIIII modios siliginis et II modios tritici, item vnum mansum in Witphelt ad VII modios siliginis, item habebit de Witolshusin XVI modios siliginis, VIII modios tritici et XII modios avene; item apud Herlcheim XX modios avene, item aput Cololsheim de duobus mansis duo talenta denariorum, aput Randersacker VI talenta, de moneta in Wirceburg IIII talenta; item apud Witphelt II carratas vini, aput Randersacher II carratas, aput Karlestat II carratas. Insuper in villa Lindech ultra Mogum, Witphelt V iugera vinearum; item Witphelt VIII agros pratorum et II piscinas; item apud Eteleibe IIII porcos. In hiis bonis nullum inpedimentum nobis faciet, ea inpignorando, infeodando vel alias distrahendo. Et ut gratia nostra plus appareat circa ipsum, siliginem, triticum et avenam de Stamheim et de molendino Witphelt et insuper duo talenta de duobus mansis in Colosheim et duas carratas vini de Witphelt predicte vxori sue, si eo premortuo ipsa superstes fuerit, assignamus nomine libgedinge possidenda, et filias suas in claustris recipi vel alias eis prouideri procurabimus bona mente; permittimus etiam, ut de hominibus, qui in manu ipsius Ludewici infeodati sunt, ipse dominio gaudeat, quamdiu vixerit, ita ut in alienationibus per ipsum impedimentum nullum ecclesie nostre fiat. Et ut hec nostra assignacio siue permissionis nostre gratia eis a nobis et a successoribus nostris inuiolabiliter conseruetur, presens scriptum ipsis indulsimus, sigillo nostro et ecclesie nostre munitum. Actum anno M^o. CC. XLIIII., in mense Septembris, indictione II^a., episcopatus nostri anno XVIIII., aput Herbipolim.

Sigillum Hermanni episcopi periit.

Novem post mensibus, uti patet ex inscriptione in dorso chartae, quidam fructuum mutati et noviter assignati manu coaeva,

obliterationibus et rasuris quibusdam factis, inscripti sunt ita, ut tenor chartae, a verbis „item apud Cololsheim“ usque ad „piscinas“ nunc sonet: „Item aput Cololsheim de V mansis V talenta denariorum, aput Randesacker VI talenta, aput Heidenuelt de horto I talentum; item aput Witphelt I carratas [!] vini de Altenberg, claustro Heidenuelt II carratas, Volca I carratam, vini omnes (?) carratas. Insuper in villa Lindech ultra Mogum Witphelt V jugera vinearum; item Heidenuelt VIII jugera buwer et Witphelt II piscinas. Et inferius, loco „duas carratas vini de Witphelt“, nunc legendum est „duas carratas vini de claustro Heidenuelt.“ In dorso chartae manus eadem apposuit: „Insuper pro XXV marcis argenti, quas eidem L. pro consanguineis nostris de Wiltperc dare promisimus, assignamus ipsi Ludowico ad quinque talenta denariorum aput Colosheim, ut ipsos denarios ipse et vxor sua et pueri sui in feodo possideant donec nos aut successores nostri ipsa bona redimamus, et ea dedimus in manibus A. de Trimperc viri nobilis et Albrandi de Gocheshcim, ut ea vxori sue et pueris debeant optinere. Anno domini M. CC. XL. quinto, in mense Junii, indictione III$^{a.}$, episcopatus anno vicesimo.“

CCLXXXIV.

Anno 1244., mense Decembri.

Hermannus herbipolensis episcopus bona in Blintheim et in Bebendorf, quae Heinricus miles dictus Muphelger in restaurum bonorum apud Bibelried, fratribus hospitalis S. Johannis in Wirzeburch venditorum ecclesiae herbipolensi in proprietatem tradiderat, eidem Heinrico in feodum, bona autem in Bibelried domui hospitalis S. Johannis in proprietatem confert.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint uniuersi huius pagine inspectores, quod cum dilecti nobis fratres hospitalis sancti Johannis in Wirzeburch quedam bona ad viginti sex modios siliginis aput Bibelrid, quorum bonorum partem unam

Heinricus miles dictus Muphelger de Scheinuelt mediante Wolframo pincerna de Zauelstein a manu nostra in feodo tenuit, et partem alteram inmediate a nobis in feodo habuit, et reliquam partem proprietatis nomine possidebat, pro triginta duabus marcis argenti aput dictum Heinricum Muphelger comparassent, idem miles nobis humiliter supplicauit, ut bona ipsa, que a manu nostra mediate siue inmediate in feodo procedebant, in proprietatem dictis dare fratribus dignaremur, offerens nostre ecclesie quedam bona sua propria in restaurum. Nos itaque accipientes in restaurum ab ipso Heinrico dicto Muphelger quedam bona sua propria videlicet in Blintheim curiam et agros ad duos mansos cum quadam siluula attinente, que mediante dicto Wolframo de Zauelstein in feodo possidebit, et preterea unum mansum et molendinum in Bebendorf, que a manu nostra tenebit in feodo inmediate, que omnia manu uxoris sue Methildis de Bibelrid coadunata et per manus Cůnradi patris sui et Helhe [1]) uxoris eiusdem Cůnradi et puerorum eorundem Cůnradi, Friderici, Alberti et Gertrudis nobis dedit et in manibus Bertoldi militis dicti Smiererii de Scheinuelt recipientis nostro nomine nostre ecclesie in proprietatem transmisit, et recepit in feodo a nobis et a dicto Wolframo, qui huic facto consensum adhibuit, et partem suam a nobis in feodo accepit, ipsius Heinrici dicti Muphelger precibus inclinati, et ob fauorem ipsorum fratrum bona memorata in Bibelrid, que ad cautelam, cum eorum pars quedam propria sua esset, dictis fratribus per manus dicte uxoris sue Methildis dederat, salua nobis decima eorundem bonorum, in proprietatem dedimus predicte domui hospitalis sancti Johannis et fratribus memoratis de nostri capituli conscientia et fauore. [2]) Testes: Hermannus decanus noui monasterii, frater Cůnradus de Buchelt, frater Fridericus de Erningen, frater Eberardus, fratres predicte domus hospitalis sancti Johannis, Fridericus de Branberch, Fridericus Muphelger, Hermannus de Bebendorf, Cůnradus Muphelger, Heinricus aduocatus de Swartzenberc [3]), Gernodus Steinhouch, Otto Wolfeskel, Otto de Espenuelt, Godefridus filius Folknandi et alii quam plures. Et ut hec omnibus patefiant presens scriptum dedimus sigilli nostri et

capituli nostri munimine [4]) roboratum. Actum anno domini M°. CC°. XL°. quarto, in mense Decembri, indictione III, episcopatus nostri anno vicesimo.

Exstant duo exemplaria. [1]) B: „Heilke“, [2]) in B desunt verba „de nostri capituli conscientia et fauore“, [3]) B: „Hermannus de Swartzenberch“, [4]) in B desunt verba: „et capituli nostri“.

Ex A appendent sigilla Hermanni et capituli; B habet tantum sigillum Hermanni episcopi.

CCLXXXV.

Anno 1245., 7. Februarii, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus medietatem bonorum in Etheleibe bonae memoriae comiti Ottoni de Botenlouben pro centum marcis argenti assignatorum, a vidua ipsius, nobili matrona Beatrice quinquaginta marcis argenti absolvit.

H. dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius inspectores, quod cum bona nostra in villa Etheleibe, ad XL modios in tritico et siligine, ad XII modios auene, ad VI talenta denariorum bone memorie comiti Ottoni de Botenlouben pro centum marcis argenti, nobis per ipsum nobilem mutuatis, sub forma tunc temporis inter nos concepta, assignata absoluere cogitaramus, quinquaginta marcas argenti, quas vidue ipsius nobilis dedimus, medietatem bonorum eorumdem aput ipsam viduam nobilem matronam Beatricem absoluimus, proprietatem partis alterius ipsorum bonorum, si a proximo festo Mathie apostoli ad quatuor annos eam non absoluimus, dicte matrone nobili relinquentes. Et ut super hiis nulli dubium oriatur, presens scriptum dedimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum Herbipoli, anno domini M. CC. XLV., VII. idus Februarii, indictione III^a., episcopatus nostri anno vicesimo.

Sigilli fragmentum superest.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 399. Nr. XLVI. et in Bechstein Geschichte und Gedichte etc. p. 152. Nr. 31.

CCLXXXVI.

Anno 1245., 20. Aprilis, Wirceburg.

Hermannus herbipolensis episcopus a Cunrado advocato de Heidinvelt dimidietatem advocatiae ecclesiae in Heidinvelt cum villis quibusdam pro quadringentis et quadraginta marcis argenti emit.

H. dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod cum nos a dilecto fideli nostro Cunrado dicto aduocato de Heidinuelt dimidietatem aduocatie ecclesie in Heidinuelt cum villis Nvwenrode, Colondisheim, Batihchesbrunnin et quatuor leti in Volka cum quatuordecim vrnis vini et dimidia vrna ibidem, et quicquid [1]) Hyrsuůrte habuit in Mogo tam in piscariis, quam in molendinis, duas carratas vini dandas ab ecclesia de Heidinuelt, vnam de monte Wisilberch, et alteram de monte Kyrhberc prope Volka, quicquid [1]) habuit in Heidinuelt siue esset proprietas uel feodum et unum leti, quod concedemus cuidam seruo Ottoni, bona etiam, que Otto de Stamheim habuit ab ipso in villa Oterischeshusin, vineam unam in Grubin soluentem tres vrnas vini, et quicquid [1]) iuris habuit in bonis Northeim emissemus pro quadringentis et quadraginta marcis argenti, nos sue indempnitati cauere uolentes, dedimus sibi ad manus centum marcas minus sedecim marcis, et concessimus sibi et suis heredibus ac vxori sue, pro ducentis marcis in Karbahc ad tredecim talenta, in Lullescheit ad nouem talenta, et in Honburc ad tria talenta. Pro centum uero et quinquaginta sex marcis concessimus ei et suis heredibus ad viginti talenta in Randisackere et in Honburch ad nouem modios siliginis pro uno talento, tali de omnibus bonis sibi concessis pacto pariter et statuto, ut quandocunque nos uel nostri successores uoluerimus, redimendi eadem bona habeamus liberam potestatem. Et ut hec tam nobis, quam nostris successoribus quam etiam dicto Cunrado et suis heredibus inuiolabiliter obseruentur, presentem litteram exinde conscriptam sigillis nostro et

capituli nostri inssimus insigniri. Actum Wirceburg, anno gracie M°. CC°. XLV°., XII°. kalendas Maii, indictione III^{a}., pontificatus nostri anno XX°.

Sigilla perierunt.

[1]) Charta: „quidquic".

CCLXXXVII.

Anno 1246., 23. Maii, aput Hochheim.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, secunda die suae electionis, ex consensu trium principum ecclesiasticorum et apostolicae sedis legati, Hermanno herbipolensi episcopo et ipsius successoribus, confirmans omnia iura, iurisdictiones et bona, ad ecclesiam eius pertinentia, promittit, quod nullam faciet munitionem in praeiudicium ecclesiae, nec permittet fieri in posterum ab aliquo.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 296. Nr. DCCLXXVII.

CCLXXXVIII.

Anno 1246., mense Maii.

Hermannus herbipolensis episcopus testimonio suo roborat fundationem Wolfmari civis herbipolensis, qui manu coadunata uxoris suae Luchardis tria iugera vinearum, sita apud Hunengraben, ad altare maioris ecclesiae herbipolensis tradiderat, ut ex quinque libris cerae annis singulis inde solvendis candela fiat, quae infra missam in elevatione hostiae elevata teneatur usque ad orationem dominicam.

H. dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod cum Wolfmarus ciuis herbipolensis,

qui pro mercimoniis ire consueuerat in **Frantiam**, quandam consuetudinem approbatam considerasset in partibus **Frantie**, ubi omnis uirtus, que ad dei gloriam et eius excellentiam spectat, in sanctorum uenerationibus et in diuinorum sollempniis uigere dinoscitur, et uidisset, quod infra missam in eleuatione hostie, ubi panis transsubstantiatur in uerum corpus domini nostri Jhesu Christi, candelam decentem ministri altaris post sacerdotem in uicino in fatie tocius populi eleuare consueuerunt, ut sic magis ad creatoris nostri laudem populi deuotio excitetur, ex inspiratione diuina consuetudinem illius terre in parrochia sua, videlicet in ecclesia maiori herbipolensi, conseruari cogitans, per plures candelas, quas successiue suis sumptibus ad altare parrochie tribuit, euidenter ostendit, quod per huiusmodi consuetudinem in populi deuotionibus summi redemptoris ampliatur gloria, et ut consuetudo, que ita approbata exstitit, ibidem iugiter obseruetur, manu **Luchardis** uxoris sue coadunata tria iugera vinearum sua propria, sita aput **Hunengraben**, ad altare parrochie tradidit sub ea forma, ut ipse et vxor sua et alii quilibet eorumdem jugerum possessores quinque libras cere annis singulis inde soluant ad huiusmodi cereum faciendum, qui in se habebit tres libras cere tantum, et erit quasi funiculum triplicem de cera factum habens, et cum consumitur usque ad quantitatem vnius libre, de cera residua reseruata ampliabitur per possessorum vinee, ita quod iterum tres contineat in se libras; et cereus eleuatus tenebitur usque ad orationem dominicam, qua incepta protinus extinquetur. Ut itaque dicti **Wolfmari** et vxoris sue **Luchardis** donatio, quam fecerunt de tribus jugeribus, non excidat a memoria hominum, et deuotionum tocius populi talis excitatio in salutem proprietatem huiusmodi donantium transeat animarum, presentem litteram super eo et dicte parrochie et memoratis **Wolfmaro** et **Luchardi** ac eorum heredibus concessimus in testimonium, sigilli nostri et **Heinrici** parrochiani in Wirzeburch munimine roboratum. Testes: Herbordus, Richalmus et Gotefridus Hacones, Marchwardus Orphanus camerarius, Heinricus Wolfoldus, Richolf de Isenhofen, Johannes pincerna, Heinricus filius pincerne, Ekhardus filius dapiferi, Boppo de Babenberch, Fridericus Rufus, Hiltebrandus filius Othnandi,

Cuonradus de Inferno, Heinricus dictus Zichelin institor, Godefridus dictus Magister coquine et Volknandus dictus Marscalcus, fratres, Heinricus de Steren, Cuonradus de Friberch, Cuonradus de Heidinheim, Rudegerus de Swinfûrthe et plurimi ciues herbipolenses. Actum anno domini M°. CC°. XL°. sexto, in mense Maii, indictione IIII[a]., episcopatus nostri anno vicesimo primo.

Sigilla Hermanni episcopi et „parochiani de Wirceburc" appendent.

CCLXXXIX.

Anno 1246., 2. Junii.

Rudolfus aduocatus de Dornberg castra sua Dornberg et Lihtenowe et advocatiam ecclesiae in Onolsbach cum omnibus pertinentiis herbipolensi ecclesiae legat, si absque liberis decederet, salva tamen conditione, quam de castro Lihtenowe et centum librarum redditibus uxori suae dominae Cunigundi fecerat.

I. n. d. a. Rudolfus aduocatus de Dornberg omnibus in perpetuum. Cum sepe diuque mente pervigili de successuris michi bonorum meorum heredibus pertractarem inter consanguineos et amicos, quorum ab una parte naturalis federis perurgebat affectio et placabilis meritorum ac premissorum copia ab altera demulcebat, omnium secularium prece et perswasione postposita prouisum diuinitus amplexus sum consilium equitatis, vt nisi ex me fuerit prolis propagata posteritas, bona vniuersa, quibus progenitores meos et me iure feodali herbipolensis ditauit ecclesia, si qua eciam antiquis possessionibus per meam industriam accreuerunt, que ab ipsa tenentur ecclesia, ad herbipolensis ecclesie redeant libertatem, momentaneis et defluentibus in perpetuos ac stabiles conmutatis. Presenti igitur protestor pagina et ad noticiam omnium cupio peruenire, quod castra mea Dornberg et Lihtenowe et aduocaciam ecclesie in Onolsbach cum omnibus ad hoc pertinentibus villis, mansis, siluis, aquis, viuariis, piscariis, molendinis, pratis, cultis et incultis, juribus siue solummodo iure aduocacie siue pleno iure redditus villarum cum aduocacia possideam, sic venerabili patri ac domino Hermanno episcopo et herbipolensi ecclesie lego irreuocabiliter et assigno, vt si absque liberis de-

cessero, episcopus dicte ecclesie, qui pro tempore fuerit, omni impedimento sublato plenum jus habeat, mihi in integrum succedendi, salua condicione, quam gedinge appello, de castro Lihtenowe et centum librarum redditibus nurenbergensis monete, facta a me per manus predicti domini mei episcopi vxori mee domine Cunegundi, quę si premortuus fuero, castrum idem et predictos C librarum redditus quiete possidebit, donec ab ea uel suis heredibus sexcentis marcis argenti per dictam ecclesiam uel episcopum absoluantur. Si vero me superstite ipsa carnis debitum soluerit, tunc ut predictum est, sine omni questione ac pensionis onere post mortem meam ecclesia heres erit. Prolis autem posteritate secundatus a domino, si filius fuerit me mortuo supervivens, cum ad annos discretionis peruenerit, vi carebit si quid juris in prenominatis bonis ecclesie est firmatum. Si vero filia, idem ius consequetur tantum pro se et suis liberis, quibus episcopus ea conferet, non ut ea legare vel alienare ab ecclesia aliis possint preter suos liberos, quibus decedentibus sine liberis eis succedet ecclesia sicut mihi; dominus etiam episcopus de ipso feodo meo una cum capitulo suo in proprietatem dedit mihi redditus duodecim librarum in villis Dorendorf et Wenegestat, quos possim pro animarum remedio religiosis infra herbipolensem diocesim elargiri. Insuper de aliqua parte nemoris circa Onolsbach, vbi minus dampnosum uidebitur, dominus episcopus contulit sex mansos, non qui dicuntur walthube set minores, cum decimis eorundem, michi in feodum, qui cum aliis bonis suprascriptis, ut dictum est, ad ecclesiam reuertentur. Preterea si dominus episcopus in pago onolsbacensi municionem quocumque modo habuerit, nullum in ea de terre baronibus castrensem locabit, mihi opibus et viribus prevalentem. Quod si preter ea bona, que in presenciarum possideo quocunque acquisicionis titulo, bona alia feodalia ipsius ecclesie habuero ammodo, dominus meus episcopus ea conferet secundum quod per me fuerit postulatum. Vt itaque hec mea legacio et assignacio pateat vniuersis, presens scriptum dedi domino meo episcopo et ecclesie sue firmiter communitum. Testes: Marquardus prepositus, Gotefridus decanus, Fridericus cantor, Arnoldus scolasticus et custos, Albertus cellerarius, Burchardus de Ebersberg, Cunradus de Luterberg, Iringus de Hohemburg, Albertus de Grindelach, maioris ecclesie canonici; Hermannus decanus, magister Eberhardus scolasticus, Wernherus scriptor, canonici noui monasterii, Heinricus notarius canonicus onolsbacensis et alii quam plures. Actum Herbipoli anno domini M°. CC°. XLVI., IIII. nonas Junii, indictione IIII.

Sigillum Rudolfi advocati de Dornberg appendet.

Editum in Stumpf histor. Archiv für Franken I. p. 161. Nr. I.

CCXC.

Anno 1247., 2. Januarii, apud Nurenberg in castris.

Heinricus VIII., vulgo Raspo, rex, propter merita Hermanni episcopi herbipolensis, relaxat pensionem viginti quinqe modiorum tritici, quam homines in Bernheim de bonis ecclesiae herbipolensis, causa tuitionis regiae, singulis annis scultetis regiis persolvebant, prohibens, ne quis nomine regiae curiae pensionem ipsam ab hominibus dictae villae de cetero exigat.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 300. Nr. DCCLXXX.

CCXCI.

Anno 1247., potius quam 1246., 5. Febr., apud Chulingishem.

Henricus VIII., vulgo Raspo, rex, Hermanno, herbipolensi episcopo, propter merita, Judaeos herbipolenses, qui haetenus ad imperium spectabant, pro duobus millibus et trecentis marcis ad vitam ipsius assignat, ita, ut nec a rege, nec ab aliquo eius successorum, vivente episcopo, possint redimi.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I. pag. 303. Nr. DCCLXXXII.

CCXCII.

Anno 1247., potius quam 1246., 5. Februarii, apud Zulingishem.

Henricus VIII., vulgo Raspo, rex, Hermannum episcopum herbipolensem et successores eius securos facit, quod proventus ex Judaeis herbipolensibus, quamdiu pro duobus millibus et trecentis marcis non fuerint redempti, nec in sortem computentur, nec species usurae dici possint.

Editum in Mon. Boic. Vol. XXX. Part. I, pag. 304. Nr. DCCLXXXIII.

CCXCIII.

Anno 1247., 4. Junii, Lugduni.

Innocentius papa IV. decano, capitulo ac universis clericis herbipolensibus indulget, quod durante instantis persecutionis procella non possint trahi extra civitatem herbipolensem in causam.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis .. decano et capitulo ac vniuersis clericis herbipolensibus salutem et apostolicam benedictionem. Obtentu venerabilis fratris nostri .. herbipolensis episcopi nobis supplicantis pro uobis quieti uestre prouidere uolentes, quod durante instantis persecutionis procella non possitis trahi extra ciuitatem herbipolensem in causam per literas apostolicas non facientes de indulgentia huiusmodi mentionem auctoritate uobis presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Lugduni II. nonas Junii, pontificatus nostri anno quarto.

Appendet bulla plumbea Innocentii IV. ex filis sericis flavi et rubri coloris.

CCXCIV.

Anno 1247., 5. Julii, Herbipoli.

Capitulum novi monasterii herbipolensis transsummit litteras, quas capitulum maioris ecclesiae herbipolensis ad decanum S. Victoris, scolasticum et cantorem S. Mariae ad gradus moguntinae, in causa recipiendi Berhardi archipresbyteri moguntini in canonicum herbipolensem, direxerat.

H. dei gratia decanus totumque capitulum noui monasterii herbipolensis. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod venerabilium dominorum nostrorum, capituli herbipolensis litteras vidimus, perlegimus et diligenter inspeximus cum integro et uero sigillo, non uiciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte diminutas per omnia in hec verba continentes:

„Venerabilibus dominis decano sancti Victoris, scolastico et cantori sancte Marie ad gradus moguntine prepositus, decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis cum sinceritatis affectu promptitudinum seruiendi. Litteras vestras nuper recepimus, in quibus vidimus contineri, quod auctore domini legati nobis mandastis, quod dominum Berhardum archipresbyterum moguntinum reciperemus in canonicum et in fratrem, vigiliam apostolorum Petri et Pauli nobis pro termino peremptorio et locum in claustro maioris ecclesie assignantes, audituri ibidem quicquid contra precepta racionabiliter duceremus proponendum. Super quibus, si bene recolitis, cum propter commune uiarum discrimen, quo prochdolor tota Alemannia innoluitur, sicut scitis, procuratorem ydoneum, sicut tale requirit negotium, nobis habere nequeuntibus, licet in granibus causis quis procuratorem constituere non cogatur. Litteratorie tamen vobis nuncium, cum aliud amminiculum non subesset, destinauimus, absentie nostre causam et procuratoris nostri inpedimentum uenire non ualentis proponentem, per quem etiam petiuimus propter commune gwerrarum instans et inimicicias speciales, locum tutum assignari, vbi de vestro mandato et persone noticia sibi petentis prouideri possemus plenius et securius experiri, omnibus aliis exceptionibus nobis saluis in tempus

ydoneum reseruandis, secus si faceretis, quod de vestra discretione nec tunc presumpsimus nec adhuc confidimus, sedem apostolicam appellando. Que omnia cum sitis viri prouidi et discreti scientia et moribus redimiti, petimus nobis fieri et locum tutum assignari, ubi iurisdictionis vestre copia nobis fiat et contra personam nos inpetentem obiciendi facultas non subtrahatur, alioquin noueritis, quod appellationem interpositam innouamus et propter premissas causas ab audientia vestra in scriptis appellamus et dimissorias litteras, quas apostolos uocamus, cum instantia petimus, ponentes nos et nostram ecclesiam sub tuicione sedis apostolice speciali."

Ad preces igitur prepositi, decani tociusque capituli herbipolensis, venerabilium dominorum nostrorum uelud membra capiti ex debito conpotientes, fauorabiliter inclinati, presens scriptum fortassis in posterum, in memoriam rei geste in iudicium exhibendum fieri iussimus, sigillo capituli nostri communitum. Datum Herbipoli, anno domini M°. CC°. XL°. VII°., indictione V^a., III .nonas Julii.

Appendet sigillum novi monasterii ex membrana.

CCXCV.

Anno 1247., 12. Julii.

Hermannus herbipolensis episcopus, ad instantiam fratris Ottonis de Botenlevben, ut intenderet de solutione pecuniae ex legatione patris eius comitis Ottonis de Botenlevben monasterio sanctimonialium in Frowenrode debitae, septingentarum videlicet et quinquaginta marcarum argenti, quae de summa emptionis castri Botenlevben remanserant non solutae, de capituli sui consensu bona in Egenhusen et decimas in Machtolshusen et in Elvericheshusen pro quingentis marcis dicto monasterio vendit, potestatem ea reemendi sibi reservans, eidemque redditus quosdam in summa ducentarum et quinquaginta marcarum assignat.

Hermannus dei gracia herbipolensis episcopus. Cum frater Otto de Botenlevben prouisor monasterii sanctimonialium in Frowenrode nobis

cum magna instaret diligentia, ut de solutione pecunie, ex legatione bone memorie patris sui comitis Ottonis de Botenlevben dicti loci fundatoris, dicto monasterio debite, videlicet de septingentis et quinquaginta marcis argenti, que de summa emptionis castri Botenlevben remanserant non solute, intendere curaremus, et in hoc ipsi monasterio dignaremur paterna sollicitudine prouidere, ne ad successores nostros, qui forsan ei minus intenderent, eadem solutio differetur, nos sicut ex recommendatione dicti comitis, nostre gracie et fauori assumpsimus idem monasterium, eius commodum diligentes, ad solutionem dictarum septingentarum et quinquaginta marcarum cogitauimus, et de nostri capituli consensu, bona nostra in Egenhusen, et decimas in Machtolshusen, et in Elvericheshusen, pro quingentis marcis uendidimus, et dedimus dicto monasterio proprietatis nomine perpetuo possidenda, hoc apposito, quod si nos, uel successores nostri ea emere pro quingentis marcis argenti uoluerimus, ipsa emendi liberam habebimus potestatem, et abbatissa et conuentus emptionem huiusmodi non debent nobis aut successoribus nostris aliquatenus denegare, sicut frater Otto nomine earum in nostra presentia repromisit. Assignauimus etiam ei theloneum lignorum ciuitatis nostre Wirceburg, et theloneum pecudum ac precariam nostram ibidem, ut de theloneis quinquaginta marcas, et de precaria quinquaginta marcas recipiant in hoc anno, et in sequenti anno de eisdem theloneis quinquaginta marcas, et de precaria centum marcas. Et sic frater Otto restitutis nobis instrumento principali, et aliis instrumentis de obligatione bonorum nostrorum pro mille et ducentis marcis ipsi monasterio facta datis, clamauit nomine monasterii sui, nos et ecclesiam nostram ab omni debito absolutos. Et ut hec premissa omnia vniuersis patefiant, et nobis et ecclesie herbipolensi, ac dicto monasterio in perpetuum inuiolabiliter obseruentur, presens scriptum fieri iussimus, et nostro, capituli nostri et ipsius monasterii ac sepedicti fratris Ottonis sigillis fecimus in testimonium roborari. Testes: Marquardus prepositus, Godefridus decanus, Arnoldus scolasticus, Fridericus cantor, Gyso de Jaza, Burchardus de Ebersberch, Theodericus de Apolta, Heinricus de Stubewege, Cunradus et Otto de Luterberch, Boppo de Trimperch, Henricus Cremsarius, et alii quam plures canonici maioris ecclesie; Hermannus decanus, magister Eberhardus scolasticus et Wernherus scriptor, canonici noui monasterii; Marquardus Orphanus camerarius, Cunradus Torso dapifer, Otto de Espenuelt, Otto dictus Wolfskelo, Henricus pincerna, Johannes pincerna, Richalmus Haco, Albertus et Karolus de Bercha et alii quam plures. Actum anno domini MCCXLVII., IV. idus Julii, indictione V., pontificatus nostri anno vicesimo secundo.

Editum in Jaeger Geschichte III. p. 400—402, et in Bechstein Geschichte p. 153. Nr. 33.

CCXCVI.

Anno 1247., mense Novembri, Herbipoli.

Heinricus comes de Hennenberg, secundum tractatum inter se et episcopum herbipolensem habitum, renunciat bonis in Heidenvelt, et promittit destructionem castri Habesberg.

Heinricus comes dictus de Hennenberg confiteor presenti pagina et protestor, quod cum de erectione castri Habesberg et super bonis in Heidenvelt ac aliis questionibus, quas moui domino meo venerabili episcopo herbipolensi, inter ipsum dominum meum episcopum et me tractatus mediante ipsius domini mei atque meorum amicorum et fidelium consilio haberetur, ego secundum tractatum inter nos habitum bonis in Heidenuelt renunciaui et castrum Habesberg delebo funditus et promitto pro me et pro heredibus meis, numquam in ipso loco aliqua edificia de cetero erigere; et quia idem dominus meus pro se et suis successoribus dicere voluit, quod idem castrum ab eis non debeat reparari aliquatinus nec a nobis, ego pro me et pro meis promitto fideliter, quod ipsum dominum meum et successores suos, ne ab aliquo ibi ulla fiat municio, adiuuabimus fide bona; de aliis questionibus, que mote sunt, sue stabo per omnia voluntati. Et ut hec pateant vniuersis presentem conscribi feci literam et sigilli mei munimine roborari. Datum Herbipoli anno domini M°. CC°. XLVII., in mense Novembri, indictione VI., pontificatus ipsius anno XXIII°.

Fragmentum sigilli appendet.
Editum in Schultes diplomatische Geschichte des Hauses Henneberg. P. I. pag. 96. Nr. XVII.

CCXCVII.

Anno 1248., 26. Aprilis.

Hermannus herbipolensis ecclesiae episcopus bona in Ulsenheim, villam Wůstvilden, XXX iugera vinearum cum vini decima, montes Wielberg et Sterrinberg cum silvis aestimatis ad XC iugera commutando a conventu monasterii S. Marci suburbii herbipolensis acquirit, dans eidem in restaurum vinetum sub Steine apud Karlstat, aestimatum ad LXXXV iugera, aream in Karlstat, decimam totius villae in Rieden, et aream ibidem ad curiam et horreum praeparanda, et insuper LVII iugera foresti in Cramphisneit.

I. n. d. a. Hermannus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus. Et si officii nostri debito cunctis nobis subditis pro suis teneamur negotiis fauoris nostri gratiam impertiri, maxime tamen studium officii nostri exuberare debet circa illos, qui seculo derelicto soli uolentes deo famulari, religionis et sancte conuersationis habitum assumpserunt. Nouerit igitur omnium Christi fidelium, tam presentium etas, quam successura futurorum posteritas, quod cum dilecte in Christo sorores Irmengardis uenerabilis priorissa ac totus conuentus monasterii sancti Marci suburbii herbipolensis bona in Vlsinheim, que bone memorie Markolfus de Vlsinheim ingenuus adolescens, frater domus Theutonicorum, dum adhuc seculari habitu et libera bonorum suorum dispensatione gauderet, dicto monasterio, cuius religionem et habitum mater eius Adelheidis matrona nobilis ac due filie eius Hedewigis et Gertrudis, sorores Markolfi, assumpserant, ob spem eternorum liberaliter tradidit et libere possidenda reliquid, commutare pro loci distantia intenderet, et suis vicinius commodis adaptare: nos cum nostro capitulo discussionis tractatu prehabito, intuentes utilitatem ecclesie nostre, cuius terminos ac prouentus ampliare nos condecet, ac commoditatem dicti monasterii attendentes, super possessionibus dandis et accipiendis diligenti estimatione prehabita, cum dicta priorissa et conuentu eius bona eadem de consilio et uoluntate nostri capituli

duximus commutanda. Hec autem sunt, que nostre cesserunt ecclesie bona in Vlsenheim et villa Wůstuildin estimata ad XX[ti] libras denariorum herbipolensium preter alia seruitia; preterea XXX iugera uinearum cum uini decima, mons, qui dicitur Wielbergh, mons Sterrinberc cum siluis estimatis ad XC jugera. Insuper agri culti et inculti, prata, pascua, cum uiis et inuiis ac mancipiis eisdem bonis attinentibus, infeodatisque ab antiquo bonis, que prefatis prediis proprietatis titulo connectuntur, que omnia predictus conuentus nostre assignauit ecclesie proprietatis nomine perpetuo possidenda, retenta sibi decima in Vlsinheim et curia prope cymiterium ad ipsam decimam reponendam. Nos vero una cum capitulo nostro cenobio memorato dedimus in restaurum omne uinetum nostrum sub Steine aput Karlstat, quod a uia, que dicitur Steterloch, extenditur usque ad uineas, que dicuntur Vberhov, cuius estimatio est LXXXV iugerum, de quo quartus nobis cophinus et decima soluebantur cum omni iure et dominio et cum iure licentiandi uindemiatores, quod loube dicitur, tempore autumpnali, sicut idem uinetum dinoscimur possedisse. Item dedimus eis unam aream in Karlistat de precaria nobis danda liberam, in qua torcular et alia ad vinum necessaria sibi ualeant preparare. Donauimus etiam eis decimam totius uille in Rieden in agris, uineis, pratis, ortis, cultis, quibuslibet in posterum excolendis et in animalium nutrimentis, cuius decime due partes integraliter iure episcopali nobis cesserunt. Insuper aream in ipsa uilla ab exactionibus liberam, in qua curiam et horreum preparent ad ipsam decimam conseruandam. Ad hec dedimus eis LVII iugera foresti nostri in Cramphisneit in loco, qui respicit uillam Retcestat sub monte, qui dicitur Virst, omni iure forestariorum in ipsa silue particula ad earum commodum perpetuum amputato. Et ut hec omnibus elucescant et nullum super eis dubium oriatur, presens scriptum super commutatione huiusmodi conscribi fecimus et sigillis nostro et capituli nostri firmiter communiri. Huic donationi interfuerunt: Godefridus decanus, Arnoldus scolasticus, Fridericus cantor, magister Walterus de Tannenberc, Burchardus de Ebersberg, Heinricus de Stubwege, Iringus de Hoenburc, Boppo de Trintperc, Heinricus Cremesarius, Bertoldus de

Sterrinberc, Cunradus et Otto de Lutherberc et alii quam plures canonici maioris ecclesie. Testes sunt hii: Hermannus decanus, magister Eberhardus scolasticus, Wernherus scriptor, canonici noui monasterii, Heinricus notarius, canonicus in Onoldisbach, Dauid plebanus in Bleicha, Bertoldus plebanus in Meiningen, Heinricus pincerna, Johannes pincerna. Otto dictus Wolfeskel, Otto aduocatus in Espenuelt, Cůnradus Torso, dapifer, Heinricus Wolfoldus, Herbordus, Richalmus, Godefridus fratres, dicti Hacones, Eckehardus filius dapiferi. Richolfus de Isenhofen, Albertus de Ehenheim, Ludoldus de Gundersleibe, Cunradus de Rupretishusen et alii quam plures. Actum anno M°. CC°. XL octauo, VI°. kalendas Maii, indictione VIa., pontificatus nostri anno vicesimo tercio.

Appendent duo sigilla.

CCXCVIII.

Anno 1248., 10. Novembris, apud Aschaffenburg.

Sifridus, sanctae maguntinae sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius ad solutionem centum et quinquaginta marcarum, quas Hermannus herbipolensis episcopus nobili viro Crafthoni de Bockesberg dederat, se obligat, si eiusdem pecuniae solutio per regem Willelmum infra festum beatae Virginis venturum non fuerit procurata.

Nos Sifridus dei gratia sancte maguntine sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius. Recognoscimus et presentibus litteris protestamur, quod cum venerabilis frater noster dominus Hermannus herbipolensis episcopus ad precum nostrarum instanciam centum et quinquaginta marcas argenti nobili uiro Crafthoni de Bockesberg pro nobis curauerit erogare, quas inter alia sibi promisimus, dum ecclesie et serenissimi domini nostri

Willelmi, Romanorum regis seruicium introiret, promittimus, quod si eiusdem pecunie solutio infra festum purificacionis beate virginis proximo nunc uenturum per predictum dominum nostrum regem non fuerit procurata, nos extunc eam domino episcopo persoluemus, ad solutionem huius nos et nostram ecclesiam testimonio presentium obligantes. Datum apud Aschaffenburg, IIII. idus Nouembris, anno domini M°. CC°. XLVIII°.

Appendet fragmentum sigilli.

CCXCIX.

Anno 1249., 1. Aprilis.

Hermanni herbipolensis episcopi indulgentiae in casibus quibusdam sibi reservatis.

„Datum anno domini MCCXL nono, kalendis Aprilis, indictione VII[a]., pontificatus nostri anno XX°. quarto.“

Appendet sigillum.

CCC.

Anno 1249., mense Augusti.

Hermannus herbipolensis episcopus, qui a fratribus domus teuthonicae in Herbipoli omnia bona, quae eos ex parte filiorum Waltheri de Burcheim contingebant, emptionis titulo pro trecentis marcis puri argenti XXV minus comparaverat, formam solutionis statuit.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint omnes huius pagine inspectores, quod nos apud fratres domus teutheutonice in Herbipoli omnia bona siue sint feodalia siue propria, que eos ex parte filiorum felicis memorie Waltheri de Burcheim

contingebant, excepta parua curia, quam mater predictorum puerorum inhabitat, et excepta curia, quam habent in Bamberc, de consilio et consensu capituli nostri titulo comparauimus emptionis pro trecentis marcis puri argenti XXV minus, quam summam pecunie nos sub hac forma promisimus soluturos. In continenti namque pro fratribus prefatis Reinwardo ciui Herbipolensi sexaginta et quatuor marcas persoluemus; centum vero et duodecim dabimus fratribus ante festum Andree proxime uenturum, hoc adiecto, quod prouentus de prelibatis bonis hoc anno percipiendos et colligendos nostris expensis ad arbitrium sepe dictorum fratrum in Herbipoli ad locum, quem ipsi elegerint, reponi faciemus; quos adueniente termino ante memorato, si non persoluimus pecuniam compromissam, fratres tollent absolute et totus contractus inter nos habitus abscindetur. Insuper ipsis durante contractu tenebimur ad actiones quorumlibet predictas possessiones impetentium, sicut inferius plenius explicabitur, sopiendas. Si vero in premissis prouentibus aliquem defectum passi fuerint, ad huius restitutionem nos obligauimus, adeo ut eorum indempnitati per omnia caueatur. Centum autem marcas vna minus, que adhuc de tota summa restant, fratribus sepedictis ante proximum pascha persoluemus; pro hac pecunia obligantes eis curiam Burcheim titulo pignoris detinendam. Si vero hec eadem pecunia statuto tempore soluta non fuerit, predicti fratres curiam, que Burcheim vocatur, resument et eam proprietatis titulo possidebunt. Nos quoque et successores nostri dictos fratres in eadem curia manutenebimus et defendemus. Promisimus eciam, quod omnem actionem, que ratione debitorum contractorum a Walthero uel suis, siue super adipiscenda possessione bonorum eorumdem uel in toto uel in parte, que nos emimus, que contra eosdem fratres hucusque habita est, uel habebitur, ita tollemus plenarie, et eos libere absoluemus, ut indempnitati eorum per omnia caueatur. Et hec omnia bona fide et sine fraude promisimus obseruare. Et ne super hiis ulli in posterum dubium oriatur, presentem paginam conscribi fecimus et sigillis nostro et capituli nostri iussimus communiri. Huius rei testes sunt: Arnoldus decanus maioris ecclesie, Hermannus decanus, Eberhardus scolasticus noui monasterii herbipolensis, Otto Wolueskel

et Otto de Espenuelt et alii quam plures. Datum anno domini M°. CC°. XLIX°., in mense Augusti, indictione VII., pontificatus nostri anno vicesimo quarto.

Ambo sigilla laesa appendent.

CCCI.

Anno 1249., mense Octobris, Wirzeburgh.

Hermannus herbipolensis episcopus a venerabili domina, sorore Adaleidi de Hyldenburch, consanguinea sua, recuperat villas Stocheim et Quinvelt, assignans eidem octoginta talenta herbipolensia annuatim recipienda in aliis bonis nominatim expressis.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Omnibus presens scriptum intuentibus uolumus esse notum, quod pro recuperandis antiquis ecclesie nostre bonis uillis scilicet Stocheim et Quinuelt, que uenerabili domine, sorori Adaleidi de Hyldenburch, consanguinee nostre, proprietatis titulo quondam per nos fuerant assignate, ad commoditatem tam ecclesie nostre, quam ipsius domine utili permutatione prouisum est, vt uillis eisdem ab ipsa nostris usibus restitutis, estimationem octoginta talentorum herbipolensium, que de predictis possessionibus annuatim recepit, ei de aliis bonis nostris eodem proprietatis iure et titulo rependamus. Assignamus autem ei una cum capitulo nostro, de cuius consilio ac uoluntate tractatus presens habitus est, de bonis nostris apud Cvrna centum triginta maldra siliginis, viginti maldra auene, Espenuelt duodecim modios tritici; item in domo noua, ubi panis uenditur, triginta talenta. Item Vzenheim uiginti talenta; Randersacker uiginti talenta; Espenuelt quatuor talenta et dimidium. Recognoscimus eciam et presentibus protestamur, quod quicquid iuris capitulum maioris ecclesie et fratres de domo teuthonica in bonis predictis habuerunt, idem per omnia in bonis, que nunc eidem domine assignamus, habebunt ita, quod post mortem ipsius domine sexcentas marcas minus decem marcis habebit capitulum maioris ecclesie, fratres uero de domo teuthonica centum marcas pro se recipiant de eisdem bonis, et pro monasteriis centum et decem marcas. Siue autem predicta domina religionem intrauerit, siue in eodem statu permanserit, aut

ubicunque uoluerit manere, omnia predicta sibi usque ad mortem inuiolabiliter rata manebunt. Et ut hec firmitatis robur obtineant, presentem cartulam exinde conscriptam sigillorum nostri et sepedicti capituli nostri iussimus munimine roborari. Actum Wirzeburgh, anno domini M°. CC°. quadragesimo nono, mense Octobris, indictione VIII^a., pontificatus nostri anno vicesimo quinto.

Sigilla laesa appendent.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. pag. 408 Nr. LII, et in Bechstein Geschichte und Gedichte etc. p. 170 Nr. 17.

CCCII.

Anno 1249., 20. Decembris.

Heinricus spirensis electus, imperialis aulae cancellarius, executor a sede apostolico constitutus, ad mandatum Innocentii papae IV. de dato „Lugduni, VII. kalendas Septembris [26. Augusti] pontificatus anno septimo“ iniungit capitulo maioris ecclesiae herbipolensis, ut Wernherum de Hornecke canonicum spirensem in canonicum et in fratrem recipiat.

H. dei gratia spirensis electus, imperialis aule cancellarius. executor a sede apostolica constitutus. Honorabilibus et in Christo dilectis dominis . . decano et capitulo maioris ecclesie erbipolensis salutem et sinceram in domino caritatem. Mandatum domini pape recepimus in hec verba:

„Innocentius episcopus seruus seruorum dei dilecto filio . . electo spirensi salutem et apostolicam benedictionem. Grata deuotorum obsequia sunt retributione gratuita compensanda, ut ad gratitudinis opera promptiores gaudeant inueniri. Hinc est, quod dilecto filio Wernhero de Horneke, canonico spirensi, qui sicut carissimo in Christo filio nostro Willelmo rege Romanorum illustri cum supplicatione intimante accepimus pro se ac suos in ecclesie negociis fidelis inuentus est et deuotus, gratiam facere intendentes,

discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum auctoritate nostra in herbipolensi ecclesia recipi facias in canonicum et in fratrem eique prouideri sive prouideas de prebenda, si qua vacat ibidem ad presens, vel quamprimum obtulerit se facultas, non obstantibus, quod idem alias beneficiatus existit, seu si nos vel apostolice sedis legati pro eo alibi aut in eadem ecclesia direximus scripta, nostra pro aliis quibus, auctoritate presentium nolumus preiudicium generari, siue statuto de certo canonicorum numero iuramento vel alia firmitate vallato, seu si personis eiusdem ecclesie est ab ipsa sede indultum, quod citari vel ad receptionem aut provisionem alicuius, etiam si alterius ecclesie sit canonicus, compelli siue interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam de indulto huiusmodi mentionem aut qualibet consuetudine contraria et quibuscumque indulgentiis uel litteris apostolicis aut legatorum eiusdem sedis, per quas possit impediri effectus nostre gratie vel differri et de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. nec non et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nos enim decernimus irritum et inane siquid super hoc contra mandati nostri tenorem fuerit attemptatum. Datum Lugduni VII. kalendas Septembris, pontificatus nostri anno septimo.“

Huius igitur auctoritate mandati, quod surdis auribus preterire non possumus nec debemus, mandamus vobis, ut prefatum Wernherum de Horneke canonicum spirensem in canonicum et in fratrem recipiatis vsque ad festum purificationis sancte Marie proximo futurum, prebendam, si qua vacat ad presens vel quam cito vacauerit, ei seu procuratori, quem ad hoc voluerit destinare, ob reuerentiam sedis apostolice assignantes. Suspendimus etiam vos nichilominus a collatione prebendarum quousque ei iuxta formam mandati nobis traditi in ecclesia vestra provideamus irritum et inane, si secus feceritis, vtique die festo scilicet purificationis processuri in negotio eodem a uobis seu procuratore uestro volumus cerciorari in propria persona vel nostri subdelegati in ecclesia sancti Germani extra muros spirenses, si mandato in hac parte velitis apostolico obedire, audi-

turi nichilominus rationes vestras, si quas habueritis proponendas. Datum anno domini M°. CC°. XLVIIII°., vigilia Thome.

Sigillum laesum appendet.

Exstat adhuc aliud transcriptum mandati Innocentii papae, quod „Maioris ecclesie, sancti Germani, sancti Widonis, sancte trinitatis capitula“ ad instantiam W. de Horneke, „quia originale propter viarum pericula de loco ad locum secure deduci non potest“ sigillis suis, „ut eidem tamquam originali fides fiat“, fecerant publice communiri, „Spire anno domini M°. CC°. XLVIIII, feria VI^ta ante Thome“ [17. Decembr.]

CCCIII.

Anno 1249., 23. Decembris, Coloniae.

Conradus coloniensis ecclesiae archiepiscopus, Italiae archicancellarius, apostolicae sedis legatus herbipolensi episcopo concedit facultatem uacantibus praebendis post evolutum annum gratiae applicandi fructus unius anni proximo subsequentis ad ecclesiae matris herbipolensis fabricam.

Venerabili in Christo patri . . herbipolensi episcopo Conradus dei gratia sancte coloniensis ecclesie archiepiscopus, Italie archicancellarius, apostolice sedis legatus, salutem et sincere in domino caritatis affectum. Cum, sicut exposuit nobis uestra sinceritas, ad fabricam ecclesie matris herbipolensis, que ruinosa propter nimiam sui uetustatem existens reparatione iam noscitur necessario indigere, nulli redditus certi pertineant, unde possit decor domus domini augmentari, paternitati uestre, si expedire uideritis statuendi, quod uacantibus in ecclesia ipsa prebendis post euolutum annum gratie iuxta antiquam et bonam consuetudinem hactenus obseruatam, fructus unius anni tunc proximo subsequentis ad ipsius ecclesie fabricam cedant et eius usibus applicentur, liberam concedimus auctoritate

presentium facultatem, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Colonie, X. kalendas Januarii, anno domini M°. CC°. XL nono.

Appendet sigillum laesum.

CCCIV.

Anno 1250., 3. Januarii.

Heinricus et Hermannus de Hennenberg et Fridericus de Kastele comites domino suo Hermanno herbipolensi episcopo, tamquam fideles et officiati sui contra omnem hominem assistere promittunt, et stare coram eo super omnibus quaestionibus, ad justiciam exhibendam.

Nos Heinricus et Hermannus de Hennenberg et Fridericus de Kastele comites. Notum facimus vniuersis, quod nos domino nostro Hermanno venerabili episcopo herbipolensi et ecclesie sue tamquam fideles et officiati sui contra omnem hominem totis nostris viribus assistemus et eum et ecclesiam suam in quibuslibet negociis nullatenus deseremus, in quibus volumus, sicut fide data jurauimus, exponere res pariter et personas ad ipsius domini nostri episcopi beneplacitum et mandatum. Ceterum super omnibus questionibus, que coram ipso domino nostro episcopo de nobis forsitan proponerentur per quoscumque nostros emulos, similiter bona fide promittimus coram eo stare juri et ei ad justiciam omnibus exhibendam ad eius beneplacitum obedire. In cuius facti testimonium presentem paginam sigillis nostris duximus muniendam. Testes: H. decanus noui monasterii, Giso prepositus in Hauge, magister Eberhardus scolasticus, magister Hugo, Marquardus camerarius dictus Orphanus, Johannes scultetus curie, Eckehardus de Lutinbah, Th. et Otto Flosculi, Otto Wolfeskel, O. de Espenuelt, Johannes de Erlal, Fridericus Forscho, Fridericus Stolzo, Richard de Masbach, Gotefrid et Otto de Sleten, Heinricus de Gerwigeshusen, Cunradus de Holzhusin et alii. Actum anno domini M°. CC°. quinquagesimo, indictione VIII., III. nonas Januarii.

Tria sigilla valde laesa appendent.

Editum in Schultes diplomatische Geschichte des gräflichen Hauses Henneberg. I. p. 151 Nr. III.

CCCV.

Anno 1250., 13. Januarii, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus advocatiam et bona in Sweberied in manus ponit fideiussorum, quos Scrotoni de Scrotesberg in emptione advocatiae et bonorum dictorum constituerat.

H. dei gracia herbipolensis episcopus. Notum facimus vniuersis, quod cum nos H. decanum noui monasterii, R. prepositum in Houge, Iringum de Hohemburg, Johannem scultetum curie et Wolframum de Witolshusin scultetum nostrum in empcione aduocacie et bonorum in Sweberied dedissemus fideiussores Scrotoni de Scrotesberg pro centum viginti septem talentis denariorum herbipolensium, quorum XXX solidi soluunt marcam argenti, quam pecuniam in festo Walpurgis et in festo assumpcionis beate virginis soluere promiserunt, nos, vt in hac fideiussione eis securius caueatur, aduocaciam et bona ipsa de fauore capituli nostri in manibus eorum posuimus, ut si nos in solucione huiusmodi forsitan deficeremus, de aduocacia et de bonis ipsis se absoluant. Super quo presentes litteras eis damus sigillis nostro et ecclesie nostre firmiter communitas. Datum Herbipoli anno domini M°. CC°. quinquagesimo, idibus [1]) Januarii, indictione VIIIa., pontificatus nostri anno XX°. Vto.

Amborum sigillorum fragmenta supersunt.

[1]) Charta: „idus“.

CCCVI.

Anno 1250., 24. Martii, Herbipoli.

Hermanni episcopi herbipolensis indulgentiae in casibus quibusdam sibi reservatis.

„Datum Herbipoli, VIIII. kalendas Aprilis, indictione VIIIa., pontificatus nostri anno XX quinto“.

Sigillum deest.

CCCVII.

Anno 1250., mense Martio, apud Babenberg.

Heinricus babenbergensis episcopus herbipolensi episcopo concedit facultatem redimendi advocatiam theresiensem a Wolframo de Zabelstein, sicut et bona Friderico de Ruhenecke obligata.

Nos Heinricus dei gratia babenbergensis episcopus per presens scriptum notum facimus vniuersis, quod cum aduocatia therisiensis esset Wolframmo de Zabelstein obligata pro centum marcis argenti et triginta libris babenbergensis monete, nos adtendentes, quod dictus Wolframmus dictam ecclesiam indebitis exactionibus et extorsionibus adgrauabat, nos de consilio fidelium nostrorum dedimus auctoritatem domino episcopo herbipolensi dictam aduocatiam redimendi, ita quod quandocumque ipsam pecuniam dare poterimus sepedictam aduocatiam nobis restituere teneatur. Preterea placet nobis, ut dictus episcopus redimat bona nostra, Friderico de Rvheneke pro quinquaginta libris babenbergensis monete obligata, ad eandem pertinentia aduocatiam. In cuius rei testimonium presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri. Datum apud Babenberch anno domini M°. CC°. L°., octaua indictione, mense Martio, pontificatus nostri anno VI°.

Sigillum fractum appendet.
Editum in Schannat Vindem. liter. coll. II p. 123 Nr. XIX.

CCCVIII.

Anno 1250., 10. Augusti, Wirceburc.

Hermannus herbipolensis episcopus, qui redditus assignatos venerabili dominae, sorori Adelheidi de Hiltenburc, consanguineae suae, pro villis Stocheim et Quienvelt ab ipsa recuperatis immutaverat, eidem villas Hochheim et Vzenheim assignat, si de bonis destinatis defectum haberet.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Omnibus presens scriptum intuentibus uolumus esse notum, quod pro recuperandis antiquis ecclesie nostre bonis, villis scilicet Stocheim

et Quienuelt, que venerabili domine sorori Adelheidi de Hyldenburc, consanguinee nostre, proprietatis titulo quondam pro castro Hildenburc, quod ab ea emeramus, per nos fuerant assignate, ad commoditatem tam ecclesie nostre, quam ipsius domine utili permutatione prouisum est, vt uillis eisdem ab ipsa nostris usibus restitutis, estimationem octoginta talentorum herbipolensium, que pro predictis possessionibus annuatim recepit, ei de aliis bonis nostris eodem proprietatis iure et tytulo rependamus. Assignamus autem ei unacum capitulo nostro, de cujus consilio ac uoluntate tractatus presens habitus est, de bonis nostris aput Curna centum uiginti maldra siliginis, viginti maldra auene, Espenuelt duodecim modios tritici, item in domo noua, ubi panis uenditur, quadraginta talenta, Randesacker viginti talenta, Espenuelt quatuor talenta et dimidium. Recognoscimus eciam et presentibus protestamur, quod quicquid iuris capitulum maioris ecclesie et fratres de domo teuthonica in bonis predictis habuerunt, idem per omnia in bonis, que nunc eidem domine assignamus, habebunt ita quod post mortem ipsius domine sexcentas marchas minus decem marcis habebit capitulum maioris ecclesie, fratres uero de domo theutonica centum marcas pro se recipiant de eisdem bonis et pro monasteriis centum et decem marcas. Siue autem predicta domina religionem intrauerit, siue in eodem statu permanserit, aut ubicumqe uoluerit manere, omnia predicta sibi usque ad mortem inuiolabiliter rata manebunt. Si uero aliquo casu inopinato predicta consanguinea nostra in domo predicta aut in aliis redditibus sibi assignatis defectum haberet, assignauimus sibi uillas nostras Hochheim et Vzenheim, ad quas respectum habebit, quousque de bonis sibi assignatis certum canonem recipere possit. Vt hec firmitatis robur obtineant, presentem cartulam exinde conscriptam sigillorum nostri et sepedicti capituli nostri iussimus munimine roborari. Actum Wirceburc anno domini M° CC° quiquagesimo, IIII° idus Augusti, indictionis octaue, pontificatus nostri anno vicesimo quinto [1]. In presencia testium subscriptorum: Marcwardi prepositi, Arnoldi decani, Burcardi scolastici, Conradi cantoris, Gysonis prepositi de Howge, canonicorum maioris ecclesie, fratris Alberti preceptoris domus Tewthonicorum, fratris Alberti de Boten-

lowben, Hermanni decani, Eberardi scolastici, Wernheri scriptoris canonicorum noui monasterii, Johannis sculteti curie nostre, Conradi Torsonis dapiferi, Marcwardi Orphani camerarii nostri et aliorum multorum.

Appendent duo sigilla laesa.

[1]) Notae chronologicae: „IIII. idus Augusti, indictionis octave, pontificatus nostri anno vicesimo quinto“ in charta bis scripta sunt.

CCCIX.

Anno 1250., 16. Augusti, apud Montes.

Petrus episcopus albanensis, apostolicae sedis legatus, universis ecclesiarum capitulis provinciae maguntinensis inhibet, ne ad electionem episcoporum absque suo consilio et assensu procedere attemptent.

Petrus miseratione diuina episcopus albanensis, apostolice sedis legatus, vniuersis ecclesiarum capitulis prouincie maguntinensis salutem in domino. Presentium uobis auctoritate districtius inhibemus, ne ad electionem episcoporum ecclesiarum uestrarum, cum eas pastorali cura uacare contigerit, absque nostro consilio et assensu procedere aliquatenus attemptetis. Nos enim, si aliquid contra inhibitionis nostre tenorem ab aliquo fuerit attemptatum, illud exnunc decernimus irritum et inane. Datum apud Montes, XVII. kalendas Septembris, anno domini M°. CC°. quinquagesimo.

Sigillum periit.

CCCX.

Anno 1250., 23. Septembris, in Hettenstat.

Hermannus herbipolensis ecclesiae episcopus maioris ecclesiae canonicis legat decimam lacus in Etheleiben, tali modo, ut consanguinei sui Albertus archidiaconus et Otto custos, ipsam iure haereditario possint possidere, et uni canonicorum transferre.

Nos dei gratia Hermannus herbipolensis ecclesie episcopus notum facimus vniuersis presentem paginam inspecturis, quod nos dominis nostris maioris ecclesie canonicis legamus decimam lacus nostri in Etheleiben pro nostrorum remedio peccatorum per talem modum, quod consanguinei nostri Albertus archidiaconus et Ottho custos ipsius ecclesie canonici de ipsa decima debeant dominis respondere et eam in eadem ecclesia iure hereditario possidere, ita quod ius [1]) eiusdem decime, quod nos transferimus in eosdem, legare ualeant uni canonicorum ipsius ecclesie, cui velint. Ipsi quoque et eorum in ipsa decima successores in die beati Dominici seruire debent fratribus ordinis predicatorum in piscibus circiter decem solidatas uel decem solidos denariorum pro piscibus eis dabunt; eodem modo in die beati Francisci fratribus minoribus de decem solidatis piscium uel decem solidis seruietur. Quo talento deducto predicti consanguinei nostri et eorum in ipsa decima successores medietatem decime pro suis expensis et laboribus retinebunt et aliam medietatem in usus dominorum conuertent, prout melius uidebitur expedire. Quoniam autem nichil adeo debetur hominibus, quam ut supreme uoluntatis eorum liber sit stilus, ne huiusmodi pia ordinatio nostra in posterum valeat inmutari, in obliuionis exterminium presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum in Hettenstat, anno gratie M°. CC°. quinquagesimo, VIIII. kalendas Octobris, indictionis octaue, pontificatus nostri anno XXVI.

Sigillum laesum appendet.

[1]) In charta „quod ius“ bis scriptum est.

CCCXI.

Anno 1250., mense Decembris.

Cunradus de Rickenberch et uxor sua Irmingardis, consensu filiorum suorum Johannis et Ludwici, Hermanno episcopo herbipolensi vendunt dimidietatem castri Wernecke.

Nouerint uniuersi huius pagine inspectores, quod ego Cvnradus de Rickenberch et vxor mea Irmingardis accedente consensu filiorum nostrorum Johannis et Ludvici dimidietatem castri Wernecke cum suis attinentiis, manu coadunata, uendidimus venerabili domino nostro Hermanno herbipolensi episcopo et ecclesie sue titulo proprietatis in perpetuum possidendum, promittentes sibi et sue ecclesie de parte eiusdem castri et de aliis bonis sibi uenditis prestare warandiam abundantem. In cuius rei testimonium presentem litteram exinde conscriptam sigillo nostro, quo utebamur, fecimus communiri. Actum anno domini M°. CC°. quinquagesimo, mense Decembris, indictione VIIII^a., pontificatus prefati domini Hermanni herbipolensis episcopi anno vicesimo sexto.

Sigillum fractum appendet.
Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 414 Nr. LIV.

CCCXII.

Anno 1250., 17. Decembris, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus, qui in emptione medietatis castri Werneck Cunrado de Richenberc et Irmingardi uxori eius proventus praebendae Cunradi de Swarcenberc, propter infirmitatem continue absentis, pro centum marcis argenti ad dies vitae assignaverat, dicto Cunrado et illis, qui eidem in hac praebenda succedent, singulis annis XV libras herbipolensis usualis monetae ex domo, in qua panis venditur, persolvendas dare promittit.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus vniuersis presentem paginam inspecturis salutem in domino Jehsu Christo. Cum

decus ecclesie non debeat diminui sed cumulari pocius et augeri, ne vnde placari deberet, dominus irascatur, nos considerata utilitate ecclesie nostre, ad cuius sollicitudinem dominus nos uocavit, cauere uolentes, ne forte, quia medietas castri Werneke exponebatur venalis, quod quasi in medio terminorum ecclesie nostre situm est, alius emeret, ex qua empcione ecclesie nostre varie possent in futurum exsurgere lesiones, medietatem eiusdem castri emimus cum omnibus bonis et iuribus eidem pertinentibus a Cunrado de Riechenberc et Irmigardi uxore sua pro quadringentis marcis argenti, nec poterat alias contractus venditionis et emptionis huius consumari, nisi prouentus vnius prebende in maiori ecclesia ciuitatis nostre darentur eisdem. Quare nos, ne huius ecclesie nostre commodum prouide inchoatum intermitti contingeret, quia tunc temporis nulla in ecclesia nostra prebenda vacabat, de consilio et voluntate prepositi maioris, decani et capituli nostri predicto Cunrado et vxori sue prebendam Cunradi de Swarcenberc, qui propter infirmitatem, qua tenetur, continue cogitur esse absens, assignauimus pro centum marcis argenti ad uite ipsorum tempora possidendam. In cuius prebende restaurum eidem Cunrado dabimus singulis annis XV libras herbipolensis usualis monete, que de domo ciuitatis nostre, in qua panis venditur, certis et distinctis temporibus persoluentur. Et quia quidam recepti in predicta ecclesia nostra sunt expectantes qui, predicto Cunrado de Swarcenberc subblato de medio, deberent succedere in prebenda, quorum periculo et indempnitati cavere intendimus in hac parte decernimus, vt illi, qui sepedicto Cunrado de Swarcenberc succedent, uiuentibus predictis C. de Richenberc et uxore eius, qui, sicut expressum est, prebendam ad tempora uite sue percipient, predictis XV libris pro prebende perceptione annua sint contenti. Sepedictis vero Cunrado de Richenberc et uxore sua sublatis de medio, ille, qui pro tempore dominorum loco perceptionis prebende XV libras receperit, quemadmodum superius est expressum, prebendam suam recipiet modo et ordine consueto et ipsarum XV librarum solutio ad nos vel ad successores nostros libere reuertentur, decernentes, vt in assignatione prebendarum XV librarum Cunrado de Swar-

cenberc sublato de medio, in obseruacione anni gratie et anni fabrice consuetudo seruetur, que in ecclesia nostra consueuit decedentibus dominis obseruari. Et quia ea, que inter presentis temporis homines digna memoria contrahuntur, sic sunt scriptis et sigillorum appensionibus roboranda, ne per obliuionis exitium excedant scientiam futurorum, in obliuionis exterminium presentem paginam conscribi fecimus et sigillis nostro et capituli roborari. Datum Herbipoli, anno gratie M°. CC°. L°., XVI°. kalendas Januarii, indictione VIIII., pontificatus nostri anno vicesimo sexto.

Fragmenta sigillorum appendent.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 412 Nr. LIV. a.

CCCXIII.

Anno 1250., mense Decembris.

Heinricus abbas tharisiensis Hermanno episcopo herbipolensi silvam Eichilbůl, quam idem ab heredibus Thimonis de Vrheim absolverat, cum aliis bonis in Branberch et Silbach ipsi venditis, proprietatis titulo tradit.

Heinricus abbas, prior et conuentus tharisiensis monasterii vniuersis Christi fidelibus notum esse uolumus, quod cum Thimo de Vrheim multo tempore siluam quandam dictam Eichilbůl a nostra possedisset ecclesia, que post mortem eius nequaquam redire potuit ad usus nostros propter heredes, quos dimiserat, nos ipsam siluam domino nostro Hermanno herbipolensi episcopo, qui eam ab heredibus premissis absoluerat pro quadam summa pecunie cum aliis bonis sibi uenditis, videlicet duobus mansis in Branberch et uno manso in Silbach titulo proprietatis tradidimus in perpetuum possidendam, promittentes sibi et suis successoribus de silua eadem atque bonis premissis de nostro monasterio prestare warandiam

abundantem. In cuius rei testimonium presentem litteram exinde conscriptam sigillis nostro et conuentus nostri fecimus communiri. Actum anno domini M. CC. L., mense Decembris, indictione VIIII., pontificatus domini Hermanni herbipolensis episcopi anno vicesimo sexto.

Sigillum Heinrici abbatis appendet.

CCCXIV.

Anno 1251., 10. Martii.

Hermannus herbipolensis episcopus ratum habet, quod Otto de Lobdeburg archidiaconus vineam officio custodiae attinentem et in monte sanctae Mariae sitam, pro duobus iugeribus vineti, sitis infra superiorem et inferiorem viam versus Randisacker, commutet.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus ... notum esse uolumus uniuersis tam presentis quam futuri eui fidelibus, quod cum dilectus consanguineus noster Otto de Lobdeburg ecclesie nostre archidiaconus atque custos haberet uineam fere de tribus iugeribus sitam in monte sancte Marie castri nostri, officio sue custodie attinentem, que tam propter habitatores eiusdem castri nostri, quam propter sterilitatem agrorum minus utilis sibi foret, supplicauit nobis humiliter et deuote, quatinus eandem uineam sibi liceret cum Ottone de Espinuelt fideli nostro pro duobus iugeribus uineti sitis infra superiorem et inferiorem uiam, que ducit uersus Randisaker, commutare. Nos uero considerantes utilitatem, quam custodia ecclesie nostre ex eo potest recipere, ipsam commutationem, sicut est rite et rationabiliter facta, de consensu capituli nostri, tam per ipsum custodem quam per Ottonem de Espinuelt premissum et uxorem eius Luchardim ratam habere uolentes, eam auctoritate presentium confirmamus, adicientes eadem duo iugera custodie nostre, et predictam uineam in monte sancte Mariae sitam Ottoni de Espinuelt

et suis heredibus in perpetuum pertinere... Et ut hec inuiolabiliter obseruentur presentem paginam exinde conscriptam sigillis nostro et nostri capituli ac sepedicti Ottonis militis iussimus communiri. Actum anno dominice M. CC. quinquagesimo primo, VI° idus Martii, indictione VIIII[a], pontificatus nostri anno vicesimo sexto.

Appendent tria sigilla, laesa.

CCCXV.

Anno 1251., mense Martii, apud Wirceburg.

Hermannus herbipolensis episcopus, decem et octo mansos in Bibelriet, quos Fridericus comes de Castele ab ecclesia herbipolensi in feodo possederat, et fratribus hospitalis S. Johannis iherosolimitani in Herbipoli vendiderat, eisdem fratribus, acceptis in restaurum a comite praedicto duobus allodiis et septem iugeribus vinearum in Schernauwe et quatuor mansis in Vruelt, confirmat.

I. n. s. e. i. t. a. Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus vniuersis Christi fidelibus in perpetuum. Nouerint.. tam presentis, quam futuri eui Christi fideles, quod cum fratres hospitalis sancti Johannis iherosolimitani in Herbipoli a Friderico uiro nobili, comite de Castele uniuersa bona sua, que habuit in Bibelriet sita, in agris, pratis, vineis, siluis, pascuis, piscinis, uiis et inuiis et omnibus aliis ibidem ad eum spectantibus emptionis titulo comparassent, et de ipsis bonis decem et octo mansos idem comes a nobis in feodo possideret, ad ipsius comitis peticionem honestam nec non et fratrum prefati hospitalis, facta nobis recompensatione condigna et restauro sufficienti a comite prenotato in bonis suis, scilicet in Schernauwe duobus allodiis et septem iugeribus uinearum ibidem et quatuor mansis in Vruelt, emptioni facte assensum liberum adhibemus et eam scripti nostri presentis patrocinio communimus,

statuentes nichilominus de consensu nostri capituli predictos mansos et quicquid in Bibelriet memoratus comes a nobis nomine feodi possidebat, necnon et ea, [que] [1]) ibidem iure proprietatis habebat, fratribus pretaxatis deinceps in proprietatem liberam et solutam in perpetuum attinere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis seu statuti infringere uel ei ausu temerario contraire.; omnem eciam calumpniam, quam iidem fratres super eisdem bonis possint in posterum por obliuionis incommoda aut a nostris successoribus aut a dominis nostri capituli uel ab heredibus sepedicti comitis sustinere, plene amputari uolentes, presentem litteram exinde conscriptam sigillis nostro, nostri capituli et pretaxati Friderici comitis iussimus communiri. Testes huius rei sunt: Arnoldus decanus maior, Hermannus decanus noui monasterii, Burchardus de Ebersperch scolasticus, Gunradus de Lůterberch cantor, Otto de Lobdeburg custos, Otto de Lůterberch, Iringus de Hohenburg canonici maioris ecclesie, Sifridus plebanus maior, Otto plebanus in Sande, Wernherus scriptor, Theodericus notarius, canonici noui monasterii; laici: Fridericus comes de Clettenberch, Fridericus de Krense, Otto de Espenuelt, Otto Wolueskel, Johannes Hofscholteize, Henricus pincerna, Cunradus Torso dapifer, Theodericus de Oppherbein, Wolframus de Witoldeshusen, Henricus Pinguis ultra Mogum, Bruno Duenac et alii quamplures. Actum apud Wirzeburg, anno domini MCC quinquagesimo primo, mense Martii, indictione VIIII., pontificatus nostri anno vicesimo sexto.

Es sigillis quondam appensis tantum illud Hermanni episcopi superest.

[1]) Charta hic perforata est.

CCCXVI.

Anno 1251., 10. Maii.

Ramungus de Kamersteine, pro acceptis octoginta libris herbipolensium denariorum, ecclesiae herbipolensi bona sua propria in Vgenowe jure proprietatis possidenda tradit, eademque iure feodali recipit.

Vniuersis presentem paginam inspecturis ego Ramungus de Kamersteine notum facio, quod pro eo, quod dominus meus herbipolensis episcopus octoginta libras herbipolensium denariorum liberali munificentia michi dedit, ego sue gratie uolens, quibus ualeo meritis respondere, bona mea in Vgenowe, que sunt mea mera proprietas, cuius uille redditus ad decem libras usualis monete certorum reddituum estimantur, ecclesie herbipolensi dedi iure proprietario possidenda. Ipse uero episcopus eadem bona michi contulit iure et tytulo feodali. In cuius rei testimonium presentem paginam conscriptam sigillo meo roboraui. Datum anno gratie M. CC. L°. primo, VI°. Idus Maii, indictionis nono.

Sigillum laesum appendet.

CCCXVII.

Anno 1251.

Otto de Luterberc, Heinricus Cremesarius et Bertoldus de Sterenberc canonici maioris ecclesiae herbipolensis, consensu capituli per manum Arnoldi decani capellam in Bibelrieht, quae ex possessione oblationis in Westheim ad patronatum suum pertinet, fratribus hospitalis ierosolimitani in Wirzeburc conferunt, qui ipsis exinde tria maldra tritici et archidiacono maldrum unum singulis annis dabunt.

I. n. d. a. Otto de Lvterberc, Heinricus Cremesarius et Bertoldus de Sterenberc canonici maioris ecclesie

herbipolensis vniuersis Christi fidelibus salutem in salutis auctore. Iniquitatis susspicium tollitur, cum res gesta scripti serie solidatur. Protestamvr itaque tenore presencium et fatemur, nos de consensu capituli nostri et per manvm domini Arnoldi decani nostri cappellam in Bibelrieht, que ex possessione oblationis in Westheim, quam nvnc habemvs, ad nostrum patronatum cum attinenciis suis omnibus noscitur pertinere, fratribus hospitalis ierosolimitani in Wirceburc [1]) contulisse, ad nos quo iure huc vsque spectabat, ipsi vero fratres nobis exinde tria maldra tritici et archidiacono suo maldrnm vnum singulis annis dabvnt, et de cetero dicte capelle in divinis prouidebunt, sicvti eis uidebitur expedire. Nulla nobis aut archidiacono precariarum sive exactionum in sacerdotes prefate cappelle habita potestate, excepto eo, quod sacerdotes eiusdem loci svo archidiacono debitam sinodalem reuerenciam conseruabunt. Ad huius rei confirmationem et veritatis testimonivm conprobandvm presentem litteram fratribus prelibatis decani nostri nominati sigillo et nostris sigillis tradidimus roboratam. Actum anno domini millesimo dvcentesimo qvinquagesimo primo, indictione nona.

Appendent quatuor sigilla, ex quibus secundum et quartum laesa sunt.

[1]) Charta: „Wirzebruc“.

CCCXVIII.

Anno 1252., 2. Martii.

Hermannus herbipolensis episcopus et nobilis vir Godefridus de Hoenlo de iuribus in villa Heitingesvelt inter sese conveniunt.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod cum inter nos et virum nobilem Godefridum de Hoenlo dissensio verteretur super iuribus nostris, que nobis et sibi cedunt de villa Heitingesuelt, nos et idem

nobilis ad testimonium quorundam veridicorum eadem iura conmisimus promittentes hinc inde in animas nostras, quod neque nos neque idem nobilis nullatenus offendamur contra aliquem, qui super eo testimonium dixerit veritatis. Nos episcopus conmisimus relationem iurium nostrorum Sibotoni Hokero, Cunrado de Geroldishusin, Rapotoni, Sifrido filio Kovfmanni, Conrado Tripiltrej, Hermanno Losin, Conrado Boemo, Gothefrido Gruben, Gotheboldo Crepphil et Heinrico Schepiz. Dictus vero nobilis conmisit relationem iurium suorum Heinrico de Bochprunin, Markolfo, Friderico de Vrhusin, Wolvelino, Bertholdo filio Hermannj, Bertholdo Lezin, Heroldo de Geltersheim, Friderico fratris comitis, Rvkero filio Reinhardi, Reinhardo de Stolzinberch, Billungo filio aduocatisse. Qui omnes tam ex parte nostra, quam ex parte dicti nobilis jurati dixerunt, quod nos et idem nobilis quilibet nostrum unum habeat custodem silue, qui prestito iuramento accusent accusanda coram judice nostro. Item quilibet nostrum habere debet vnum licentiatorem silue. Item quilibet nostrum habere debet vnum magistrum ciuium. Item quilibet nostrum habere debet vnum flurschuzin, qui accusabunt accusanda et jurabunt fidelitatem coram judice nostro. Piscatores seruient equo seruitio nobis et sibi, et stabunt juri vtrobique. Item omnes zuphtarii stabunt iuri coram iudice nostro. Item facient omnes vendentes et ementes. Item nostri iudices et thelonarii nullum interdicent in bonis dicti nobilis curie attinentibus, nisi fuerit de licentia sui scoltheti. Item bechsniter, qui sunt messores, vbicunque habeant residentiam, seruient nobis et facto seruitio, non petetur aliquid ab eis preterquam in festo Michaelis, nisi adeo diuites fuerint, quod minor petitio relaxetur eisdem. Item quamcunque fecerimus precariam in vino vel in denariis, talem et similem recipiet idem nobilis, et nostra precaria precedet suam. Item recipient nos ciues in hospitio cum hominibus nostris absque numero. Ipsum autem non recipient, nisi cum quatuor militibus et eorum seruientibus et ministrabunt ei cenam et prandium vnum, et pabulum nocturnale. Item siquis emerit len de curia, que vronhof dicitur, et ante emptionem precariam non

dedit, nulla precaria ex parte nostra petetur ab ipso; si autem ante emptionem nobis precariam dedit, petemus ab ipso precariam. Item, qui vendiderit len suum vel resignauerit, dictus nobilis nichil juris habeat circa ipsum, nisi sit proprius eius, neque et nos quin prouentus fuerit in precaria nostra, vel fecerit aliquod promissum judici nostro. Item freuela est nostra in villa et in campis exceptis, que fiunt in bonis vronehoue attinentibus. Si autem aliquis de eisdem bonis vrevelam fecerit, judex noster deponet querimoniam in curia, et ipse satisfaciet secundum jus cvrie illius. Si vero aliquem occiderit, vel lemedam fecerit, nobis satisfaciet ad gratiam nostram. Item facient nostri dicto nobili vel illi, qui curiam ipsam habet. Item siquis alium verberauerit vel vulnerauerit absque lemeda, hinc inde coram suo judice conueniatur et satisfactio suo judici persoluatur, nec judex aliqua precludat eidem, nisi ipsum inueniat contumacem. Item si aliqui ex nostris duxerint vxores de cvria nullam nobis facient emendam, neque homines dicti nobilis, si nostras duxerint in vxores. Item si aliquis extraneus existens servus apud Hetingesvelt vxorem duxerit de cvria, nulla seruitia faciet domino suo, quamdiu vxor sua vixerit. Item censuales curie, qui len non habent, si masculi fuerint, quilibet soluat solidum, si femina sex denarios. Si quis eorum decesserit, possesor cvrie nichil juris habeat in bonis suis, nisi vestem suam superiorem. Item si aliquis depauperabitur, quod nobis precariam soluere non potest, curia sua neque per scolthetum, neque per aliquem destruetur, set de curia ordinabitur per scolthetum nostrum, quam habeamus precariam moderatam secundum quod illi jurati duxerint statuendam. Item nulla dabitur precaria de vineis set de curiis. Item siquis violauerit vnitatem, penam pariter tollent scoltheti, si voluerint; sin autem vterque scolthetus tollat penam de hominibus sui domini. Itaque de pena due partes sibi cedant et tercia ciuibus. Pecora omnia, que tolluntur in campis nomine pignoris, presentabuntur scoltetho nostro et scoltetus noster restituet ea ad petitionem scoltheti dicti nobilis, que fuerint hominum suorum. Fures et raptores, sev pacis violatores presentabuntur cum bonis apud ipsos deprehensis scoltheto nostro, etiam si ad bona dicti nobilis se transtulerint fugiendo. Acta sunt

hec coram Hermanno decano noui monasterii, Ottone de Espenvelt, Marquardo Orphano, Ottone de Gnozestat et aliis quam pluribus. Anno gratie M°· CC°· quinquagesimo secundo, sexto nonas Martii, pontificatus nostri anno vicesimo septimo.

Sigillum Hermanni episcopi appendet.
In margine dextra chartae pedes literarum verbi „Cirographum" apparent.

CCCXIX.

Anno 1252., 1. Maii.

Hermannus herbipolensis episcopus Conrado dapifero, dicto Therso, pro centum et viginti marcis argenti obligat curiam suam, quae comitis Eckehardi appellatur, castrumque Rothebur.

Hermannus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus. Recognoscimus et litteris presencium protestamur, quod cum super quadam solucione cuiusdam pecunie essemus grauiter impediti, et non haberemus vnde ipsam pecuniam redderemus in presenti absque amissione hereditatis nostre, Conradus dapifer noster dictus Thorso nobis in eo sicut sua fidelitas requirebat conpaciens, centum et viginti marcas argenti legalis venditis desuper et obligatis bonis suis nobis mutuo accredidit et concessit. Nos autem dignis meritis super eo ipsum prosequentes, et sue indempnitati cauere volentes obligauimus sibi curiam nostram in Herbipoli, que curia Comitis Eckehardi appellatur, et castrum Rothenbur cum omnibus suis attinentiis pro pecunia memorata sub tali forma, quod si ipsam pecuniam sibi non solueremus ante festum epiphanie domini proximum, quod occurret, ipse et vxor eius, nati sui ac heredes eandem curiam et castrum memoratum tanto tempore titulo pignoris possideant, quo usque per nos vel per nostros successores pro dicta pecunia absoluantur. In cuius rei testimonium presentem litteram conscriptam sigillis nostro et nostri capituli iussimus conmuniri. Testes: Marquardus prepositus, Arnoldus decanus, Otto custos, Albertus de Lobdeburc, Boppo de Trimperc, Bertholdus de Sterenberc, Conradus de Rothenbur, canonici maioris ecclesie nostre; Hermannus decanus, Eberhardus scolasticus, Wernherus scriptor, Theodericus notarius, canonici noui monasterii. Actum apud Herbipolim, anno gracie M°· CC°· quinquagesimo secundo, kalendis Maii, pontificatus nostri anno vicesimo septimo.

Fragmenta sigillorum appendent.

Editum in Wegele der Hof zum Grafen-Eckart, p. 28., Nr. 7. et ex regesto in Lang R. B. Vol. II. p. 431; sed in ambobus locis erronee sub anno 1250, 30. Aprilis.

CCCXX.

Anno 1253., 1. Martii.

Heinricus eistetensis episcopus ecclesiae herbipolensi confert bona ecclesiae suae in Bernrode, a viro nobili Manegoldo de Wiltberg resignata, et pro recompensatione a dicto nobili villam Buchprunne recipit.

Heinricus dei gracia episcopus eistetensis vniuersis Christi fidelibus in perpetuum. Vt in nostris gesta temporibus perpetue stabilitatis robur obtineant et nasciture posteritatis memoriam attingant, solet litterarum memoria eternare. Ea propter presens scriptum declarat presentibus pariter et futuris, quod nos ex consensu capituli nostri omnia bona ecclesie nostre in villa Bernrode cum suis attinentiis cultis et incultis, que viri nobiles M. de Wilperch et sui filii a nobis et ab ecclesia nostra in dyocesi herbipolensi in feodo possidebant, damus et offerimus ecclesie herbipolensi titulo proprietatis in perpetuum libere possidenda. Recepto nichilominus restauro equeualenti, villam videlicet Buhprunne, que erat proprietas virorum nobilium predictorum, quam a nobis in feodo receperunt. Nos igitur omnem calumpniam, quam ecclesia herbipolensis super nostra donatione posset in posterum per obliuionis incommoda sustinere, plene amputare volentes, presentem paginam exinde conscriptam, sigillis nostro et capituli nostri fecimus insigniri. Testes autem, qui interfuerunt sunt hii: Hiltbrandus de Mern, archidiaconus eistetensis, H. de Grumingen canonicus eistetensis, Cunradus custos, Heinricus notarius domini episcopi, canonicus herridensis et alii quam plures. Actum anno domini millesimo CC^{mo} quinquagesimo tertio, kalendis Marcii.

Sigilla laesa appendent.

CCCXXI.

Anno 1253., mense Octobri, aput Herbipolim, in monte sanctae Mariae virginis.

Hermannus herbipolensis episcopus villam Blintinhasela, quam Fridericus de Beigerbach ab ipso in feodo habebat, et monasterio halsprunensi vendebat, eidem monasterio proprietatis titulo confert, recepto restauro sex mansorum in Rintbach et duorum mansorum in Cråberc.

Hermannus dei gracia herbipolensis episcopus. Ut in nostris gesta temporibus perpetue stabilitatis robur obtineant et nasciture posteritatis memoriam attingant, solet litterarum memoria eternare. Ea propter presens pagina declarat presentibus pariter et futuris, quod, cum Fridericus de Beigerbah fidelis noster vendidisset villam Blintinhasela, quam a nobis habebat in feodo, monasterio halsprunensi ordinis cysterciensis eistetensis dyocesis, supplicauit nobis humiliter et deuote, quatinus ipsam villam proprietatis titulo dicto monasterio conferremus. Nos vero precibus suis benignum inpercientes assensum recepto restauro videlicet sex mansorum in Rintbach et duorum mansorum in Cråberc ac assumpta resignacione ville eiusdem manu coadonata Hedewigis vxoris sue, eam premisso monasterio proprietatis titulo contulimus pleno iure. Omnem igitur calumpniam, quam idem monasterium in ipsa villa posset in posterum per obliuionis incommoda sustinere, plene amputare volentes presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro iussimus insigniri. Testes: Albertus de Sterenberc, Fridericus de Scheigevelt, Otto Wolfeskel, Otto de Espenvelt, Marquardus Orphanus, Bertholdus de Heitingesvelt, Heinricus de Ittinheim et alii quam plures. Actum apud Herbipolim in monte sancte Marie virginis anno gracie MCCLIII., mense Octobri, pontificatus nostri anno vicesimo nono.

Capitulum maioris ecclesiae venditionem et collationem eiusdem villae speciali documento confirmabat.

CCCXXII.

Anno 1253., mense Octobris.

Hermannus episcopus herbipolensis altare novum prope altare S. Georgii parrochiale, in parte dextra ante summum maioris ecclesiae chorum in honorem sanctorum martirum Mathei apostoli, Mauricii, Dyonisii, Katherinae et Mariae Magdalenae constructum, variis dotat proventibus.

Hermannus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod nos altare nouum prope altare sancti Georgii parrochiale in parte dextera locatum ante chorum nostrum summum, in honore sanctorum Mathei [1]) apostoli, Mauricii, Dyonisii, Katherine, necnon et Marie Magdalene [2]) construximus, capituli nostri ac prelatorum nostrorum consilio accedente, quod de ipsorum consensu bonis dotauimus subnotatis, videlicet sex apothecis sub palacio nostro sitis, soluentibus sex libras denariorum nostre monete pro tempore usualis; vna camera eisdem apothecis adiacente; quinque iugeribus vinearum in Randisacker, et domo noua in foro constructa, in qua pannus lineus exponitur ad uendendum. Dedimus insuper eidem altari dotis nomine Henricum pellificem de Karlestat cum omni sua progenie, que potest de ipso et sua progenie propagari, eo iure, quod quiuis pro sua persona eidem altari annuatim libram cere persoluat. Idem uero Henricus pellifex pro reuerentia tantorum patronorum suorum, quibus eum contulimus, vnum mansum in Karlbach [3]), quinque soluentem solidos annuatim de nostra coniuentia altari sepedicto contulit pleno iure. De omni uero dote supradicta persona, que a nobis uel a nostris successoribus eidem altari pro tempore fuerit instituta, dabit in nostro anniuersario ecclesie nostre maiori duas libras denariorum, in Hauge [4]) et ad Nouum duas libras, per eandem personam inter presentes diuidendas. Dabit insuper monasteriis sancti Burchardi decem solidos denariorum, sancti Stephani decem solidos, sancti

Jacobi quatuor uncias, sancte Afre IIII^or^ uncias, superiori Celle IIII^or^ vncias, inferiori Celle IIII^or^ vncias, sancte Agneti quadraginta denarios, sancte Marie Magdalene quadraginta denarios, Paradyso in Heitingsuelt [5]) quinque solidos et Celi porte quinque solidos. Insuper propinabit canonicis maioris ecclesie nostre et vicariis in festiuitatibus Mathei [1]), Michaelis, Mauricii et Dyonisii, secundum consuetudinem approbatam. Volumus eciam et statuimus, ut per eum, qui eidem altari prefuerit, coram ipso altari lumen perpetuum secundum chori consuetudinem in lampade ministretur, et celebret uel celebrari faciat omni feria secunda in ipso altari missam animarum in memoriam pontificum et omnium fidelium defunctorum. Vt autem omnia hec prelibata robur habeant firmitatis, scripta est in testimonium presens littera et sigillis nostro ac capituli nostri diligentius roborata. Actum anno domini M^o^. CC^o^. LIII°., mense Octobris, indictione XII., pontificatus nostri anno vicesimo nono.

Extant duo exemplaria. B. habet: [1]) „Mathie", [2]) „Maidalene", [3]) „Karbahc", [4]) „Houge", [5]) „Heitingisuelt".

CCCXXIII.

Anno 1254., 9. Januarii.

Cleri herbipolensis confoederatio contra libertatum suarum violatores.

Prepositi, abbates, decani, prelati, ceterique conventualium ecclesiarum canonici herbipolenses. Sunt, quod dolentes dicimus, plures dei timore postposito, qui ecclesiarum et cleri libertatem violant et quod deterius est, viros ecclesiasticos capiunt, vulnerant, occidere non verentur. Nos hiis malis occurrere volentes, cum in tantis delictis culpa sit relaxare vindictam prouida deliberatione communi consilio statuimus, ut quicumque predictorum contra aliquem clericum commiserint, cum huiusmodi sacrilegi ipso facto in canonem late sententie incidant, quilibet prelatus tales in ecclesia sua singulis diebus domi-

nicis et festiuis in ambone publice denunciet excommunicatos. Ita vt iniuria vni persone uel ecclesie illata omnibus reputetur esse factam et illam usque ad condignam satisfactionem communiter et expensis communibus prosequemur. Statuimus eciam, ut si aliquis prelatorum uel canonicorum ciuitatis herbipolensis captus fuerit, eadem die postquam nobis hoc pro certo constiterit, omnes cessabimus a diuinis tam in ecclesiis conuentualibus quam in parrochiis et capellis, tam in ciuitate, quam in suburbiis. Si uero aliquem prelatorum uel clericorum aut certum habentem [1]) beneficium extra ciuitatem commorancium in dyocesi herbipolensi capi contigerit, aut eciam aliquem ex canonicis ciuitatis, vnde viuere debeat, suis prouentibus spoliari, nisi infra octo dies a tempore ammonicionis cum debita satisfactione clericus dimissus fuerit aut spolium restitutum, per totum archidiaconatum, in quo detinetur clericus captiuus aut spolium deductum, cessetur a diuinis et specialiter locus, in quo malefactores domicilium habuerint uel receptaculum, subiaceat ecclesiastico interdicto secundum statuta concilii maguntini, apostolice sedis et legatorum suorum auctoritate semper salua. Preterea statuimus, ut nullus nostrum beneficium alterius recipiat, nisi ei esset per iudicem ordinarium legitime abiudicatum. Hoc eciam adiicimus, ut si aliquis villicorum consuetudinem antiquam et approbatam de captiuis dimittendis in sollempnibus processionibus infregerit, communiter cessabimus a diuinis nec illa resumemus nisi ille ab officio remoueatur. Irrefragabiliter eciam statuimus et promittimus, ut libertatem ecclesiarum ciuitatis omni diligencia, qua possumus, omni nisu et studio totoque posse et nosse tam pro personis ipsorum canonicorum, quam officiatis ac familia eorumdem communiter et communibus expensis et tam minimum, quam maximum in sua iusticia pro uiribus defendamus. Supradicta omnia fideliter seruanda et exequenda omnes ac singuli fide data et iuramento prestito nos obligauimus nec de cetero aliquis in fratrem capituli in ulla [2]) ecclesiarum ciuitatis herbipolensis recipiatur nisi fide data et iuramento prestito, ad eadem seruanda se obliget et astringat. Si quis uero in predictis transgressor aut temerarius contradictor inuentus fuerit, a consorcio fratrum penitus excludatur, donec per prelatos omnium ecclesiarum

ciuitatis herbipolensis restitui mereatur. Ut autem predicta omnia firmiter ab omnibus nobis obseruentur, presentem litteram exinde conscriptam [3]) maioris ecclesie et aliarum conventualium ecclesiarum sigillis fecimus communiri. Et singulis annis predicta statuta in synodo recitentur. Datum anno domini M°. CC°. LIIII°., V°. idus Januarii.

Exstant duo exemplaria.

B.: [1]) „habens“, [2]) „nulla“, [3]) „exinde conscriptam“ deest in B.

Ex unoquoque appendebant quondam duodecim sigilla; in A nunc deest undecimum, in B decimum.

CCCXXIV.

Anno 1254., 15. Februarii, Herbipoli.

Hermannus herbipolensis episcopus mansum aput Rieden a Wolframo et Sifrido fratribus, filiis Heidinrici de Rieden, in manus suas resignatum Rudegero de Offerbein jure haereditario concedit.

H. dei gracia herbipolensis episcopus confitemur et notum facimus, quod cum Wolframus et Sifridus fratres filii Heidinrici de Rieden mansum vnum aput Rieden pro se et suis fratribus et sororibus in nostris manibus resignassent, nos ad eorum instanciam mansum ipsum Rudegero de Offerbein et suis heredibus jure hereditario concessimus in perpetuum possidendum pro annuo censu et eo jure, quo habitus est huc usque idem mansus. Super quo presens scriptum sibi dedimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum Herbipoli anno domini MCCLIIII., XV. kalendas Marcii, Indictione XII., pontificatus nostri anno XXVIIII.

Sigilli pars superior adest.

CCCXXV.

Anno 1254., 4. Maii, Herbipoli.

Lis inter capitulum maioris ecclesiae herbipolensis et fratres domus teuthonicae in Hittenheim ob censum de bonis in Itolfsheim proborum virorum arbitrio deciditur.

Nos Marquardus dei gracia prepositus, Arnoldus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis notum esse uolumus vniuersis, hoc scriptum intuentibus, presentibus et futuris, quod, cum inter ecclesiam nostram ex parte una et fratres domus tevtonice in Hittenheim ex altera pro censu, quem nobis dare tenentur de bonis in Itolfsheim, lis et questio uerteretur, ea propter quod ipsi fratres eundem censum nobis dare longo tempore neglexerunt, accedente tandem utriuspue partis consensu commissa est ipsa lis proborum virorum arbitrio decidenda, videlicet dominorum Marquardi prepositi, Arnoldi decani, Cvnradi de Enkersperge portenarii et Iringi de Hohenburg nunc episcopi, promiseruntque partes ratum habere, qualitercumque iidem arbitri ipsam litem ducerent decidendam. Qui eam taliter deciderunt, videlicet, quod pro omni defectu prenominati census, qui neglectus est presentari, dabunt dicti fratres domus teuthonice Marquardo preposito supradicto sex talenta denariorum, Arnoldo uero decano duo talenta denariorum preter XXX denarios et sex maldra tritici. Quibus persolutis erunt iidem fratres ab omni impedicione, quam habere posset ecclesia nostra contra ipsos in posterum super prenominati census defectu, liberi et soluti ita sane, quod quicumque colonus residens fuerit in memoratis bonis apud Itolfsheim dabit ecclesie nostre de eisdem bonis censum debitum certis temporibus et seruicia debita, que alii sui commansonarii solent dare. Preterea quicunque colonus eorumdem bonorum fuerit, quandocumque idem domino iubente vniuerse carnis uiam ingressus fuerit, statim per eius mortem cedet ecclesie nostre optimum caput pecoris de manu mortua, sicut est

consuetudinis atque iuris. Vt autem omnia prelibata, sicut uerbotenus sunt expressa, robur habeant firmitatis, scripta est in testimonium presens littera et sigillis dictorum dominorum M. prepositi, A. decani et capituli maioris necnon et fratris Ingebrandi commendatoris domus teuthonice in Hittenheim diligentius roborata. Actum Herbipoli anno domini MCCLIIII., quarto nonas Maii, indictione XII., pontificatus dicti domini Iringi de Hohenburg anno primo.

Appendent quatuor sigilla.

In margine superiori chartae apparent apices literarum verbi „Cirographvm“.

CCCXXVI.

Anno 1254., 10. Maii, Asisii.

Innocentius papa IV. episcopo herbipolensi ad quaerimoniam capituli maioris ecclesiae mandat, quatinus parrochianos moneat, ne pro divinis audiendis et recipiendis, contemptis ecclesiis ad capitulum inmediate spectantibus, alienas ecclesias accedant.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei venerabili fratri .. episcopo herbipolensi salutem et apostolicam benedictionem. Lecta coram nobis grauis dilectorum filiorum .. prepositi, .. decani, archidiaconorum et capituli ecclesie herbipolensis querimonia continebat, quod licet in ipsa et aliis ecclesiis ad eos immediate spectantibus, ad audiendas parrochianorum ipsarum confessiones deputauerunt sacerdotes, qui egras mortalium mentes pia moderatione pro etate, sexu et uiribus ad salutem perducere diuina curatione nouerunt, nichilominus tamen ipsi parrochiani irrequisitis eisdem sacerdotibus, immo potius dampnabiliter uilipensis ad quosdam religiosos uelut apud ipsos resinam dumtaxat salutis inueniant se temere transferentes, opertos eis peccatorum nudant morbos, iniquitatis reuelant secretum

et uirus uitiorum in confessione depromunt, et quamquam iidem religiosi, cum non sint sui iudices, ipsos non possint soluere uel ligare, ymaginaria tamen quadam absolutione ipsis illudere ac nostre peregrinationis postmodum conferre uiaticum in suarum non uerentur dispendium animarum. Ex quo illud inconueniens euenit, quod celerem sibi parrochianus talis dampnationem inducit, qui non diudicans corpus Christi, ipsam a labe sic suscipit criminum non mundatus et sacerdos illi, apud quem pro tali parrochiano egroto animam suam defixit, non potest uultum ipsius ignorans, de illo dignam reddere rationem nec ei sue cure commisso salubria remedia parare, cum egritudinem suam eiusque circumstantias aliquatenus non agnoscat. Porro tamquam parum sit proprios taliter sacerdotes despicere nisi eorum ecclesie pariter contempnantur, iidem parrochiani sicut predictorum .. prepositi, decani, archidiaconorum et capituli habebat assertio, cum in prefatis ecclesiis tam in officiis diuinis quam sacre predicationis eloquiis aure deuotionis uocem sui deberent suscipere sacerdotis, ipsis ecclesiis contra sacrorum canonum statuta contemptis ad eorumdem religiosorum diuertunt ecclesias, predicta officia inibi pro sue uoluntatis arbitrio audituri, propter quod ipsis nichilominus religiosis; qui tales deberent presumptores abicere, eos cum graui aliorum iactura allicientibus, et ut fertur inducentibus ad premissa contingit predictos prepositum, decanum, archidiaconos et capitulum ac rectores ecclesiarum ipsarum solitis parrochianorum suorum oblationibus aliisque obuentionibus multipliciter defraudari. Ceterum adiecerunt iidem prepositus, decanus, archidiaconi et capitulum, quod si parrochianorum suorum nec non ecclesiarum earundem contingat in egritudinis lectum quemquam decidere, statim confluunt religiosi predicti et plerumque infirmum inuitatione preuenta sub pietatis specie uisitantes, ipsius testamentum componunt et ordinant, magno tandem ascribentes muneri, si executores mereantur ipsius fieri testamenti. Quid plura, blandis ipsorum infirmus illectus sermonibus, omissis auitis et paternis sepulcris, apud eos eligens sepeliri, ampla ipsis, predictis uero ecclesiis nulla uel modica legata largitur, et ut ex huiusmodi legatis prefati prepositus, decanus, archidiaconi et capitulum ac rectores predicti non possint ab eis canonicam exigere portionem,

interdum ipsa, ut creditur, non sine fraudis comento, ad fabricam et perpetuum diuinum cultum suarum ecclesiarum relinqui procurant. Verum cum per hec et alias ab ipsis religiosis memoratis preposito, decano, archidiaconis et capitulo ac prefatis rectoribus multiplices irrogatas iniurias ipsi mutilationem in suis beneficiis non modicam patiantur, fuit nobis ex parte ipsorum humiliter supplicatum, ut molestiis et iniuriis terminum dignaremur imponere supradictis. Nos itaque, qui cunctos Christi fideles et presertim regularis ordinis professores eo prouidentie studio gubernari cupimus, ut in eis curiosus etiam scrutator nichil inueniat nota dignum, ipsorum religiosorum fame, parrochianorum saluti et predictorum prepositi, decani, archidiaconorum [et capituli] [1]) ac rectorum predictarum [ecclesiarum . . . .] [1]) prouidere uolentes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos parrochianos, ne contemptis predictis ecclesiis pro diuinis audiendis officiis et recipiendis temporibus congruis ecclesiasticis sacramentis ad alienas accedant ecclesias, necnon et ipsos religiosos, cuiuscunque sint ordinis, ne in aliorum preiudicium parrochianos prefatos ad huiusmodi officia seu sacramenta recipiant, nec confessiones audiant eorumdem nisi petita prius et obtenta licentia a sacerdote proprio iuxta statuta concilii generalis nec etiam nisi apud eos ex deuotione animi elegerint tumulari, ipsos ad sepulturam admittant, ita tamen, quod tunc eadem ecclesie portione canonica non fraudentur, auctoritate nostra per te uel per alium attentius moneas et inducas ipsos ad id, et ut decetero ab huiusmodi predictorum prepositi, decani, archidiaconorum et capituli ac earumdem ecclesiarum rectorum molestiis et iniuriis omnino abstineant per censuram ecclesiasticam appellatione remota preuia ratione compellens. Non obstante aliqua indulgentia religiosis ipsis, uel aliis sub quacunque uerborum forma ab apostolica sede concessa, per quam non expressam presentibus de uerbo ad uerbum premissa impediri ualeant uel differi. Datum Asisii, VI. idus Maii, pontificatus nostri anno vndecimo.

Appendet bulla Innocentii papae IV.

[1]) Membrana his locis perforata est.

CCCXXVII.

Anno 1254., 2. Decembris, Karleburc.

Iringus herbipolensis episcopus Lupoldo magistro coquinae in Rotenburc confert duos mansos in Binolspach.

I. dei gracia herbipolensis episcopus dilecto sibi L. magistro coquine in Rotenburc salutem et omne bonum. Ad instanciam vestram loco duarum carratarum vini, quas a nobis in feodo tenetis duos mansos, quorum aduocatia et due [1]) partes decime ad vos spectant, [2]) sitos in Binolspach, in feodo uobis et heredibus vestris porrigimus, ut vos nostris seruiciis strictius obligemus, super quo uobis presens scriptum concedimus sigilli nostri mvnimine roboratum. Datum Karleburc anno domini millesimo CCLIIII., quarto nonas Decembris, indictione XIIII., [3]) pontificatus nostri anno primo.

Sigillum Iringi episcopi appendet.

[1]) et [2]) Manus posterior mutabat „due" in „duas" et „spectant" in „spectat". [3]) Anno domini expresso indictio ordinaria erat XII.

CCCXXVIII.

Anno 1255., 24. Maii.

Iringus, herbipolensis episcopus Giselae uxori Bertoldi de Spiezesheim et Friderico, filio eius, castrense feodum in castro Spizesheim recognoscit.

I. dei gratia herbipolensis episcopus. Notum facimus vniuersis et presentibus protestamur, quod nos recognoscimus Gisele, vxori Bertoldi de Spiezesheim castrense feodum, quod in castro

Spiezesheim a manu nostra dinoscitur possidere, videlicet caminatam magnam ibidem cum stupa anteriori, quam inhabitabit dum uixerit. Recognoscimus eciam idem feodum castrense Friderico filio eius et non alteri alicui, qui matrem, quamdium uixerit, non impediet in eadem. Super quo presens scriptum dedimus, sigillo nostro munitum. Datum anno domini MCC°. LV., VIIII. kalendas Junii, indictione XIII., pontificatus nostri anno secundo.

Fragmentum sigilli appendet.

CCCXXIX.

Anno 1257., 13. Martii, in monasterio S. Kyliani, ante altare S. Petri.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis Heinrico de Caltenhusen quinque mansos et curiam in Gundersleibe, quos Luthfridus sacerdos, subcustos ecclesiae herbipolensis, ab ipso emerat, iterum concedit pro annua pensione dicto Luthfrido solvenda.

Boppo prepositus, Arnoldus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis. Notum esse cupimus vniuersis hanc litteram intuentibus presentibus et futuris, quo Luthfridus sacerdos, subcustos ecclesie nostre, emit ab Heinrico de Caltenhusen ciue herbipolensi quinque mansos apud Gvndersleibe et curiam ibidem cum omnibus attinentiis, in quam pertinent iidem mansi, quorum IIII^or^ fuerunt aliquando Bopponis de Hauge, et vnus mansus fuit Bopponis de Gademe; illa bona scilicet tam curiam cum suis attinentiis, quam quinque mansos resignarunt ecclesie nostre iam dictus Heinricus de Caltenhusen et uxor eius Mergardis manu coadunata, renuntiantes manibus et calamis omni iuri, quod in eisdem bonis noscebantur habere, sicut in huiusmodi contractibus fieri est consuetum, tradideruntque ea ecclesie nostre sollempni stabilitate coram testibus infra scriptis, proprietatis titulo possidenda,

et promiserunt de ipsis bonis warandiam facere, sicut est ius proprietatis, et ea ab omni inpeticione facere absoluta. Quo rite ac rationabiliter facto accessimus et eadem bona concessimus dicto H. de Caltenhusen et eius heredibus pro annua pensione iure hereditario possidenda, videlicet, quod ipse Heinricus et heredes sui inde dabunt dicto Luthfrido viginti maldra siliginis annuatim, que sibi infra duas festiuitates sancte Marie sine ipsius Luthfridi laboribus et expensis Herbipoli in suo granario annis singulis presentabunt. Et si eandem pensionem dictus H. de Caltenhusen uel sui heredes dare neglexerint in messe et ipsam per annum integrum detinentes non persoluerint, omnia bona prenominata ad ecclesiam nostram deuoluentur libere possidenda, alienata penitus ab ipso H. de Caltenhusen et eius heredibus ita sane, quod ipsa bona cuicunque uoluerimus, conferemus pro antedicta pensione siliginis memorato Luthfrido, quoad uixerit, inde danda et post mortem suam cuicumque eandem pensionem duxerit conferendam. Vt igitur utrisque, scilicet tam ecclesie nostre et Luthfrido, quam sepedicto H. de Caltenhusen et eius heredibus, in bonis prenominatis suum ius, prout in hac littera est expressum, inuiolabiliter obseruetur, scripta est in testimonium presens littera et sigillo capituli nostri diligentius roborata. Actum in monasterio sancti Kyliani ante altare sancti Petri, anno domini M°. CC°. LVII°., feria III^a^. proxima post dominicam „oculi mei" in presentia capituli nostri, presentibus eciam Wernhero scriptore, magistro Symone, Walthero custode, canonicis noui monasterii, insuper H. de omnibus animabus, C. de dormitorio, sacerdotibus, Johanne scriptore domini O. custodis; laicis uero Brunone Drenac, Hildebrando de Celi porta, Heroldo genero eius, Boppone de Hauge, Alberto de Windecke, Alberto de Abiete, Arnoldo fratre eius, C. de Lancheim, C. famulo Johannis scriptoris predicti et aliis quam pluribus clericis et laicis fide dignis.

Sigillum capituli maioris appendet.

CCCXXXX.

Anno 1257., 25. Julii, apud Wirceburg.

Iringus episcopus herbipolensis bona in Oppherbein, quae Wolframus miles de Witoldishusen ab ecclesia herbipolensi in feodo tenuerat et monasterio Celiportae vendiderat, eidem monasterio confirmat, Wolframmo autem hubam apud Etheleib, quam idem ecclesiae herbipolensi in restaurum tradiderat, in feodum confert.

I. n. s. e. i. t. Nos Iringus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus omnibus Christi fidelibus salutem in uero salutari ... notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod nos uenditionem bonorum quorundam in uilla Oppherbein, per Wolframum melitem de Witoldishusen factam religiosis dominabus uidelicet Pitrisse abbatisse et conuentui monasterii Celiporte, que dictus Wolframus a nobis nomine ecclesie nostre in feodo tenebat, ratam et gratam habemus consensu et uoluntate nostri capituli accedente. In quorum bonorum reconpensationem et restaurum antedictus Wolframus proprietatem suam, uidelicet hubam quandam sitam apud Eteleib, ecclesie nostre contradidit, ipsam a nobis in feodo recipiendo. Nos itaque dictorum bonorum nobis facta resignatione ad prefati Wolframi et quorundam aliorum instantiam supradicta bona in Opphirbein a Wolframo usque nunc possessa memoratis abbatisse et conuentui monasterii Celiporte ordinis cisterciensis de consensu capituli nostri et de prudentum uirorum consilio tradimus libere et quiete jure perpetuo possidenda. Ne igitur prefatis monialibus et earum monasterio super huiusmodi emptione et donatione nostra dubium aliquod uel questio nocitura in posterum possit oriri, presens scriptum super hoc conscribi fecimus et sigilli nostri et capituli nostri munimine fecimus roborari. Testes: venerabilis dominus Heinricus episcopus domus theuthonice dictus de Bruezen, Boppo maior prepositus, Arnoldus decanus, Berhtoldus archidiaconus de Sternberc, Manegoldus archidiaconus de Niwenburc, clerici;

milites: Otto dictus Woluischel, Johannes pincerna, Otto Holzelin, frater Sibodo et frater Rudegerus conuersi de Celiporta et alii quam plures. Datum apud Wirzeburg anno incarnationis domini MCC quinquagesimo septimo, octavo kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Appendent duo sigilla.

CCCXXXI.

Anno 1257., 25. Augusti.

Ordinatio facta per episcopum Iringum et consilium, datum sibi a capitulo, de praebendis vacantibus conferendis.

Ista est ordinatio facta per dominum episcopum et consilium datum sibi a capitulo.

Duas prebendas uacantes dabit episcopus hiis personis [videlicet magistro Gisoni prebendam primam, que fuit domini de Kirchperc, magistro Gregorio prebendam secundam, domini Ruffini].

Prepositus maior pro nepote suo... de Gundelwingen [terciam, que fuit O. de Limburg]. Decanus quartam uacantem pro magistro Johanne de Thurle, [que fuit prepositi Luppoldi], [que quatuor prebende uacantes cedent ad debita ecclesie soluenda saluo anno fabrice ad duos annos].

O. de Luterberc, C. de Thurne[1]) habebunt primam non uacantem pro L. filio comitis de Wertheim.

Siboto de Bruperc secundam pro B. filio auunculi sui; H. de Wechmar, et magister H. tertiam pro L. filio fratris de Wechmar.

Portenarius et prepositus maior de Babenberc quartam pro E. filio fratris portenarii.

O. de Masbach et Kisilingus quintam pro G. de Bastheim.

Dominus C. de Thelheim et A. de Trondigen sextam pro Wolframo de Lina.

M. de Nuwenburg et B. archipresbiter maguntinus septimam pro nepote M.

Custos et H. de Steinberc octauam pro O. de Hennenberc.

L. de Gligen prebendam A., filii fratris sui, si uacauerit, pro E. alio filio fratris sui.

A. de Lodeburg nonam pro filio sororis sue.

B. de Wiltperc et H. frater suus decimam pro fratre comitis de Lewenstein.

Rudolfus et Warmundus vndecimam pro A. filio fratris Rodolfi.

A. de Specisheim et Th. prepositus de Fulda XII^{mam} pro Friderico, filio sororis domini episcopi.

Ad mandatum domini pape XIII^{mam} filio comitis de Scelkylingen.

Cantori et C. de Bothebur officium cellerarie. Cremesario et domino de Slitese oblationem in Ettheleben. B. de Sternberc et C. de Stallberc oblationem in Sauwensheim. Johanni de Rothense IIII^{or} talenta et domos, que fuerunt domini de Bastheim. Waltero de Oburgheim oblationem in Eisleben, que fuit domini A. Rufi.	Hec oblationes et officium cellerarie cedent ad debita ecclesie a festo Martini proximo uenturo ad duos annos.

In cuius ordinacionis testimonium nos I. episcopus dei gratia, B. prepositus, A. decanus, C. de Thelheim, M. de Nuwenburg, Otto custos, magister Hugo presentem litteram sigillorum nostrorum et capituli munimine duximus roborandam. Actum anno domini M$^{o.}$ CC$^{o.}$ LVII$^{o.}$, VIII$^{o.}$ kalendas Septembris.

Appendent octo sigilla valde laesa.

Verba uncis inclusa manu alia coaeva scripta sunt.

1) Charta: „Thuurne“.

CCCXXXII.

Anno 1257.

Luthfridus subcustos maioris ecclesiae centum marcis argenti fundat vicariam perpetuam, cui capitulum distracta propter necessitates arduas hac pecunia in usus alios, assignat, quidquid de officio portae cederet, vel eidem officio ulterius accresceret.

Ego L. subcustos pro inpensis mihi beneficiis ab ecclesia maiori herbipolensis volens eidem pro facultate mea ad remedium anime mee aliquam elemosinam inpertiri, dedi eidem centum marcas argenti, pro qua summa quasdam possessiones meas uendideram sub hac forma, ut per capitulum aliquod predium uel possessiones cum eadem pecunia emerentur, que alicui sacerdoti ad meam presentationem assignarentur choro sancti Kyliani perpetuo seruituro, ita tamen, quod eedem possessiones mihi ad uitam meam sine obstaculo quolibet deseruirent. Cvm igitur capitulum eandem pecuniam propter quasdam necessitates arduas in usus alios distraxisset, quod antea promiserat fide data pluries nullatenus se facturum in restaurum illarum possessionum, que tunc temporis poterant cum eadem pecunia comparari, quidquid de officio porte cederet uel eidem officio ulterius accresceret mihi ad uitam meam et successoribus meis, qui ad eandem uicariam fierent nominati, sine omni defectu libere assignarunt. Et si de eodem officio porte me uel successores meos in ipsa vicaria seruientes defectum aliquem contingeret sustinere ex super habundanti eiusdem officii porte, quod uulgariter v b e r s c h a z dicitur, idem defectus deberet integre resarciri, et si apud idem officium ad restitutionem defectus non posset tanta quantitas inueniri, de aliis redditibus uel obuentionibus capitulum eundem conpleret defectum. Decanus eciam, qui pro tempore fuerit, hanc ordinationem et eius defectum simili rigore requiret, sicut de prebenda dominorum nostrorum fieri est consuetum. Volo etiam, ut dominus O. custos et omnes successores eius in eodem officio ad eandem vicariam post mortem

meam potestatem habeant sacerdotem personam ydoneam presentandi. Hec littera sigillo capituli, prepositi maioris, decani et custodis debet ad rei euidenciam sigillari. Actum anno domini M°. CC°. LVII°.

Appendet sigillum capituli maioris ecclesiae.

CCCXXXIII.

Anno 1258., 14. Januarii.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis consentit in commutationem quarundam vinearum in randesacherensi territorio, ad dotem altaris S. Dionisii ante sepulchrum domini Hermanni episcopi in maiori ecclesia pertinentium.

Boppo prepositus, Arnoldus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis. Notum esse volumus vniuersis, hanc litteram inspecturis, quod Cvnradus dictus Breuis de Randesacker et eius vxor, cum possiderent iure hereditario pro annuo censu quinque iugera vineti, pertinencia nomine dotis altari sancti Dionisii ante sepulcrum domini Hermanni felicis recordationis herbipolensis episcopi, scilicet pro nouem vnciis hallensibus, qui census soluendus est iam dicto altari in die sancti Stephani in natalibus annuatim. Et quia eadem quinque iugera sita in randesacherensi territorio non in uno sed in pluribus frustis iacent inter dictum C. Breuem et Folcnandum in platea sancti Stephani, ciuem herbipolensem, accedente verbo nostri capituli et consensu talis pactio interuenit, quod idem C. Breuis duo iugera ex iam dictis quinque iugeribus, que sita sunt in loco, qui dicitur andemrode, dedit manu communicata vxoris sue dicto Folcnando et eius heredibus libere possidenda; econuerso idem Folcnandus dedit manu communicata vxoris sue vnum iuger et dimidium sui vineti sita in loco, qui dicitur ....[1]) ruderen altari predicto etiam libere possidenda.

Quod concambium rite et rationabiliter factum ratum habere decreuimus, dantes super eo in testimonium presentem litteram sigilli capituli nostri munimine diligentius roboratam. Actum anno domini M°. CC°. LVIII., proxima feria secunda post octavam epiphanie, presentibus dominis O. custode et Hartmanno de Helderungen nostris concanonicis, Johanne scriptore, M. Orphano, Hermanno seruo domini custodis et aliis quam pluribus.

Appendet sigillum capituli maioris ecclesiae.

[1]) Charta hic excsa est.

CCCXXXIV.

Anno 1258., 19. Aprilis, Herbipoli.

Iringus herbipolensis episcopus capitulo mosebacensis ecclesiae, herbipolensis diocesis, pro cesso sibi jure nominandi praepositum ex gremio capituli maioris ecclesiae, incorporat duas ecclesias Widern et Mectenmůlen.

I. dei gratia herbipolensis episcopus. Contentionis prestat materiam ignorantia rei geste; vnde multis occurritur incommodis utiliter et prudenter, si presentis temporis actus et negotia litterarum testimonio perhennantur. Nouerint igitur vniuersi huius pagine inspectores, quod dilecti nobis .. decanus et capitulum mosebacensis ecclesie herbipolensis dyocesis jus, quod hactenus habuerunt, eligendi sibi prepositos de quacumque ecclesia canonicorum, cuiuscumque dyocesis eis placeret, volentes familiaritati maiori et fauori nostre ecclesie se adiungere maturiori inter se habito consilio, juri quod habebant in eligendis sibi prepositis, consensu vnanimi cesserunt, et idem jus in nos et successores nostros in perpetuum transtulerunt, ita ut nos et successores nostri vni de canonicis maioris ecclesie nostre ipsam prepositurum, quandocumque uel quocienscumque vacare

inceperit, conferamus. Nos itaque eorum beniuolentie et liberalitati uolentes grata uicissitudine respondere de nostra gratia speciali duas ecclesias Widern uidelicet et Mectenmv̊len predicte ecclesie de Mosebach damus de nostri capituli conniuentia et fauore, quarum vnam Widern uidelicet dignitati eiusdem prepositure adnectimus, aliam videlicet Mectenmv̊len canonicorum usibus deputamus ad suarum subsidium prebendarum, hoc apposito, quod decanus et capitulum mosebacensis ecclesie in ecclesia Mectenmv̊len constituto perpetuo vicario, cui in competenti prebenda prouideant, ut juri nostro et successorum nostrorum nec non archydiaconi, qui pro tempore fuerit, respondere valeat, procurent sollicite, quod ibidem diuina non subtrahantur obsequia et in ea cura animarum nullatenus negligatur. Statuimus eciam, ut nec nos nec aliquis nostrorum successorum aut prepositorum reditus ecclesie predicte aut parrochiarum predictarum videlicet Widern et Mectenmv̊len possit uendere, infeodare, obligare aut quocumque alio tytulo alienationis distrahere, eciam si maior pars capituli consentiret. Quod si secus factum fuerit, nullum robur optineat firmitatis. In cuius facti memoriam, ut juris cessio, que facta est per predictos decanum et capitulum, ac nostra donatio de ecclesiis memoratis omnibus patefiant, presens scriptum super eo fieri iussimus sigillis nostro, capituli nostri herbipolensis, ecclesie mosebacensis et C. de Durne eiusdem ecclesie prepositi, ac sepedictarum ecclesiarum parochialium archidyaconi in testimonium firmiter communitum. Actum Herbipoli, anno domini MCCLVIII., XIIIo. kalendas Maii, indictione prima, pontificatus nostri anno quinto.

Appendent quatuor sigilla.

CCCXXXV.

Anno 1258., 5. Junii.

Iringus herbipolensis episcopus totalem decimam, quam Siboto de Offenheim et Sweimarius frater eius ab ecclesia herbipolensi jure feodali habuerant et in manus suas resignaverant, monasterio sanctimonialium in Marburgehusen jure proprietatis confert.

Iringus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint uniuersi presentis pagine inspectores, quod cum Cunradus de Hunbrechhusen et Hildebrandus filius patrui sui totalem decimam in Sturs a nobis et ecclesia nostra in feodo precedentem in feodo tenerent et possiderent a Sibotone de Offenheim et Sweimario fratre suo, qui ipsam decimam a nobis et ecclesia nostra iure feodali habuerunt, iam dicti fratres Siboto videlicet et Sweimarius ad peticionem supradictorum Cunradi et Hildebrandi ad manus nostras resignauerunt, petentes predicti omnes humiliter ac deuote, quatenus propter deum eandem decimam monasterio sanctimonialium in Marburgehusen constructum in honore gloriose virginis Marie dare dignaremur, quorum precibus annuentes maxime propter diuini cultum et sacram religionem, quam semper plantare et promouere tenemur in omnibus, prefatam decimam cum pleno rerum dominio ipsi monasterio in Marburgehusen in proprietatem damus de consensu nostri capituli, et jure proprietatis in sepedictum monasterium transferimus per presentes. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillorum nostri uidelicet et capituli nostri patrocinio communimus. Huius rei testes sunt: Bruno prothonotarius noster, canonicus noui monasterii, Heinricus de Sancto Georio notarius noster, Fridericus Stapphe, Theodericus Vligarius, Degeno de Lichtenstein, Thimo de Vrheim, milites, Helbericus scultetus noster in Hasewrte, Herbordus Teiler, Marquardus Tumme, Fridericus Rufus, ciues de Hasewrte et plures alii. Datum anno domini M°. CC°. LVIII°., nonis Junii, pontificatus nostri anno quinto. [1])

Duo sigilla appendent.

[1]) Charta: „nonas Junii, pontificatus nostri anno quarto“.

CCCXXXVI.

Anno 1258., 13. Decembris.

Forma concordiae inter Iringum episcopum herbipolensem et nobiles viros Henricum et Hermannum comites de Hennenberg ob damna post placitum apud Herbesvelt habitum invicem sibi illata, nec non inter eosdem nobiles et nobilem virum Manegoldum de Wiltperc ob castra in Suinfurthe et bona his attinentia.

Hec est forma concepta super contractu concordie inter venerabilem dominum Iringum episcopum herbipolensem ex vna parte et viros nobiles H. et Her. comites de Hennenberg ex altera de dampnis, que post placitum aput Herbesvelt [1]) inter eos habitum vtrimque mutuo sunt illata. Preterea super tractatu concordie inter eosdem nobiles ab vna parte et nobilem virum M. de Wilperc ab altera de castris Svinfurthe et bonis castris attinentibus memoratis. Primo quidem super dampnis domino episcopo illatis per predictos nobiles comites de Hennenberg a tempore placiti aput Herbesvelt et econuerso de dampnis factis ipsis comitibus per dominum episcopum vtrimque tam episcopus quam comites se submiserunt ordinacioni viri nobilis L. comitis de Rienecke, in eum plane et simpliciter conpromittentes, vt quicquid super eisdem dampnis hinc inde factis arbitratus fuerit, vtraque pars ratum teneat et obseruet et in recompensacione dampnorum illorum quecumque summa altervtri parcium soluenda per ipsum comitem nominata fuerit, pro ea summa vtraque parcium ante promulgacionem arbitrii sufficientem fideiussoriam faciet caucionem et hoc terminabitur ante festum purificationis proxime nunc instantis. Ceterum de discordia, que est inter prenotatos comites de Hennenberg ab vna parte, et M. de Wilperc ab altera de castris Swinfurthe et bonis attinentibus, conpromissum est in sepedictum dominum episcopum, in venerabilem dominum abbatem fuldensem, B. de Wertheim, et L. de Rienecke comites sub hac forma, quod hii proxima feria secunda

post instantem diem natiuitatis domini apud Bonlant conuenient, ibidem finalem tractatum de ipsa concordia habituri et si ipsa secunda feria concordare non poterunt, sequenti tercia feria iterum ad eundem locum redibunt, ibidem concordiam attemptantes; si uero eo die non concordauerint, feria quarta sequente rursus in eodem loco conuenient super eadem concordia tractaturi et ab inde in antea non recedent, die noctuque ibidem existentes, quousque omnes quatuor concordent et in unam formam concordie consenserint vnanimiter, et hoc iidem arbitri fide data firmiter promiserunt. Dictum est etiam, quod si dominus episcopus aut L. comes de Rienecke, qui ex parte M. de Wilperc nominati sunt, propter infirmitatem uel captiuitatem notoriam et manifestam ad tractandum de concordia venire non possunt, loco absentis vir nobilis Al. de Trimperc substituetur. Similiter si ex causis prescriptis dominus abbas fuldensis aut comes de Wertheim adesse non poterunt, loco absentis vir nobilis L. de Frankenstein senior assumetur. Verum si arbitrorum quatuor unus forsan uel duo contra promissum venirent, reliqui tres uel etiam duo, si tantum duos remanere contingeret, eandem quam omnes componendi habeant potestatem. Et ut ipsorum arbitrorum ordinacio, quam arbitrando protulerint, utrimque a partibus obseruetur, sepedicti H. et Her. comites de Hennenberg pro se castrum Schildecke presentabunt L. comiti de Rienecke in proxima die dominica, et similiter dominus episcopus castrum Wernecke eodem die dominico eidem comiti presentabit, sub hac forma, quod si dictus M. de Wilperc contra predictam formam concordie veniendo arbitrium tenere nollet, dominus episcopus potenter et patenter sine omni captione comitibus de Hennenberc astabit etiam manifeste et extunc in continenti castrum Wernecke domino episcopo restituetur. Set si dominus episcopus contrauenieṭ et comitibus non astaret, dictus L. comes de Rienecke ipsum castrum Wernecke comitibus de Hennenberg presentabit. Si vero comites de Hennenberg contra arbitrium venirent, castrum Schildecke episcopo presentabitur, et idem episcopus erit manifestus adiutor M. de Wilperc de dictorum comitum voluntate. Si autem tenebunt formam arbitrii, castrum Schildecke eisdem comitibus

restituetur. Vt autem prescripte forme in presencia canonicorum maioris ecclesie herbipolensis, multorum nobilium et ministerialium, nec non pociorum civium herbipolensium concepte inviolabiliter obseruentur, presens scriptum sigillis domini episcopi herbipolensis, H. et Her. de Hennenberg et L. de Rienecke comitum extitit communitum. Datum anno domini M°. CCLVIII., idibus Decembris, indictione secunda.

Appendent sigillum Iringi et fragmenta duorum sigillorum Hermanni et Ludovici comitum.

*) Hoc placitum „apud Herbesuelt MCCLVIII., XIII. Cal. Marcii" peractum impressum est in Gruneri opusc. II. 164.

CCCXXXVII.

Anno 1258., 18. Decembris, Herbipoli.

Iringus herbipolensis episcopus Heinrico Vulpi, advocato de Swanenberg pro ducentis quadraginta libris hallensibus suppeditis bona sua in villa Gerlacheshusen assignat.

I. dei gratia herbipolensis episcopus. Tenore presentium recognoscimus et notum facimus vniuersis, quod cum dilectus nobis Heinricus Vulpes aduocatus de Svanenberg bona nostra in Reinvelt et in Dvrneuelt exposita a Wolframo de Zabelstein pro centum qvinquaginta libris hallensibus absoluisset, ac idem Heinricus Vulpes bona sua aput Vrheim vendidisset nobis pro quinquaginta libris hallensibus, et insuper pro nobis .. de Speckevelt quadraginta libras hallenses persoluisset, que summa dvcentas quadraginta libras hallenses attingebat, nos pro huiusmodi summa hallensium dicto aduocato assignamus bona nostra in villa Gerlacheshusen cum proventibus ipsius ville, eadem sibi super fidem suam in feodo porrigendo, reseruantes hoc nobis et succes-

soribus nostris, vt ipsa bona pro pretaxata summa hallensium reemendi ab ipso et ab heredibus suis habeamus plenariam potestatem. In cuius rei testimonium presens scriptum eidem dedimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum Herbipoli, anno domini M°. CCLVIII., XV. kalendas Januarii, indictione II^{a}., pontificatus nostri anno quinto.

Sigillum Iringi episcopi appendet.

CCCXXXVIII.

Anno 1258., 24. Decembris.

Diethmarus decanus et capitulum S. Johannis in Houge canonicis herbipolensibus in compensationem oblationis, quam de parochiali ecclesia in Houge singulis annis percipere consueverant, tam diu ad solvendum censum sese obligant, quousque parochialem ecclesiam in Wegencheim vacare contingat.

Diethmarus decanus et capitulum Johannis in Houge presenti scripto recognoscimus et conmuniter protestamur, quod obligauimus nos reuerendis et dilectis dominis nostris canonicis herbipolensibus de summo ad soluendum ipsis tritici viginti et vnum maldra in ipsorum granarium ad conpensationem oblationis, quam de parochiali ecclesia in Houge singulis annis percipere consueuerunt, et similiter octo vncias denariorum herbipolensis monete; quas semper adeo expedite dari procurabimus in cena domini, quod sollempnitatem illius diei ob defectum solutionis nullatenus inpediri contingat. Triticum quoque soluemus singulis annis absque omni inpedimento ante festum sancti Michahelis et hoc tamdiu faciemus, quousque parochialem ecclesiam in Wegencheim proxime uacare contingat; ex tunc enim huiusmodi pensionis per nos, ueluti premissum est, debite absque omni questionis scrupulo liberi erimus et inmunes. Ad cuius facti futuram memoriam presentes litteras conscribi fecimus et eas tam sui sigillo capituli quam nostre sigillo ecclesie in testi-

monium fecimus communiri. Actum et datum anno gracie M. CC. quinquagesimo octauo, IX°. kalendas Januarii.

Appendent duo sigilla laesa.

CCCXXXIX.

Anno 1259., 31. Martii.

Capitulum maioris ecclesiae coenobio Coeliportae in Schottenawe vendit bona oblationum apud Thuthenbrunnen.

I. n. d. a. Nos Boppo prepositus, Arnoldus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis notum esse uolumus omnibus huius pagine inspectoribus presentibus et futuris, quod inter nos ex parte una et fratres et amicos cenobii sanctimonialium Celiporte in Schottenawe ex altera talis habitus est tractatus videlicet, quod accedente unanimi nostro consilio et consensu bona nostra oblacionum apud Tuthenbrunnen uendidimus iamdicto cenobio sanctimonialium et ea ipsis, sicut fieri est consuetum, resignauimus et contulimus libere proprietatis titulo possidenda et promisimus eis de ipsis bonis warandiam facere, sicut iuris est de proprietate warandia exhiberi. Et ea faciemus ipsis a quolibet impeticionis scrupulo absoluta. Vt igitur sepedictum cenobium prenotata bona proprietatis nomine pacifice possideat et quiete, presentem dedimus litteram in testimonium sigillo nostri capituli diligentius roboratam. Actum et datum in presentia tocius nostri capituli anno domini MCC quinquagesimo nono, II. kalendas Aprilis, indictione II. Testes etiam huius rei sunt laici Heroldus de Rintperc, Her. Busenhart, Sintram, F. Wilmut, Ech. de Heidenheim, C. de Bofflingen, Her. Schrenke, O. et H. filii Petri, Ech. Heberkin, H. Ziechlin, Ber. Sempteleiben, C. de Suallungen, C. de Eichstuelt, Burchardus sororius eius, C. de Lancheim, Apelo de Folcha, C. Ubelaker, C. Gleser, Her. monachus.

Sigillum capituli maioris ecclesiae herbipolensis appendet.

CCCXL.

Anno 1259., 15. Aprilis, Erbipulis.

Iringus erbipulensis episcopus capitulo maioris ecclesiae, ad emendationem praebendarum, parrochias in Ascuelt et in Wegenhem confert.

Nos Iringus dei gracia ecclesie erbipulensis episcopus omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in vero salutari. Cum propter hominum et temporis maliciam fructus prebendarum confratrum et concanonicorum nostrorum in pluribus locis adeo sint distracti et diminuti, quod comode ipsis prebende sue non possint integraliter ministrari: nos uolentes eis, ut tenemur, paterna super hoc sollicitudine prouidere, ne nostris temporibus diuini numinis cultus in nostra ecclesia minuatur, set pocius augeatur, ad emendationem prebendarum ipsorum concanonicorum nostrorum parrochias in Ascuelt et in Wegenhem, in quibus ius spirituale et temporale habemus, ipso capitulo conferimus pleno iure, ita, ut decedentibus personis, que nunc eas possident, uel alio modo dictis ecclesiis uacantibus capitulum ipsum locet perpetuos uicarios et ydoneos in eisdem, conpetentibus prebendis et consuetis eis assignatis, qui nobis et successoribus nostris et archidiaconis locorum, qui pro tempore fuerint, de iure suo ualeant respondere, et quicquid residuum fuerit de fructibus et obuencionibus ecclesiarum earundem super prebendas uicariorum, in vsus fratrum fideliter conuertatur, hoc sane diligenter prouiso, ne cura animarum in eisdem parrochiis vllatenus negligatur. Statuimus eciam et uolumus, ut in memoriam largitionis nostre de dictis parrochiis anniuersarius noster annis singulis a dicto capitulo cum sollempnitate debita celebretur. Datum Erbipulis anno incarnationis domini M. CC. quinquagesimo IX., decimo septimo kalendas Maii, pontificatus nostri anno sexto. In cuius rei noticiam et certitudinem ampliorem presentem litteram eis dedimus sigilli nostri munimine fideliter consignatam.

Appendet sigillum Iringi episcopi laesum.

CCCXLI.

Anno 1259., 4. Junii.

Iringus herbipolensis ecclesiae episcopus confirmatione sua roborat traditionem vinearum et redituum in Opherbein et in Eichesvelt, et piscationis in Randesachere a nobili viro Cunrado de Richenberc et Irmengardi ipsius uxore consensu filiorum eorum Johannis et Ludewici domui hospitali S. Johannis in Wirceburc factam, sicut et ordinationem Cunradi et Irmengardis super praebenda, quam a capitulo maioris ecclesiae ambo habent.

Iringus dei gracia herbipolensis episcopus. Cvm ex iniuncto nobis officio pastorali ad conseruationem rerum omnium collatarum ecclesiis et personis religiosis esse intenti et solliciti debeamus, presentibus pariter et futuris facimus manifestum, quod nobilis vir Cunradus de Richenberc et Irmegardis ipsius vxor legitima manu coadunata quatuordecim jugera vinearum in Opherbein et in Eichesvelt, sex maldrorum siliginis atque trium librarum hallensium redditus annuales et amplius, si quid habent in eisdem duobus locis in vineis, agris, pratis, siluis, areis, annone et denariorum redditibus et in omnibus rebus aliis, in quibus ibidem uidentur aliquot ius habere, de consensu et bona voluntate filiorum suorum Johannis et Ludewici libere tradiderunt fratribus et infirmis domus hospitalis sancti Johannis in Wirceburc possidenda perpetualiter pleno iure. Insuper piscationem, quam habent in Randersachere, que singulis septimanis soluit in piscibus vnum solidum hallensium, eisdem fratribus et infirmis etiam contulerunt tali interposito tamen pacto, ut ipsa piscatio solummodo tempore hoc, quo uixerit C. nobilis memoratus, cum omni sua iusticia deseruiat supradictis fratribus et infirmis et post mortem C. nobilis ad ipsius filios prelibatos illico deuoluatur. Preterea sepedicti C. nobilis et Irmegardis vxor sua inter se pariter statuerunt et ordinauerunt, ut prebenda, quam a capitulo maioris ecclesie ambo habent ad uite sue

tempora, diuidatur equali portione in duas partes, et ex hiis unam partem habeat domina Irmegardis, dum uiuat, reliquam partem C. uiuente fratres et infirmi usibus suis sumant; vno istorum mortuo, C. nobili uel domina Irmegarde scilicet, alter superuiuens prebendam recipiet sibi solus; mortuis autem eis ambobus prebenda, ut debitum et statutum est, capitulo maioris ecclesie erit libera et soluta. In huius igitur rei geste confirmationem robustam duo equalia paria litterarum conscribi statuimus super eo et sigilli nostri caractere roborari. Harum litterarum vnum par tenebunt fratres hospitalarii, et pueri de Richenberc reliquum par seruabunt. Actum anno domini M. CC. LVIIII., in vigilia sancti Bonifacii, pontificatus nostri anno sexto. Testes sunt fratres hospitalarii: frater Cunradus commendator, frater Heinricus de Hallis, frater Gotefridus iunior de antiqua curia, frater Cunradus Paganus, frater Hertwicus de Nihte, frater Rudegerus Kocelinus, frater Siboto cellerarius. Layci: Johannes et Ludewicus de Richenberc, Heroldus Phende, Marquardus Cruso, Gernodus Hofeschultheize, Heinricus Pinguis trans Mogum, Heinricus de Hocheim, gener vidue de Vfhofen. Cunradus Busenhart, Heinricus de Bleichvelt et frater suus Willehelmus, Volkelinus filius Gotefridi coquinarii, Arnoldus cellerarius illius de Richenberc et alii quam plures.

Exstant duo exemplaria, in quorum uno deest nunc sigillum Iringi episcopi.

CCCXLII.

Anno 1259., 11. Septembris.

Iringus herbipolensis ecclesiae episcopus cum capitulo ecclesiae S. Johannis in Houge de dividunda prole hominum suorum contractum init.

I. dei gratia herbipolensis episcopus dilectis in Christo B. de Ebersberch preposito, D. decano totique capitulo ecclesie sancti

Johannis in Hauge sincere vinculum caritatis. Cvm ex contractibus matrimonialibus, ad quos homines ecclesie vestre inducantur aliquotiens et coguntur, ut extra conditiones suas uxores ducant de familia extraneorum, vobis et ecclesie vestre dampnum non modicum provenerit et maius possit procedente tempore cumulari, nos volentes vobis consulere in hac parte, ut vniuersaliter omnes homines ecclesie vestre, ubicunque sint residentes, vestre conseruentur ecclesie, si aliqui ipsorum hominum vestrorum vxorem de familia ecclesie nostre duxerint, pueros quos iidem pariter progenerint, vnacum ecclesia uestra decernimus diuidendos, ita quod medietatem puerorum omnium vestrorum hominum generaliter, quos per vxores ecclesie nostre habuerint, vobis damus, impari numero nobis de qualibet matre femina nostre ecclesie reseruato. Eandem siquidem medietatem puerorum sub hac condicione vobis conferimus, quod econuerso medietas puerorum per feminas vestre ecclesie attinentes progenitorum, quas homines nostre ecclesie duxerint in vxores, quos pueros sub forma prenotata similiter nobis datis, ecclesie nostre remaneat, ita eciam, quod puer ille, qui imparem numerum optinet, matrem sequi debeat et aput vestram ecclesiam remanere. Et ut hec omnibus patefiant et de huiusmodi mutuis donationibus ac puerorum diuisionibus memoria perpetuo habeatur, duo paria litterarum consimilium nostre et vestre ecclesiis fieri iussimus, in testimonium et ea dedimus sigillis nostro et ecclesie uestre caucius communita. Datum anno domini M. CC. LVIIII., III. idus Septembris, indictione secunda, pontificatus nostri anno sexto,

Iringi episcopi sigillum appendet; sigillum ecclesiae haugensis periit.

CCCXLIII.

Anno 1260., 9. Februarii.

Capitulum ecclesiae herbipolensis ad dissidia tollenda in dominum Iringum episcopum, Arnoldum decanum aliosque canonicos compromittit.

Uniuersis presentes literas inspecturis Boppo prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis salutem in eo, qui est omnium uera salus. Nouerit uniuersitas uestra, quod cum olim ad capitulum nostrum plures fratres ultra consuetum et antiquum numerum fuissent assumpti et in partem sollicitudinis ecclesie nostre uocati ex eo, quod ecclesia nostra et iura ipsius deberent melius et consultius gubernari, non quod per plures dispensata decrescerent et uilescerent, inimico tamen humani generis omne bonum multipliciter impediente et inter fratres capituli taliter seminante zizania, ut uix inter nos, tum propter multitudinem insuetam, tum etiam propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem in aliquo tractatu ecclesie posset concordia repperiri, nec mirum cum diuersitatem corporum sepe sequatur diuersitas animorum, et sic quotiens singuli fratrum super negotiis ecclesie interrogabantur in capitulo diligenter, tot fere inueniebantur oppinionum diuersitates, quot fratres numerabantur in eo, et uelle suum cuique erat nec uno uoto et proposito nitebantur, et ideo a nonnullis iniquitatis filiis et maxime a nostris ciuibus herbipolensibus libertates et iura ecclesie nostre in breui tempore sunt non modicum subtracta et per eorum uiolentiam diminuta. Volentes igitur huic morbo quantum possumus celeri ouiare medela, ne ex nostra culpa uel negligentia aut desidia, quod absit, pena grauis nos feriat apud deum, mediante venerabili patre nostro domino Iringo episcopo herbipolensi unanimiter et concorditer in formam subscriptam conuenimus, quam fide data in manu predicti domini nostri episcopi plenario sancti Kyliani patroni nostri corporaliter prestito iuramento

cum adiectione pene inferius annotate, bona fide sine fraude et dolo promisimus obseruare. Forma quidem talis est. Nos Boppo prepositus totumque capitulum herbipolensis ecclesie, ne propter multitudinem et discordiam fratrum capituli nostri libertates et iura ecclesie nostre pereant et ulterius subtrahantur sed potius tueantur et uiriliter defensentur et facilius ualeant recuperari subtracta, in uenerabilem patrem nostrum dominum I. herbipolensem episcopum, dominum Arnoldum decanum, O. de Lutreberk archidiaconum, dominum B. scolasticum et dominum C. cellerarium ecclesie nostre sollicitudinem omnimodam, honus et honorem transferimus et plenam ipsis concedimus potestatem tractandi, consulendi, deliberandi, ordinandi, statuendi et omnia faciendi per que iura, libertates et honores ecclesie nostre ualeant restaurari, promittentes sub debito prestiti iuramenti, ut quicquid predicti quatuor cum domino nostro episcopo super predictis deliberauerint, ordinauerint et decreuerint sine contradictione qualibet ratum et gratum habebimus, et eis toto posse et nosse astabimus et omnia diligenti studio et sollicitudine curabimus adimplere, que dictus dominus .. episcopus cum prefatis quatuor nobis preceperint facienda. Predicti uero quatuor promiserunt et iurauerunt modo predicto ad ea fideliter et diligentissime laborare et cum predicto domino nostro .. episcopo frequentem diligentiam et sollicitudinem adhibere et omnia obseruare et adimplere, que nobis preceperint obseruanda uel adimplenda. Adiecta siquidem religioni iuris iurandi hec fuit pena de communi consensu fratrum, ut quicunque canonicorum huius forme et ordinationis propter communem utilitatem ecclesie et canonicorum nec non totius cleri et ecclesiarum herbipolensium adinuente fuerit transgressor inuentus et nostrum dominum .. episcopum et capitulum deseruerit, non solum periurii reatus incurrat, set ipso facto consortium, beneficia et dignitates in ecclesia nostra, ciuitate, uel diocesi herbipolensi, que uel quas optinet, amittat, ipsisque beneficiis et dignitatibus sine spe restitutionis perpetuo sit priuatus, nec mirum, si contra desertores ecclesie matris sue et iuris et libertatis ipsius penam huiusmodi pro necessitate ecclesie nostre et qualitate temporis statuamus, cum ipsi gentiles desertores militie sue secularis non solum stipendiis, set alias

puniri grauiter statuerunt. Adicimus etiam concorditer, et sub religione prestiti iuramenti unanimiter ordinamus et constituimus, ut siquis clericus uel laicus predicto domino nostro .. episcopo et ecclesie nostre se opposuerit aut aduersariis et rebellibus ipsius consilium, auxilium uel fauorem prebuerit in ecclesie nostre preiudicium et grauamen, non solum ipsi, set eorum consanguinei, agnati uel cognati nullum in perpetuum in ecclesia nostra, ciuitate uel diocesi herbipolensi beneficium aut dignitatem optineat. Siqui uero consanguinei, agnati uel cognati eorum in ecclesia nostra, ciuitate uel diocesi herbipolensi dignitates uel beneficia sunt adepti, ipsis contenti permaneant, numquam ulterius in perpetuum promoturi. Ceterum quia, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, et ex nostris confratribus quidam absentes existant ad presens, quamuis pauci, taliter de consensu prefati domini nostri .. episcopi decreuimus ordinandum, ut nullus absentium ad capitulum uel ad aliquem tractatum ecclesie nostre admittatur, nisi omnia predicta, ut nos promisimus, fide ac iuramento et sub pena prescripta promiserit obseruare. Nos uero Iringus dei gratia herbipolensis episcopus, uidentes et cognoscentes sinceritatem fidei et constantiam capituli nostri super iuribus et libertatibus ecclesie nostre et totius cleri recuperandis et defensandis ab omnibus et specialiter a prefatis ciuibus herbipolensibus, a quibus maxime per uiolentiam sunt ausu temerario subtracta, fide data in manibus quatuor predictorum prestitoque corporaliter iuramento, dictis capitulo et canonicis promisimus, ut si ecclesie nostre uel alicui ecclesiarum ciuitatis uel diocesis herbipolensis nostre aut canonicorum earundem aliqua iniuria uel dampnum datum aut factum fuerit, nullam ordinationem uel compositionem cum dictis ciuibus herbipolensibus et malefactoribus faciemus, nisi prius de dampnis et iniuriis eisdem lesis et dampnum passis plene fuerit satisfactum. Formam namque et ordinationem prescriptam promisimus sub obseruantia religionis prestiti iuramenti et pene predictis nulli verbo, signo, nutu uel scriptura siue aliquo alio modo aliquatenus reuelari. Ad maiorem namque ueritatis expressionem et certitudinem et testimonium ueritatis omnium prescriptorum presentes litteras sigillis capituli nostri et dicti domini nostri episcopi et nostris pro-

priis roboramus. Acta sunt hec in capitulo nostro, anno domini MCC°. sexagesimo, quinto idus Februarii.

Appendebant quondam XXXIV sigilla, ex quibus XXI supersunt partim laesa.

CCCXLIV.

Anno 1260., 23. Februarii, Herbipoli.

Iringus episcopus herbipolensis, quaestione remota, quae inter Fridericum de Werberg nomine uxoris Cunegundis, et Gothefridum Zobelonem vertebatur, decimam in Eichesvelt titulo feodali concedit Friderico de Werberg, qui medietatem annonae in villis Limpahc aut Kisten jure hereditario habebit, medietate altera annonae et bonis propriis circa castrum Hohenburg Gothefrido Zobeloni relictis.

I. dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi presentis pagine inspectores, quod cum de bonis, videlicet de decima in Eichesvelt, que a manu nostra procedit in feodo et de proprietate XX modiorum silliginis in villis Limpahc aut in Kisten et de bonis propriis circa castrum Hohenburg inter Fridericum de Werberg, nomine Cvnegundis, vxoris sue, ab vna parte et inter Gothefridum Zobelonem, priuignum suum, ab altera questio verteretur, tandem per amicos utriusque partis talis inter eos concordia intercessit. Decimam in Eichesvelt secundum tractatum habitum de bona voluntate et resignatione Zobelonis, qui presens erat, concessimus dicto Friderico de Werberg et suis heredibus possidendam a nobis titulo feodali, et medietatem annone prescripte idem Fridericus iuxta eundem tractatum iure hereditario possidebit. Reliquam autem annone medietatem et bona circa castrum Hohenburg predictus G. Zobelo in suam potestatem recipiet et ea iure hereditario similiter secundum eundem

tractatum prehabitum retinebit. Huius rei testes sunt: Otto cvstos et Al. de Lobdeburg canonicus herbipolensis, H. et C. fratres de Regenstein, O. et Th. Flosculi, G. Hvzelin, B. marscalcus, Erkinger de Sowensheim, Conradus Torso, Goteboldus et Ebo de Randersacker, G. Cresso, H. Schotelin, Johannes Hako, Ar. de Linah, Ger. Houesculteṫus, O. dictus Wolveskele, Nidungus, Hartmvdus de Schalkevelt et alii quam plures. Et ut hec omnibus pateſiant, presens scriptum super eo dedimus sigillo nostro in testimonium communitum. Actum Herbipoli, anno domini M. CC. LX., VIII. kalendas Marcii, indictione III., pontificatus nostri anno sexto.

Sigillum valde laesum appendet.

CCCXLV.

Anno 1260., 18. Junii, Anagnie.

Alexander papa IV. civibus herbipolensibus indulget, quod trahi extra civitatem herbipolensem ad iudicium nequeant inviti, quamdiu parati fuerint stare iuri coram ordinario suo.

Alexander episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis, ciuibus herbipolensibus salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis benignitas sincere obsequencium vota fidelium fauore beniuolo prosequi consueuit et illorum personas, quas in sua deuocione promptas inuenerit et feruentes, quibusdam titulis decencius decorare. Vt igitur ex deuocione, quam ad nos et romanam ecclesiam habere noscimini, senciatis uobis fauorem apostolicum accreuisse, vestris precibus inclinati, quod auctoritate litterarum sedis apostolice, que de hac indulgencia plenam et expressam de verbo ad verbum mencionem non fecerint, trahi extra ciuitatem herbipolensem ad iudicium nequeatis inuiti, quamdiu parati fueritis coram vestro ordinario de vobis conquerentibus stare iuri, auctoritate vobis presencium

indulgemus. Eadem auctoritate nichilominus decernentes, ut si aliquid contra huiusmodi concessionis nostre tenorem a quoquam exstiterit propria temeritate presumptum, sit irritum et inane. Et si forte alique sentencie in vos hac occasione prolate fuerint, nullum robur obtineant firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Anagnie, XIIII. kalendas Julii, pontificatus nostri anno sexto.

Ex transsumtu officialis curiae herbipolensis de dato „Herbipoli 1342, feria quarta post dominicam, qua oculi cantatur".

CCCXLVI.

Anno 1260., 17. Augusti.

Bertoldus de Sterrenberc scolasticus et archidiaconus herbipolensis bona in villa Meidebrunnen, quae oblationis nomine ab ecclesia herbipolensi tenuit, permissione Iringi episcopi et assensu capituli dominae Jutae abbatissae et conventui in Meidebrunnen vendit.

Nos Bertoldus de Sterrenberg, scolasticus et archidyaconus herbipolensis, recongnoscimus et tenore presentium protestamur, quod nos bona nostra in villa, que dicitur Meidebrunnen, que tenuimus in agris, pratis et mansis oblationis nomine ab ecclesia nostra, vendidimus domine Jvte abbatisse et conuentui in Meidebrunnen pro quinquaginta talentis et vno hallensium de verbo et permissione venerabilis domini nostri Iringi episcopi necnon de communi et vnanimi voluntate nostri capituli et assensu proprietatis titulo perpetuo possidenda. Ad cuius rei maiorem euidentiam, ne forte super hoc postmodum aliquis dubietatis scrupulus valeat suboriri, presentem litteram prefatis J. abbatisse et conuentui in Meide-

brunnen dedimus in testimonium, sigillis predicti domini nostri episcopi, capituli nostri et nostro diligentius communitam. Datum et actum anno incarnationis domini MCCLX., XVI. kalendas Septembris, indictione tercia.

Fragmenta sigillorum Iringi episcopi et Bertoldi appendent; sigillum capituli periit.

CCCXLVII.

Anno 1260., 23. Septembris.

Iringus herbipolensis episcopus oppignorationem bonorum in villis Crummen, Brahbach et Sechestal a Wolframmo de Vrheim genero suo Gerlacho de Tundefelt factam, approbat.

I. dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod cum Wolframus de Vrheim bona in villis Crummen, Brahbach et Sechestal, que ad jussionem nostram absoluit a Thagenone de Lihtenstein pro centum libris hallensium, obligasset Gerlacho de Tundeuelt, genero suo, pro eisdem centum libris hallensium, nos ob utriusque fauorem obligacionem eandem ratam habemus et presentibus approbamus et per manus nostras ipsa bona porreximus dicto Gerlacho nomine pignoris possidenda, hoc apposito, quod nichil plus ab inde percipiat annis singulis, quam viginti tres libras hallensium et ea, que ab inde dantur ad wisungen et vecturas non immoderatas, nobis et successoribus nostris reseruantes bona eadem absoluendi, cum possibilitas fuerit, potestatem. Hiis interfuerunt: M. Orphanus camerarius, Wolfelinus de Grumbach, Wipertus Wolfeskeln, Gebeno de Rugeheim, Hartmudus de Scherenberc, Hiltebrant de Steine, et alii quam plures. Actum inter Wunfurthe et Steinuelt anno domini M. CC. LX., VIIII. kalendas Octobris, indictione III., pontificatus nostri anno VII.

Fragmentum sigilli superest.

CCCXLVIII.

Anno 1261., 7. Octobris.

Heinricus et Hermannus comites de Hennenberc articulos concordiae inter Iringum herbipolensem episcopum et vniuersitatem civium initae publicant.

Nos Heinricus et Her[mannus] dei gracia comites de Hennenberc presenti scripto recognoscimus et constare volumus vniuersis, quod discordia, que inter venerabilem dominum nostrum Iringum herbipolensem episcopum pro se et ecclesia sua ex parte vna et yniuersitatem ciuium suorum herbipolensium ex parte altera vertebatur super articulis infra scriptis et aliis, per que dicta ciuium vniuersitas iura, iurisdictiones et libertates ipsius episcopi et ecclesie sue infringere videbantur, post multos et varios tractatus hinc inde habitos mediantibus dominis B. preposito, A. decano, aliisque canonicis herbipolensibus ac nobis et nobilibus viris L. de Rienecke, H. de Kastele comitibus, Al. de Trinberc et plerisque ministerialibus ipsius ecclesie tandem sic amicabiliter est decisa. Videlicet, quod dictorum ciuium vniuersitas in publico palatio domini episcopi congregata promiserunt domino episcopo et ecclesie sue omnia iura, iurisdictiones et libertates suas deinceps conseruare illesas, et quod ipsum dominum episcopum et suos canonicos, totum clerum, nobiles terre ministerialesque ecclesie plene et pacifice gaudere permittent et consistere in iure, libertate et honore suo, in quo antecessores eorum ab antiquis temporibus permanserunt. Item promiserunt, quod deinceps non eligent XXIIII^or aut plures aut pauciores absque domini episcopi licentia speciali. Item promiserunt, quod monetam episcopi, quam more predecessorum suorum cudi faciet in ciuitate herbipolensi, recipient nec inpedient cursum eius, sed bona fide pro posse suo promouebunt eam recipi in ciuitate, et qui eandem recipere noluerit, ad gratiam domini episcopi emendabit. Item promiserunt, quod annuatim dabunt domino episcopo precariam suam expedite, sicut fecerunt predecessoribus suis more debito et consueto. Et sicut de iure tenentur, alia sibi seruicia fideliter exhibebunt. Consilium etiam et auxilium conpetens prestabunt eidem, si pro defensione ipsorum ciuium et pacis obseruantia ipsum episcopum laborare contigeret et ab eodem fuerint requisiti. Item promiserunt, quod deinceps de Judeis et eorum negociis inter episcopum et ipsos Judeos, se nullatenus intromittent ad inpedimentum domini episcopi, set permittent, ipsum gaudere iure suo et liberam habere potestatem et dominium in eisdem. Et quod ipsi ciues eosdem Judeos non grauabunt

in aliquo, uel ad aliquid faciendum vel seruiendum ciuitati conpellent, nisi prout de ipsius episcopi fuerit voluntate. Item promiserunt, quod nullum in conciuem recipiant, ni de ipsius episcopi licencia. Item promiserunt, quod obseruabunt conductum, quem dederit episcopus in ciuitate, hoc cauto, quod episcopus nulli sententialiter dampnato prestabit conductum, nec proscripto, nisi veniat causa absolutionis petende; et cui conductum dederit, requiri faciet ab eodem, si habeat inimicicias in ciuitate. Si sic, signabitur inimico uel inimicis, quod talis habeat conductum episcopi. Set si petens conductum nesciat, se habere inimicicias in ciuitate, signabitur sculteto, sine quo uel suo nuncio nullus est in ciuitate detinendus. Supradicta omnia et singula promiserunt uniuersitas ciuium et iurauerunt publice, se fideliter et firmiter seruaturos, obligantes se ad obseruanciam eorundem sub pena duorum milium marcarum argenti. Quod si forte contingeret dominum episcopum mouere questionem, quod dicta uniuersitas promissum suum infringerint, dominus episcopus de expresso parcium nunc consensu eliget IIII^or de canonicis maioris ecclesie, qui examinatis facti circumstanciis a die electionis sue infra octo dies partes, si poterunt, amicabiliter concordabunt; quod si non possent, nos Her. comes de Hennenberc ad vocationem domini episcopi uel ciuium assumptis nobis quoscumque voluerimus sub iuramento fidelitatis, si requisiti fuerimus, omni gracia, odio et captione postpositis huiusmodi questionem fine debito terminabimus infra mensem; et si per nos decretum fuerit, quod ciues promissum infringerint et sint rei, iidem ciues infra XIIII dies domino episcopo ad arbitrium nostrum satisfacient de offensis; quod si non fecerint, extunc duo milia marcarum argenti episcopo uel cui deputauerit, soluere tenebuntur. Pro huius pecunie solucione obligauerunt se iuramento dicta ciuium vniuersitas, quod ex eis XL, quos episcopus nominandos duxerit, astricti erunt fideiussorie episcopo, qui moniti ab eodem super dampnum vniuersitatis se recipient in palatio, si episcopus absens fuerit, vel in curia Kazenwichus, vbi more debito prandebunt et singulis noctibus dormient, quousque de ipsa pecunia fuerit episcopo plenarie satisfactum. Super hec nos H. et Her. comites de Hennenberc promisimus fide data in manibus episcopi, et H. de Kastele similiter ad instanciam ipsorum ciuium promisit, quod bona fide pro posse nostro promouebimus, quod ipsi ciues omnia et singula prescripta firmiter obseruabunt. Quod si non facerent, nos extunc inantea episcopo contra sepedictos ciues dare debemus consilium et iuuamen potenter et patenter cum totis viribus nostris sub dampnis propriis expensis, quousque episcopo satisfecerint et penam soluerint memoratam. Et hec promissio nostra durabit usque ad proximum festum beati Kyliani et extunc ad annum et non ultra, tractatu tamen con cordie in suo robore permanente. Sciendum etiam est, quod episcopus debet ipsos ciues defendere et conducere pro posse suo, et honeste ac amice tractare eos, et in iure suo more predecessorum suorum conseruare et indebite

non grauare, nec aliquem facere sine causa rationabili captiuari; et si forte iniuste grauaret eos, VIII[or] canonici deputati ab episcopo delatam ad eos questionem amicabiliter, si poterunt, decident infra octo dies. Quod si non possent, nos comes Her. assumptis nobis, quoscunque voluerimus, sicut supradictum est, sub iuramento, si requisiti fuerimus, omni gracia, odio et captione remotis ipsam questionem terminabimus infra mensem. Et si decreuerimus, quod episcopus iniuste grauauerit ipsos ciues, dominus episcopus huius iniuriam et grauamen reuocare debebit infra XIIII dies. Quod si non faceret, ciues de pena duorum milium marcarum erunt omnimodis absoluti, tractatu tamen concordie nihilominus permanente in omnibus articulis, ut superius continetur. Hec omnia dominus episcopus se seruaturum promisit in manibus nostris secundum quod in priori conpositione O. de Luterberc archidiaconus et C. de Rotenbur portenarius ecclesie herbipolensis tactis sacrosanctis ewangeliis in ipsius episcopi animam, quod omnia premissa obseruare debeat, iurauerunt. Et hec omnia tam a partibus, quam a nobis sine omni dolo et captione debent fieri et seruari. In cuius rei euidenciam presentem literam conscribi fecimus et sigillorum domini episcopi, capituli, nostrorum L. comitis de Rienecke et Heinrici de Kastele comitis, Al. de Trinberc et ciuitatis munimine roborari. Actum Herbipoli, anno domini M°. CC°. LXI°., nonis Octobris.

Appendent sex sigilla partim laesa; sigilla comitis L. de Rienecke et comitis Hennrici de Kastele perierunt.

Editum in Jäger Geschichte Frankenlands III. pag. 423 Nr. LVIII.

CCCXLIX.

Anno 1262., 16. Januarii, Herbipoli.

Boppo praepositus maioris ecclesiae herbipolensis mansum apud Eichesvelt, praeposituræ attinentem, coenobio in Coeliporta confert iure haereditario possidendum, erga servitia debita et consueta sibi exhibenda.

Boppo dei gracia prepositus maioris ecclesie herbipolensis. Notum esse uolumus omnibus hanc litteram inspecturis, quod, cum .. abbatissa et conuentus cenobii Celiporta emissent apud Eichsuelt

unum mansum, nostre prepositure pertinentem, scilicet dimidium mansum a Cvnrado et Vlrico fratribus et dimidium mansum a Howardo et C., fratribus filiis sororis iam dictorum C. et Vlrici et cum iidem IIII^or viri eundem mansum manu coadunata uxorum suarum resignassent ipsi cenobio primum apud Eichsuelt manu et calamo, sicut est consuetudinis atque iuris, venerunt postea iidem IIII^or ad presentiam nostram et sepedictum mansum in manus nostras resignarunt, renuntiantes omni iuri, quod in eodem noscebantur habere, manu et calamo sicut fieri est consuetum. Quem mansum nos ad eorum instantiam coram testibus subscriptis concessimus memorato cenobio hereditarie possidendum eo iure, sicut prefati IIII^or uiri eum a nobis possiderunt et ut inde nobis, sicut de aliis nostris mansis et mansonariis, exhibeantur seruicia debita et consueta. In cuius rei testimonium presens littera est conscripta et sigilli nostri munimine diligentius roborata. Actum Herbipoli in curia nostra anno domini MCCLXII., mense Januarii, XVII. kalendas. Testes huius rei sunt: Bertoldus sacerdos, vicarius maioris ecclesie, Waltherus Gir, Hiltebrand de Lůden, H. de Butert, Rvdeger de Tiefe milites; Fridericus de Gebesedel, Gunterus et Reinhardus fratres de Boffingen, Withigo dictus Stellewagen, Wolframus dictus Sider, Hengelbaum de Westheim, Heroldus Schrenke, Anselmus de Ingilstat, Albertus Studigel, H. Sintman et alii quam plures.

Sigillum Bopponis praepositi appensum in margine aliqualiter est violatum.

CCCL.

Anno 1262., 6. Martii.

Cunradus, quondam plebanus in Nůweseze, nunc hospitalis et domus S. Theoderici herbipolensis procurator, pro anniuersario suo celebrando dicto hospitali donat domos tres et aream unam iuxta domum Welandi Fabri.

I. n. d. a. Quoniam humana memoria labilis est et caduca, necesse est, vt ea, que fiunt in tempore, ne processu temporis

labantur in obliuionem, dictis testium et scripti serie diligencius roborentur. Ea propter ego Cunradus, quondam plebanus in Nůweseze, tenore presencium publice recognosco et protestor ac constare cupio vniuersis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, quod, cum procurator essem hospitalis et domus sancti Theoderici herbipolensis, dedi et tradidi tres domos et aream vnam, que sita sunt juxta domum Welandi Fabri, quas in empcionis titulo rite et racionabiliter conparaui, que mihi jure proprietatis libere attinebant, ita, quod perpetuo memoria mei ibidem habeatur et quod meus anniuersarius annis singulis deuocius celebretur. Predictas vero domos et aream post mortem meam dedi et tradidi ad domum et ad hospitale memoratum, vt in perpetuum sub jure proprietatis libere possiderent et quiete et quod nullus cum predictis domibus quidquam disponere haberet vel tractare, set pocius pacifica possessione gaudere debent et quiete. Et vt hec donacio rata permaneat et robur habeat firmitatis, in eiusdem rei testimonium presens littera sigillo venerabilis patris ac domini Yringi episcopi herbipolensis diligentius est roborata. Testes huius rei sunt: Walcunus sacerdos, frater Fridericus de Kenninkein, frater Kupherlinus, frater Henricus de Spicinberg, Cunradus plebanus maioris ecclesie, Henricus de sancto Georio, Ludewicus de Rabinspurc et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini MCCLXII., feria secunda post dominicam reminiscere.

Sigillum Iringi episcopi appendet.

CCCLI.

Anno 1262.

Iringus herbipolensis episcopus villam Nuwendorf, quam Henricus de Zabilstein ab ecclesia herbipolensi in feodo tenuerat et monasterio eberacensi dederat, consensu capituli eidem monasterio proprietatis et liberae possessionis titulo confert.

I. n. s. e. i. t. a. Iringus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod cum bone memorie Henricus de Zabilstein villam Nuwendorf, quam ab ecclesia nostra tenuit in feodo, et siluulam adiacentem dedisset monasterio eberacensi, ordinis cysterciensis, pro remedio anime sue et in reconpensationem dampnorum, que intulerat ipsi monasterio, nos dilectione anime ipsius Heinrici et ob reuerentiam sancte dei genetricis Marie et propter orationes fratrum ipsius monasterii ipsa bona videlicet dictam villam Nvwendorf cum siluula accedente consensu pleno capituli nostri damus dicto monasterio proprietatis et libere possessionis titulo perpetuo possidenda. In cuius donationis nostre testimonium presens scriptum dedimus ipsi monasterio sigillis nostro videlicet et capituli nostri firmiter communitum. Testes sunt: Conradus de Enkersberch cellerarius, Conradus de Lvterberg cantor, Manegoldus de Nvwenburc prepositus sancti Johannis in Houge, Bertoldus de Sterenberc scolasticus et Hermannus frater suus, Otto de Lodeburc custos, Johannes de Rotense, Arnoldus de Spizheim, Waltherus de Obercheim et Hermannus de Wiltberc, canonici maioris ecclesie nostre; Wolframus nobilis de Zabilstein, Harmůdus et Albertus fratres de Scherinberc, Heinricus Vulpes de Svanenberc, Marcquardus Orphanus camerarius, Marcquardus Cruse dapifer, Otto Woluiskele, Otto pincerna et alii quam plures. Datum anno domini MCC sexagesimo secundo, indictione quinta, pontificatus nostri anno octauo.

Sigilla Iringi et capituli maioris ecclesiae appensa bene conservata sunt.

CCCLII.

Anno 1262.

Iringus herbipolensis episcopus ius advocatitium villae Kaltenhusen procedens ab ecclesia herbipolensi in feodo, quod Heinricus comes de Kastele nomine suo et fratris sui Hermanni in manus suas resignaverat, monasterio eberacensi confert in proprietatem.

I. n. s. e. i. t. a. Iringus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod, cum grangia monasterii eberacensis, ordinis cisterciensis, dicta Kaltenhusen, pro iure aduocaticio ville Kaltenhusen, quam ante plures annos fratres eiusdem monasterii destruxerant ad suum commodum, esset uiris nobilibus Heinrico et Hermanno comitibus de Kastele annis singulis obligata ad solutionem duorum talentorum et decem solidorum denariorum herbipolensium, et Bertoldus prefati monasterii abbas ipsam grangiam datis prenominatis comitibus septuaginta quinque libris hallensium ab huiusmodi iure aduocaticio absoluisset, nos ob dilectionem et instanciam dicti abbatis et fratrum suorum et ob reuerentiam sancte dei genitricis Marie uenditionem huiusmodi iuris aduocaticii, quod a manu nostra processit in feodo, gratam et ratam habentes de consensu et bona uoluntate capituli nostri idem ius, quod Heinricus comes de Kastele, frater senior nomine suo et fratris sui Hermanni, in manus nostras coram ipso nostro capitulo resignauit, donamus et transferimus in proprietatem et liberam possessionem monasterii memorati. In cuius rei testimonium dedimus presens scriptum sigillorum nostri et capituli nostri munimine diligentius roboratum. Testes sunt: Conradus de Enkersberge cellerarius, Conradus de Luterberc cantor, Manegoldus de Nuwenburc prepositus sancti Johannis in Houge, Bertoldus de Sterenberc et Hermannus frater suus, Otto de Lodenburc custos, Johannes de Rodense et Hermannus de Wiltberc, canonici maioris ecclesie, Heinricus et Hermannus fratres comites de Hennenberc, Wolframmus

de Zabilstein, Albertus et Wolframmus fratres de Scherenberc, Heinricus dictus Vulpes de Svanenberc, Erkengerus de Sawensheim, Marcquardus dictus Orphanus, milites, et alii quam plures. Datum anno domini MCC sexagesimo secundo, pontificatus nostri anno octavo.

Sigillum Iringi episcopi appensum in parte superiori laesum est.

CCCLIII.

Anno 1262., 15. Junii.

Iringus herbipolensis episcopus recognoscit, quod in bonis sitis in Hiemelstat, quae sanctimoniales de Celiporta a conventu nuenstatensi emerant, nihil iuris habeat, nisi quod super furtis et rapinis aliisque forefactis ad saecularis iudicii forum spectat.

Nos Iringus dei gracia herbipolensis episcopus vniuersis tam presentibus quam futuris presentis pagine inspectoribus volumus esse notum, quod, cum inter nos ex parte vna et dilectas in Christo .. abbatissam et conuentum sanctimonialium de Celiporta ex parte altera super iure attinente bonis sitis in Hiemelstat, que eedem domine erga abbatem et conuentum nuenstatensem emerunt possidenda tytulo proprietatis in perpetuum libere, pariter et quiete, videlicet de constituendis super bona predicta vno sculteto et vno custode segetum necnon tribus custodibus vinearum questio uerteretur, nobis per sentenciarum inquisicionem in negocio rite procedentibus fuit taliter diffinitum, vt conuocatis antedicte uille incolis et conuicinis, quibus de hiis constaret, eorundem in hac parte staretur assercioni firmate prestito iuramento. Juxta hanc igitur diffinicionem iidem incole uille predicte et conuicini ipsorum ciues nostri Karlestatenses ad nostram vocati presenciam super hiis requisiti jurati dixerunt, memoratum jus in bonis supradictis ad ecclesiam nuen-

statensem semper ab antiquo spectasse et nec ad nos nec ad aliquem successorum nostrorum illud aliquatenus pertinere, sed solum nos ibidem habere ius iudicii secularis. Quapropter per hunc modum conperta legittime veritate sepedictum ius in bonis illis, quod de facto possedimus, aliquo temporis interuallo supradictis.. abbatisse et conuentui de Celiporta, ad quas idem ius cum bonis ipsis per emptionem pretactam transiuit, reliquimus liberaliter cum bonis eisdem perpetuo possideudum, recognoscentes et presentibus protestantes, quod nichil iuris ibidem habemus, nisi quod super furtis et rapinis aliisque forefactis ad secularis judicii forum spectat. Testes autem prescripte diffinicionis et expedicionis huius negocii sunt hii: Conradus scolasticus et archidiaconus et Albertus de Truhendingen, canonici ecclesie nostre, et Albertus notarius noster; item Vlricus et Heinricus monachi in Eberach; item conuersi de Celiporta, Hartmůdus, Conradus, Sifridus, Rudegerus, Sifridus pellifex, Heinricus pistor, Diemarus, Heroldus, Gerlacus, Conradus opilio, Volcnandus, Albertus, Heinricus vinitor; item Lupoldus et Dietericus germani de Hohenberg; item milites: Otto Flosculus, Otto dictus Wolfeskele, Fridericus de Wereberc, Godeboldus Crehsso, Conradus Thorso, Ludewicus de Tungeden, Vrowinus de Heisilere, Marquardus Orphanus, Marquardus Cruso, Tretbeir de Arnstein, Hartmudus de Wern, Conradus de Thetilbach, Sintramus scultetus; item ciues herbipolenses: Fridericus Willemůd, Fridericus Buthigularius, Engelhardus Kamerarius; item ciues karlestatenses: Heinricus de Reinstein scultetus, Eispertus, Albertus Rintbrad, Rudegerus de Linach, Rudegerus de Geilenhusen, Willehelmus cellerarius noster, Hiltebrandus Holsterboc; item de Hiemelstat: Albertus, Conradus Hůber, Heinricus Hutil, Engelhardus, Richalmus, Heinricus Schottelin, Eberhardus frater suus, Hornungus et alii, qui interfuerunt tractatui negocii supradicti. Insuper ad maiorem euidenciam predictorum, ne ullus in posterum super hiis scrupulus dubietatis emergat, presentem paginam fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno domini MCCLXII., in die sancti Viti, pontificatus nostri anno nono.

Sigillum Iringi episcopi appendet.

CCCLIV.

Anno 1262., 28. Junii.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis confirmat commutationem, quam officiales sui Wolframus scultetus de Thelheim et Albertus Hegelbaum de Westheim cum fratribus domus hospitalis sancti Johannis in Bibelriet ratione agrorum quorundam fecerant.

Boppo prepositus, Bertholdus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis. Notum esse volumus omnibus hanc litteram intuentibus presentibus et futuris, quod, cum Wolframus scultetus de Telheim et Albertus Hegelbaum de Westheim nostri officiales quadraginta duos agros de officio nostro in Westheim et octo agros de officio nostro in Telheim pro eo, quod ipsis laboriose et nobis minus fructuose iacebant diuisim et diminute in locis diuersis, fratribus in Bibelriet conmutassent pro aliis quadraginta duobus agris sitis in loco, qui dicitur Bodeme, et pro octo agris in Woluesgrunde, sitis pariter in Bibelrieterflure, nos ad peticionem tam fratrum in Bibelriet, quam officialium nostrorum concambium huiusmodi factum et habitum rationabiliter inter ipsos admittimus, approbamus et consensu nostro vnanimi presentibus litteris confirmamus. Insuper pro quibusdam sexaginta agris diuisim et disperse iacentibus, quos iam dicti fratres in Bibelriet tenebant ab ecclesiis Hauge, Kizzingen et Afre oblationis nomine nullas inde decimas dantes, quia sepedicti officiales nostri pro nostra utilitate et conmodo ampliori dederunt in concambium sub iure priore alios sexaginta agros, quorum viginti uersus Kizzingen, viginti uersus nemus et viginti uersus Wirzeburg agri iacent. Quod utique concambium nobis placet et unanimiter confirmamus. Vt igitur hec omnia tam per nos quam per fratres dicte domus in Bibelriet robur perpetue obtineant firmitatis, scripta est in testimonium presens littera et sigillis nostri capituli ac domus hospitalis sancti Johannis in Wirzeburg diligentius roborata, quam

dictis fratribus dedimus, in ecclesia nostra litteram consimilem reseruantes. Actum et datum anno domini MCC sexagesimo secundo, indictione Va., in vigilia apostolorum Petri et Pauli.

Sigillum maioris capituli quondam appensum periit, sigillum hospitalis S. Johannis in Wirceburc appendet laesum.

In margine sinistro chartae leguntur pedes literarum verbi „Cirographvm".

CCCLV.

Anno 1263., 14. Aprilis.

Statutum capituli maioris ecclesiae herbipolensis de locatione cantoriae, emancipatione scolarium et receptione fratrum.

I. n. d. a. Nos arbitri B. decanus, O. de Luterberg, C. cellerarius, M. de Nuwenburg, O. custos et C. scolasticus. Super ordinatione negociorum ecclesie nostre, videlicet de locatione cantorie nostre, de emancipatione scolarium et de receptione fratrum capituli concordati taliter pronunciamus, et pronunciando taliter denominamus dominum C. de Theleheim cantorem ecclesie nostre; item denominamus H. de Weichmar, B. de Hennenberg, qui de receptione ordinum sine licentia capituli satisfaciet capitulo ad consilium nostrum, Vl. de Spekeuelt, Hart. de Kirchberg et .. de Zabelstein, C. de Hohinberg, B. de Teicke, .. de Lewenstein a scolis esse emancipatos, ita tamen, quod prefati, qui non sunt in studio generali et aliis inpedimentis legittimis ligati, debent ad proximos ordines ad subdiaconatus ordinem promoueri, et si contra hoc uenerint, in scolas iterum retrudantur. Statuimus eciam, ut diligentes sint in choro et pro se in cantando et legendo suas faciant septimanas et aliorum canonicorum suorum maiorum in cantando et legendo uices suppleant, quando ab ipsis fuerint requisiti. Item de aliis adhuc in scolis manentibus, scilicet .. de Schelkelingen,

B. de Herbersberg, .. de Hurnheim, Arn. de Vssinkeim, Wol. de Lina taliter ordinamus, quod a proximo festo penthecostes ad biennium manebunt in scolis et tunc sunt sine omni inpedimento et contradictione qualibet emancipati, et priores emancipati stabunt cum sequentibus loco suo. Preterea denominamus C. de Lodeburg, Wer. de Tannenberg, .. de Bastheim, Hart. de Helderungen, L. de Hohinburg et .. de Dassele capituli fratres esse, tali modo, quod per triennium vocem in capitulo non habebunt, et specialiter ille de Dassele loco capituli carebit, nisi prius gracie capituli reformetur. Item dominus decanus precipiet illi de Helderungen in uirtute obediencie sancte, quod ad proximos ordines debet ad subdiaconatus ordinem promoueri. Quod si non fecerit, a capitulo sit exclusus. Vt autem omnia ista, que in presenti littera sunt expressa, ab omnibus firmiter obseruentur, sigillis venerabilis domini nostri I. episcopi et capituli nostri et nostrorum presentem litteram fecimus diligencius roborari. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. LX°. tercio, in die Tiburcii et Valeriani.

Sigilla perierunt, remanente tantum fragmento secundi.

CCCLVI.

Anno 1263., 13. Maii, Herbipoli.

Compositio inter Iringum episcopum herbipolensem et capitulum maioris ecclesiae ex una parte et fratrem Guidonem, priorem provincialem fratrum heremitarum ordinis S. Augustini per Alemanniam et fratres dicti ordinis Herbipoli constitutis ex altare parte.

I. n. s. e. i. t. Hec est forma et conpositio inter venerabilem patrem Yringum dominum episcopum et capitulum herbipolense ex una parte et fratrem Gvidonem, priorem provincialem fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini per Alemaniam, cum

suis fratribus Herbipoli constitutis ex altera. Fratres dicti ordinis heremitarum sancti Augustini herbipolenses suberunt et obedient domino episcopo herbipolensi in omnibus, saluis sui ordinis institutis. Ordines et alia sacramenta recipient a domino episcopo vel ab alio, eius licentia requisita. Excommunicatos eius uitabunt. Interdictum generale ab eo vel capitulo maioris ecclesie positum obseruabunt, nisi quatenus speciali priuilegio sunt exempti, scilicet ut interdictis et exconmunicatis exclusis, ianuis clausis, non pulsatis campanis celebrent voce submissa. Sepulturam habebunt tantum pro fratribus et conuersis et familia intra septa claustri conmorante. Auctoritate domini pape super hoc accedente domini herbipolensis episcopi licentia speciali et consensu in ciuitate herbipolensi et dyocesi predicabunt, qui per priorem domus herbipolensis ad predicationis officium fuerint ydonei iudicati. Cauebunt autem, ne in predicationibus suis scandalizent clericos uel prelatos. Per predicationes suas non impedient stationes sollempnes, puta: rogationum, letanie maioris, processiones dierum sollempnium Palmarum, Pasche, Ascensionis, Pentecostes, Kyliani et similes vel alias, quas episcopus uel maior ecclesia specialibus de causis duxerit indicendas. Dedicaciones ecclesiarum conuentualium in ciuitate, parochialium in rure non impedient ibi predicando et sic populum auocando, nisi fuerit de uoluntate decanorum in ciuitate et parochianorum in rure. Ceteris autem diebus, quibus nullum predictorum impedimentorum occurrerit, pulsata prima in ciuitate libere predicabunt, ita tamen, quod nullis diebus, quando maiori ecclesie honor consueuit exhiberi, tacebunt, donec missarum sollempnia celebrentur. Audient autem confessiones et iniungent penitencias sub hac forma: eos, qui inmediate subsunt episcopo, puta: eos, qui dicuntur synodales, recipient uice episcopi, laycos autem, qui plebanis subsunt, et clericos, qui decanis subsunt, monachos et regulares canonicos, uolentes eis confiteri, non recipient, nisi suis prelatis primitus sint confessi; facta autem suis prelatis confessione vel licentia habita libere confessiones eorum audiant et penitentias iniungant. Si quis autem dixerit, se proprio sacerdoti nolle confiteri, nisi ex causa canonibus penitencialibus expressa, nullatenus audiatur. Et si contingat, quod aliquis in principio con-

fessionis dicat, se habere licentiam et postea negauerit in medio uel in fine, ad sacerdotem suum sine penitentia remittatur. Si vero dixerit se quis suo prelato confessum requisitus, fideliter recipiatur ad confessionem et penitentia iniungatur. Vocati ad capitulum maioris ecclesie, cum necessitas inminebit, venient ad dandum consilium, auxilium et fauorem super libertate et inmunitate ecclesiarum omnium et personarum ecclesiasticarum, religiosarum et secularium et rerum eisdem pertinentium. [1]) Vt autem hec, que scripta sunt, in perpetuum firmiter et inuiolabiliter obseruentur, presens instrumentum super hiis de partium consensu confectum venerabilis patris domini Yringi episcopi herbipolensis et maioris ecclesie priorisque prouincialis dictorum fratrum ordinis sancti Augustini per Alemaniam sigillorum inpressionibus est munitum. Acta sunt hec in Herbipoli anno ab incarnatione domini MCCLXIII., indictione sexta, III. idus Maii, domini Iringi herbipolensis episcopi pontificatus anno X.

Sigilla appensa capituli maioris et prioris provincialis ordinis S. Augustini laesa sunt; sigillum Iringi periit.

[1]) Charta: „pertinentibus“.

CCCLVII.

Anno 1263., 1. Junii.

Gysela de Hemersheim, manu mariti sui Ottonis pincernae Iringo herbipolensi episcopo vendit pro CC marcis argenti omnia bona sua, quae possidet ex hereditate paterna, sive in dote, vel ex donatione aut legatione bonae memoriae Gotfridi de Sauwensheim, mariti sui praemortui.

In nomine domini amen. Ego Gysela de Hemersheim confiteor et notum facio vniuersis, quod manu dilecti mariti mei Ottonis pincerne coadunata, acceptis a venerabili domino meo

Iringo episcopo herbipolensi ducentis marcis argenti, omnia bona mea, que possideo ex hereditate paterna siue in dote, uel ex donatione aut legatione bone memorie Gotfridi de Sauwensheim, mariti mei premortui, siue sint propria siue feoda, omnia infrascripta et vniuersaliter quesita et inquirenda do et trado dicto domino meo episcopo et ecclesie herbipolensi proprietatis nomine perpetuo possidenda. Super qua donatione mea presentes fieri iussi litteras et eas dedi sigillo Ottonis pincerne, mariti mei, firmiter conmunitas. Hec sunt siquidem bona: in villa Hemersheim bona, empta aput Hedewigun de Lemberheim, viduam Betelmanni, soluunt viginti modios annone diuerse, XL$^{a.}$ denarios, duos pullos; item ibi mansum VIIII modios, V solidos, dimidium sumerin olei; item locum molendini Hemersheim ad vnum modium siliginis et piscaturam, que vacat; item dimidium mansum, III modios siliginis, LXXV denarios et vnum pullum; item I agrum, vnum modium tritici; item de aliis agris vnum et dimidium modium siliginis; item vnum agrum, I modium auene, vnum solidum denariorum; item de agris, que Gerute dicuntur, XIIII vncias denariorum; item de domo et agris attinentibus IIII^{or} vncias et XIIII pullos; item due domus XI solidos, IIII^{or} pullos; item vna area III metzas olei, II pullos; item de duabus domibus et areis VI solidos, IIII^{or} pullos; item de decima siue bonis decime VI modios siliginis. Summa istorum bonorum: XLII et dimidium modios annone, in denariis: III^{a} talenta LIII denarios, viginti septem pullos, dimidium modium olei; item ibidem Hemersheim curia et bona attinentia ad LII modios annone, XL^{a} denarios, II pullos; item ibi curia et bona XL^{a} modios annone, XL^{a} denarios, duos pullos; item curia XXXV modios annone, XL^{a} denarios, VI pullos, II anseres; item curia XVI modios annone, II pullos, duas metzas olei. Summa: CL modios annone, XXVIII solidos, duas metzas olei; insuper VII agri boni, qui coluntur pro media parte; item aput Vffenkeim bona XX modios annone, X solidos denariorum; item ibidem Vffenkeim bona ipsius domini episcopi pro C libris hallensium mihi nomine pignoris obligata dimisi ipsi domino episcopo absoluta; item apud Phalenheim bona ad XIII modios annone, duos pullos, XL denarios; item aput Kullisheim bona ad

IIII[or] et dimidium modios annone, duos pullos; item ibidem Kullisheim de agro dimidium modium siliginis: item aput Bullenheim de area I solidum, vnum pullum et duos et dimidium agros bene ualentes, quas uiolenter occupat Hiltebrandus; item aput Harpach II mansos, ad XXX[a] solidos, VIII[to] pullos; item aput Lemberheim de manso VI modios annone, V solidos; item aput Yphehouen de agro I modium siliginis, VIII[to] vncias denariorum; item ibidem XXVIII[to] jugera vinearum; item ibidem XI pullos; item infra Hittenheim et Emerichesheim X agros pratorum; item aput Sauwensheim dimidium mansum dictum widemhůbe, que non soluit decimam; item aput Westerndorph XVI[cim] agros weizakere; item in diuersis locis residentes homines LX[a]: item Wirzeburch in platea Bolonis: curia Walkenriet et paruum Kitzingen curia ita, ut dominus episcopus det fratribus minoribus XX talenta; item de debitis LXXXIIII libris hallensium. in quibus dominus episcopus mihi tenebatur. eum dico et pronuncio absolutum. Hec tria bona sunt feoda ab episcopo: aput Morlebach bona ad XLVII modios annone cum mensura de Rotenburch, XXIII vncias denariorum, VI carratas feni, vnum et dimidium modium caseorum, DC oua; item aput Lupurgehusen XXVI modios annone, duos solidos, II pullos, dimidium modium caseorum, III metras olei. aput Breute de vronehoue canonicorum I talentum, et sic premissa tria bona vacent episcopo. Hec est summa totalis proventuum prescriptorum: CCCIII modii annone diuerse, XX libre hallensium minus IIII[or] solidis, LXVII pulli, VIIII metze olei, duo modii caseorum, DC oua, VI carrate feni, XXVIII[to] jugera vinearum, XXV agri boni weizakere preter prata et dimidium mansum widemhube et curias in Herbipoli et homines residentes ubique et hallenses, de quibus clamo dominum episcopum absolutum. Datum anno domini MCCLXIII[o], kalendis Junii, indictione VI[a], pontificatus nostri anno X.

Sigillum Ottonis pincerne appendet.

52*

CCCLVIII.

Anno 1263., 1. Junii.

Iringus herbipolensis episcopus bona in diversis locis sita, in Wirzeburch et alibi, quae b. m. Gotfridus de Sauwensheim et Gysela de Lemberheim uxor eius possederant, ab ipsa Gysela et Ottone pincerna, quocum postmodum legitime contraxerat, pro ducentis marcis argenti emit, iisdemque pro eadem summa officium sculteti in Heitingsvelt obligat.

Iringus dei gracia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod, cum bona in diuersis locis sita in Wirzeburch et alibi, que bone memorie Gotfridus de Sauwensheim et Gysela de Lemberheim vxor sua, quedam in proprietate et quedam nomine feodi viuente Gotfrido pariter possidebant, infra estimata, quesita et inquirenda, que dicta Gysela de Lemberheim proprietatis nomine, uel ex donacione aut legacione Gotfridi de Sauwensheim mariti sui premortui possedit, aput ipsam Gyselam et Ottonem pincernam nostrum, cum quo ipsa postmodum legittime contraxit, pro ducentis marcis argenti ecclesie nostre herbipolensi emissemus, nos pro eisdem ducentis marcis dictis pincerne et Gysele de consensu et fauore capituli nostri obligauimus officium sculteti nostri de Heitingsuelt, saluis nobis precariis nostris in vino et denariis, ita, ut ipsi pincerna et Gysela idem officium, quod estimatur ad sexaginta libras hallensium, habeant et annis singulis ab inde percipiant viginti marcas argenti, prout argentum cambiri solet ante monetam. Et si de illis hallensibus aliquid superfuerit, nobis soluant, sed si minus fuerit, de defectu respectum habebunt ad nos, quem adimplebimus de precariis nostris ibidem. Et si officium alicui alteri locare uoluerint, id facient de nostro consilio, quod eis sine protractione qualibet impendemus. Locabunt inquam ibi aliquem, qui non sit hominibus onerosus. Dictum est eciam, si ambo decederent, illi infrascripti, in quorum manibus loca-

uimus ipsum officium, predictis et eorum heredibus optinendum, quod similiter de nostro consilio illud locabunt. In manibus si quidem subscriptorum idem officium locauimus sepedictis pincerne et Gysele ac illis, quibus ipsa Gysela memoratas ducentas marcas argenti dederit uel legauerit integraliter aut particulariter, cum requisiti fuerint optinendum medio tempore quo usque nos aut successores nostri de ipsa summa argenti ducentarum marcarum idem officium absoluamus. Isti sunt in quorum manibus idem officium est locatum: Waltherus dictus Gyr, Arnoldus Pica, Goteboldus Crese, Iringus frater suus, Arnoldus Wolfolt, Heinricus filius Goteboldi, Eckehardus filius suus, Gernodus Houescultheize, Hiltebrandus de Luden, Richolfus de Isenhofen, Heinricus Tacprot, Iringus filius Heinrici Cressonis, Cvnradus de Witolshusen, Eckehardus filius E. dapiferi. Et ut huiusmodi officii nostri obligacio omnibus patefiat et predictis pincerne et Gysele et omnibus, quibus ipsa predictas ducentas marcas integraliter uel particulariter dederit uel legauerit, a nobis et successoribus nostris inuiolabiliter obseruetur, presentem litteram super hoc conscriptam dedimus sigillo nostro et sigillo capituli nostri firmiter conmunitam. Hec est estimacio bonorum: soluunt inquam trecentos modios et tres modios anone diuerse, viginti libras hallensium minus IIII^or^ solidis, LXVII pullos, duos modios caseorum, DC oua, nouem metzas olei, VI carratas feni, insuper XXVIII^to^ jugera vinearum, item X agros pratorum, item dimidium mansum widemhube, item viginti quinque agros et dimidium, item sexaginta homines in diuersis locis residentes, item duas curias in platea Bolonis: Walkenrieth et paruum Kitzingen, et alia quesita et adhuc inquirenda. Datum anno domini MCCLX tercio, indictione VI., pontificatus nostri anno decimo, kalendis Junii. Item villam Vffenkeim eidem Gysele expositam pro centum libris hallensium dicta Gysela nobis dimisit absolutam. Item de LXXXIIII libris hallensium, in quibus eidem tenebamur, nos dimisit liberaliter absolutum.

Ex duobus sigillis quondam appensis illud Iringi episcopi valde laesum superest.

CCCLIX.

Anno 1263., 6. Novembris.

Burchardus de Ebersperch, herbipolensis canonicus, domino Bertoldo decano et Hermanno fratri eiusdem de Sterenberc, oppignorat curiam suam Cůlenberc cum oblatione in Otelvingen.

Ego Burchardus de Ebersperch, canonicus herbipolensis, recognosco litteris presentibus protestando, quod dominus Bertoldus decanus et Hermannus frater eius de Sterenberc, mei concanonici et confratres, mihi quadraginta marcas puri argenti mutuarunt. Ratione cuius ipsis curiam meam Cůlenberc cum oblatione mea in Oteluingen nomine pignoris obligaui a festo Martini proxime uenturo per triennium continuum possidendam, hac interposita pactione, quod ipsi soluent omnem canonem, qui de oblatione iam dicta et curia est soluendus. Quo persoluto, quicquid superest de fructibus eiusdem oblationis libere usibus meis cedet. Quandocumque etiam predictum argentum persoluero, siue ante dicti triennii euolutionem, siue post, tunc curia mea cum oblatione est libera et soluta, set ipsi in curia per triennium ipsum stabunt, et postmodum tamdiu donec dictum argentum ipsis fuerit totaliter persolutum. Quicquid etiam medio tempore in ipsa curia edificari fecerint seu reparari, quod est necessarium, hoc eis persoluam cum prefato debito argenti secundum quod H. de Erfordia, ecclesie nostre vicarius perpetuus, et Johannes de Clebaum, subcustos, fuerint arbitrati. In cuius rei testimonium presens littera est conscripta, et sigillis dominorum Ottonis de Lůterberc, archidiaconi, Th. Kyselingi, Hermanni de Wilperc ac meo diligentius roborata. Datum anno domini M°. CC°. LXIII°., VIII°. idus Nouembris. Testes huius rei sunt: iam dicti Otto de Lůterberc, Th. Kyselingus, Wernherus de Thannenberc, Hermannus de Wilperc, H. de Erfordia, Johannes de Clebaum subcustos et alii quam plures.

Appendent quatuor sigilla laesa.

CCCLX.

Anno 1264., 9. Januarii.

Bertoldus de Sternberc, decanus maioris ecclesiae herbipolensis testatur, quod Heinricus de Breitingen, canonicus novi monasterii curiam suam, de qua libra cerae in oblationem ecclesiae maiori annuatim solvitur, domui hospitali S. Johannis in Herbipoli, salva oblatione praescripta legavit.

Bertoldus de Sternberc, dei gracia decanus maioris ecclesie herbipolensis, omnibus noticiam subscriptorum. Accedens ad nos magister Heinricus de Breitingen, canonicus noui monasterii, fatebatur publice, se legasse domui hospitali sanct Johannis in Herbipoli curiam suam, de qua libra cere in oblacionem ecclesie nostre maiori soluitur annuatim. Hoc ergo factum renouans coram nobis iterato predicte domus fratribus et infirmis legauit eandem curiam post ipsius mortem, salua nostra oblacione prescripta, pro remedio sue anime possidendam. Qvam vtique legacionem idem magister Heinricus presente fratre Vlrico de Felleberc, conmendatore herbipolensi, et fratre Gotefrido de antiqua curia semper ratam fore statuit in nostra presencia et tenere eam irreuocabilem se promisit. In cuius rei testimonium presens scriptum confectum super eo in robur debite firmitatis petiuit sepedictus magister Heinricus sigilli nostri robore conmuniri. Quod a nobis admissum itaque est et factum. Actum anno domini MCCLXIIII., post epifaniam domini die quarto.

Fragmentum sigilli appendet.

CCCLXI.

Anno 1264., 20. Februarii.

Iringus herbipolensis episcopus advocatiam in villa Cramseneite super bona canonicorum ecclesiae S. Johannis in Hauge, quam nobiles viri, comites Heinricus et Hermannus de Castela in manus suas resignarunt, ecclesiae memoratae donat.

I. n. d. a. Iringus dei gracia herbipolensis episcopus omnibus in perpetuum. Obliuionis et ignorancie uitio potissime obuiatur, si ea, que inter mortales aguntur, scripturarum aminiculis conmendentur. Inde est etiam, quod gesta gratuita, iusta et uoluntaria coram nobis in scripta redigi facimus, ut optatam et debitam optineant firmitatem. Volumus itaque manifestum fieri per presentes litteras uniuersis tam posteris quam modernis ipsas intuentibus, quod nobilis uir comes Heinricus de Castela vna cum fratre suo comite Hermanno in nostra existentes presencia libere et absolute resignarunt ad manus nostras aduocaciam, quam habebant in uilla Cramseneite, in bonis canonicorum ecclesie sancti Johannis in Haůge, quam aduocaciam capituli nostri accedente consensu pariter et fauore donauimus liberaliter et tradidimus in proprium ecclesie memorate, ut eam de cetero teneat et possideat auctoritate nostra perpetuo in libertate quieta. Ad cuius resignationis et nostre collationis perhennem memoriam scriptum presens cum testibus subnotatis fieri iussimus et tam nostro quam capituli nostri sigillis dedimus roboratum. Testes autem sunt ex canonicis ecclesie nostre, videlicet: Berhtoldus decanus dictus de Sterenberc, Cunradus scolasticus et archidiaconus dictus de Durne, Manegoldus prepositus ecclesie sancti Johannis in Haůge dictus de Nuwenburc, [1]) Symon prepositus de Burselon dictus de Slitese; ministeriales ecclesie nostre: Marquardus Orphanus, Cunradus Thorso et frater suus Karolus Thorso, Berhtoldus et Eberlinus fratres dicti Huneclin [2]), Leo miles; item milites eorundem comitum: Vtho [3]) dapifer, Ludewicus de Kotenheim [4]),

Albertus Vulpes, Heinricus dictus Schello et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, decimo kalendas Marcii, pontificatus nostri anno vndecimo.

Adsunt duo exemplaria. [1]) In B. inter testes Manegoldus etc. praecedit Cunradum scolasticum. [2]) B. „Hunenelin". [3]) B. „Vto". [4]) B. „Cottenheim".

Ambobus in exemplaribus sigilla laesa sunt.

CCCLXII.

Anno 1264., 31. Maii.

Statutum maioris ecclesiae herbipolensis, ut quilibet canonicus de oblationibus suis canonem debitum statutis temporibus sub poena suspensionis a praebenda persolvat.

B[oppo] prepositus, B[ertoldus] decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis. Cum nos sepius per negligenciam possessorum oblationum nostrarum in prebendis nostris defectum non modicum sentiremus, prouida deliberatione decreuimus ordinandum et in perpetuum obseruandum, quod quicunque canonicus canonem de oblatione sua uel de curiis siue in frumento, siue in uino, siue in denariis post ammonitionem a portenaria siue a scriptore eiusdem officii factam XV diebus ante diem solutionis, ipso die non soluerit, a decano, uel si absens est, a maiore de capitulo prebenda ipsius suspendatur; et si XV diebus prebenda ipsius steterit suspensa, ad mandatum decani siue maioris de capitulo sine omni contradictione in claustrum se recipiet, prebenda, eo manente in claustro, sibi XV diebus ministretur; elapsis uero XV diebus supradictis, prebenda sua iterato suspendatur, de claustro non exituro, nisi canone plenarie persoluto. Quod nos omnes in uirtute sancte obediencie et data fide promisimus, quod pro nullo petemus, nec aliquem defendemus. Si

vero aliquis nostrum aliquem contra predictam formam defenderit, ipso facto a fratrum consortio sit eiectus, et non recipietur, nisi de communi consensu capituli. Item si dominus prepositus et decanus canonem de oblationibus suis post ammonitionem, ut dictum est, non soluerint, pro quolibet eorum unus canonicus claustrum intrabit uel personaliter ipsi, inde nullo tempore exituri, nisi canone plenarie persoluto, cum suspensione prebendarum suarum secundum formam supradictam. Termini solutionum in denariis seruentur statutis temporibus ab antiquo. Vinum et annona soluta sint ante festum Epyphanie; si qui vero absentes fuerint, et non procurauerint canonem suum pro ipsis solui, elapsis terminis solutionis .... [1]) duos menses vacent oblationes eorum ipso facto nisi infirmitate uel captiuitate sint detenti prebende eorum non restitute nisi canone plenarie persoluto. Item denarii tam maiores quam minores portenarie uel scriptori eiusdem officii presententur, preterquam in magnis denariis, quos quilibet sibi uel suis comensalibus de consensu scriptoris licite poterit ministrare, dummodo prebenda eorum non fuerit suspensa. Item quocunque die denarii minores fuerint plenarie dati, ipso die diuidantur uel sequenti; et cuiuscunque domini prebenda suspensa steterit usque in quartum diem uel ulterius usque ad restitutionem prebende, carebit omnibus denariis medio tempore diuidendis, licet quilibet dominorum semel in anno habebit sex septimanarum inducias equitandi de licentia domini decani, et nisi ipsas inducias a decano petierit, elapsis XV diebus prebenda ipsius suspendatur. Item scolares se recipient in dormitorium et scolas et viridarium eorum pro oblationibus soluendis et hoc moniti per scolasticum uel cantorem, et nulla patebit eis uia nisi gressus ad chorum eundi et redeundi, inde non exituri nisi prius canone persoluto; sustinebunt etiam suspensionem prebendarum secundum formam suprascriptam. Preterea, si absentes fuerint, sustinebunt penam de vacatione oblationum antedictam. Item promisimus, quod si dominus episcopus canonem debitum ad nostram prebendam spectantem, statuto tempore non soluerit, sequenti die post terminum solutionis cessabimus a diuinis. Hanc formam et ordinationem suprascriptam nos omnes promisimus bona fide et in uirtute sancte obediencie diligencius obseruandam;

et qui iam absentes sunt, quando redierint et qui ammodo ad capitulum recipiuntur, iurabunt et seruabunt formam prenotatam. Quicunque vero rebelles fuerint, a fratrum consortio sint eiecti. Ne autem super huiusmodi ordinatione nostra in posterum dubium oriatur, presentem paginam conscribi fecimus et sigilli capituli nostri munimine diligencius roborari. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. LXIIII°., II. kalendas Junii.

Sigillum capituli maioris appendet.

[1]) Charta hic perforata est.

CCCLXIIII.

Anno 1264., 21. Julii.

Iringus herbipolensis episcopus decimam in Wûfurthe, qua Manegoldus comes de Wilperch ab ecclesia herbipolensi infeodatus erat, sanctimonialibus in Marpurgehusen in proprietatem dat, accipiens in restaurum a dicto comite proprietatem eius in Hagenbuch, ab ipso comite loco decimae in feodo possidendam.

Iringus dei gracia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod, cum vir nobilis Manegoldus comes de Wilperch, habito venditionis tractatu cum abbatissa . .[1]) et conuentu sanctimonialium in Marpurgehusen de decima in Wûfurthe, qua ipse comes ab ecclesia nostra infeodatus fuerat, acceptis ab ipsis, abbatissa et conuentu, quadraginta quinque marcis argenti, ipsam decimam in nostris manibus resignauit, supplicans, ut accepta ab ipso proprietate sua in Hagenbuch nomine restauri, quam loco decime in feodo possidebit, decimam ipsam in Wufurthe in proprietatem dare dicto monasterio dignaremur. Nos itaque eius precibus inclinati, accepta ab ipso comite proprietate predicta in Hagenbuch, quam manibus coadunatis Sophie comitisse de Kastel, Adelheidis vxoris viri nobilis Cvnradi de Trimperch et Agnetis, filiarum suarum, ecclesie nostre nomine restauri dedit in proprietatem, decimam in Wufurthe memorato monasterio in Marpurgehusen de consensu capituli nostri damus proprietatis nomine perpetuo possidendam. Et, ut hec nostra donatio et restauri

assignatio omnibus patefiant et secundum, quod expedit nostre ecclesie et dicto monasterio, inuiolabiliter obseruentur, presens scriptum dedimus sigillis, nostro et capituli nostri, firmiter communitum. Datum anno domini MCCLXIIII., duodecimo kalendas Augusti, indictione VII., pontificatus nostri anno undecimo.

Appendent duo sigilla, quorum primum fractum est.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 428 Nr. LIX.

[1]) Hic lacuna pro inserendo nomine abbatissae.

CCCLXIV.

Anno 1265., 1. Februarii.

Hermannus comes de Kastele et Sophia uxor eius decimam in villa Ergersheim, quae de manu Iringi episcopi herbipolensis in feodo procedebat, eiusdem consensu fratribus domus hospitalis S. Johannis in Wirzeburch vendunt, dantes in restaurum episcopo villam suam propriam Geruthe, sitam sub castris Kastele, loco decimae villae Ergersheim in feodo habendam.

Nos Hermannus comes et Sophia eius coniux comitissa de Kastele notum facimus vniuersis huius pagine inspectoribus, quod, cum venerabilis dominus noster Iringus episcopus herbipolensis nobis indulsisset, quod decimam in villa Ergersheim et decime attinentia, que de manu sua procedebat in feodo, venderemus fratribus domus hospitalis sancti Johannis in Wirzeburch, et ipse eandem decimam et decime attinentia dedisset de consensu capituli sui dictis fratribus et domui hospitalis in proprietatem, nos villam nostram propriam dictam Geruthe sitam sub castris Kastele, estimatam in prouentibus annis singulis ad XL talenta denariorum, manibus coadunatis dedimus dicto domino episcopo herbipolensi et sue ecclesie in restaurum, ut ipsa villa loco decime ville Ergersheim et attinentium habeatur in feodo. Super qua donatione nostra presens scriptum dedimus dicto domino episcopo et ecclesie herbi-

polensi in proprietatem sigillorum nostrorum munimine roboratum. Datum anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, kalendis Februarii, indictione VIIIa.

Appendent duo sigilla.

CCCLXV.

Anno 1265., 13. Februarii.

Iringus herbipolensis episcopus ad instantiam virorum nobilium Heinrici et Hermanni comitum de Kastele decimam in villa Ergersheim, quam ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possidebant et cum aliis bonis propriis ibidem hospitali S. Johannis in Wirzeburch vendiderant, memorato hospitali proprietatis nomine donat, accipiens in restaurum ab ipsis comitibus villam eorum propriam Geriut sub castris Kastele, quam comites loco decimae memoratae in feodo habebunt.

Iringus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod, cum viri nobiles, Heinricus et Hermannus comites de Castele, decimam et decime attinentia, que ab ecclesia herbipolensi possidebant tytulo feodali in villa Ergersheim et alia bona ibidem, que habebant proprietatis nomine, videlicet: predia, vineas, agros, prata, siluulas, domos, areas et redditus vniuersos acceptis a fratre Vlrico de Velleberch conmendatore et fratribus domus hospitalis sancti Johannis in Wirzeburch centum et decem marcis argenti et centum et viginti libris hallensium eorum domui uendidissent et bona ipsa propria manibus nobilium dominarum Sophie et Sophie, uxorum suarum, coadunatis dedissent predicte domui in proprietatem et eis renuntiassent manibus et calamis, prout in hiis tractatibus est consuetum, ad predictorum comitum instantiam, acceptis ab ipsis comitibus villa eorum propria Geriut sita sub castris Kastele, ad quadraginta libras in prouentibus estimata in annis singulis, quam predictarum vxorum suarum manibus coadunatis nostre dederunt ecclesie in restaurum dicte decime et attinentium, predictam decimam ville Ergersheim et attinentia ipsi decime memorate hospitali sancti Johannis dedimus de consensu capituli nostri proprietatis nomine perpetuo possidendam. In cuius donacionis

nostre testimonium, et ville Geriut, quam nostre dederunt ecclesie in proprietatem et in restaurum, et habebunt in feodo loco decime memorate et attinentium presentes litteras desuper conscriptas dedimus sigillo nostro et sigillis capituli nostri ac ipsorum comitum de Kastele firmiter communitas. Huius rei testes sunt: Boppo de Trimperch prepositus, Bertoldus de Sterenberch decanus, Cunradus de Durne scolasticus, Cunradus de Telheim cantor, Cunradus de Engersberge cellerarius, Otto de Lodeburch custos, Cunradus de Rottenbur portenarius, Otto de Luterberch, Manegoldus de Nuwenburch prepositus in Hauge, Albertus de Lodeburch et alii canonici herbipolenses; frater Vlricus commendator, frater Bertoldus sacerdos, et frater Reinhardus sacerdos, frater Gotfridus de Altenhof, frater Heinricus de Rinberc, frater Waltherus de Bibelrieth, frater Fridericus custos, frater Sifridus cellerarius, frater Schiltungus et alii fratres domus hospitalis; Ludewicus comes de Othingen, Ludewicus de Kottenheim, Vtho dapifer, Engelhardus de Werne, Albertus Cirle, Vlricus de Wisenbrunne, Albertus Schimel, Fridericus et Bertoldus dicti Kilholz, Vlricus et Cunradus dicti Vriken, Thiemo de Ostheim, Bertoldus de Swarzenberc, Marquardus de Lurungen, Heinricus de Kennenkeim et alii quam plures. Datum anno domini MCCLX quinto, idibus [1]) Februarii, indictione VIII., pontificatus nostri anno vndecimo.

Sigilla Iringi episcopi et Hermanni comitis appendent.

Editum in Jäger Geschichte Frankenlands III. pag. 431 Nr. LXI.

[1]) Charta: „Idus“.

CCCLXVI.

Anno 1265., 22. Februarii.

Iringus herbipolensis episcopus bona in Rimpůr, quae Hilthebrandus miles, dictus de Luden ab ecclesia herbipolensi in feodo possederat et fratribus domus hospitalis S. Johannis in Wirzeburg obtulerat, eisdem fratribus in proprietatem confert, recipiens tria iugera vinearum, Hocheim sita, in recompensationem a dicto Hilthebrando, qui eadem loco bonorum in Rimpůr in feodo possidebit.

Iringus dei gracia herbipolensis episcopus omnibus in perpetuum. Nouerint uniuersi huius pagine inspectores, quod ad instanciam

Hilthebrandi militis dicti de Luden et amicorum suorum bona in Rimpůr, soluencia sex maldra siliginis annuatim, que idem Hilthebrandus a nobis et ab ecclesia nostra maiori herbipolensi in feodo possidebat hucusque, fratribus et infirmis domus hospitalis sancti Johannis in Wirzeburc, sicut obtulit ea ipse, nos de consensu et consilio nostri capituli conferimus et donamus in proprietatem liberam et absolutam in perpetuum de cetero possidenda, receptis in restaurum et in reconpensationem eorumdem bonorum a dicto Hilthebrando tribus iugeribus uinearum suarum sitarum Hocheim in campo, qui Bach dicitur, quod uinetum a nobis et ab ecclesia nostra maiori herbipolensi loco sepedictorum bonorum in Rimpůr tam ipse Hilthebrandus, quam sui successores in feodo possidebunt perpetualiter nunc deinceps. In confirmationem igitur huius nostre donationis et in testimonium presentati nobis restauri presentem cedulam super eo conscriptam sigillis, nostro et nostri capituli, fecimus diligencius conmuniri. Actum anno domini MCCLXV., octavo kalendas Marcii, indictione VIII., pontificatus nostri anno XI. Testes vero sunt: Boppo de Trimperc, prepositus, Berhtoldus de Sterenberc, decanus, Cunradus de Durne, scolasticus, Cunradus de Thalcheim, cantor, Cunradus de Enkersberge, cellerarius, Otto de Lobdeburc, custos, Cunradus de Rothenbur, portenarius, Manegoldus de Nuwenburc, prepositus in Hauge, Otto de Lutherberc, Albertus de Lůbdeburc et alii canonici herbipolenses; layci: Waltherus miles dictus Gir, Heroldus de Hocheim miles, Guntherus et Reinhardus de Bophyngen fratres et alii quam plures.

Sigillum Iringi periit; sigillum capituli appendet.

CCCLXVII.

Anno 1265., 24. Februarii.

Iringus herbipolensis episcopus Cunrado de Enkersperge, cellerario maioris ecclesiae, rectori ecclesiae in Melrichestat indulget, quod si ipsum cedere vel decedere contingat, proventus ecclesiae in Melrichestat deserviant eidem post decessum aut mutationem status personae suae ad duos annos.

Iringus dei gracia herbipolensis episcopus. Notum esse volumus omnibus hanc litteram inspecturis, quod, cum dilectus nobis C. de Enkersperge cellerarius maioris ecclesie, rector ecclesie in Melrichestat, obligatus esset grauibus debitis et conscientia sua, quod ammodo remordet ipsum, quia stipendiis ecclesie nostre usus fuisset aliquando aliter quam deberet, supplicauit nobis et capitulo, ut necessitati et utilitati sue super premissis consulere dignaremur. Nos itaque paterno affectu moti circa ipsum accedente consensu ipsius capituli indulsimus eidem de gratia speciali, quod si ipsum cedere uel decedere contingat, prouentus sepedicte ecclesie sue in Melrichestat deseruiant sibi post decessum aut mutationem status persone sue ad duos annos, primo anno uidelicet ad solutionem debitorum suorum, secundo vero anno ecclesie nostre in restaurum et satisfactionem illicite forsitan habitorum debeat deseruire et fideconmissarii sui, quos elegerit, predicte parochie decimas siue prouentus, quando ipsum cedere uel discedere contingerit, vendendi uel recipiendi liberam habebunt potestatem, saluis tamen prebendis uicariorum, qui easdem parochias officiauerint, ut pecunia, que recepta fuerit, cum fructibus et prouentibus eisdem sepedicti cellerarii debita deducantur. In cuius gratie euidentiam sibi per nos facte presens scriptum dedimus sigilli nostri et capituli nostri munimine firmiter roboratum. Datum anno domini MCCLXV., sexto kalendas Marcii, indictione VIII., pontificatus nostri anno vndecimo.

Sigillum Iringi episcopi appendet.

CCCLXVIII.

Anno 1265., 14. Junii.

Krato et Cunradus, fratres de Hohinlo, quos Iringus herbipolensis episcopus in castrenses castri Sanctae Mariae recepit, resignant de bonis suis ad decem marcas, Krato quidem de proprietate sua apud Nazza, Cunradus vero de proprietate sua apud Bolzhusin, ut ea ab ecclesia herbipolensi in castrensi feodo possideant.

Nos K. et C. fratres de Hohinlo confitemur presenti scripto et constare cupimus vniuersis, quod cum venerabilis dominus noster Iringus herbipolensis episcopus nos reciperet in castrenses castri sancte Marie et daret nobis ducentas marcas argenti pro castrensi feodo, pro quibus CC marcis vterque nostrum de bonis suis propriis resignare debet ad X marcas; ego videlicet K. de proprietate mea apud Nazza, set ego C. de proprietate mea aput Bolzhvsin et ea ab ecclesia herbipolensi in castrensi feodo possidere; astrinximus nos seruiciis dicti domini episcopi et ecclesie sue promittentes fide data et iuramento prestito, quod ad vitam nostram consilio et auxilio potenter et patenter iuuabimus ipsum dominum nostrum episcopum contra quemlibet hominem exceptis consanguineis nostris propinquis, saluo honore nostro et nominatim contra nobiles dominos comites de Hennenberg, et si voluerit et indiguerit contra ciues herbipolenses. Faciemus etiam residentiam in castro sancte Marie cum triginta dextrariis phaleratis et decem balistariis in propriis expensis, quandocunque et quotienscunque necesse habuerit dominus noster episcopus et ecclesia sua. Et erimus semper expositi et parati ad auxilium suum etiam cum totis viribus, si res exegerit contra ciues et dominos de Hennenberg prenotatos. Ad hec nos per presentes litteras obligamus. Econuerso promisit nobis idem dominus episcopus et iurauit, quod iuuabit nos contra quemlibet hominem, vbi cum honore potuerit et nominatim contra nobilem virum dominum L. comitem de Otingen, si seruare nobis noluerit et de nobis accipere iusticie racionem. Etiam si occasione auxilii, quod eidem domino nostro prestabimus, incurreremus inimicicias aliquas, quod nullam composicionem admittet, nisi de nostro consilio et quas incurremus inimicicie sopiantur. Expensas etiam, si quas faceremus in huius seruicio graues et reciperemus dampna forsan grauia, nobis refundet ad consilium quatuor personarum, que ad hoc nominate sunt, videlicet domini Ber. decani herbipolensis, Al. de Vffinheim, H. de Sowinsheim, et W. de Grvmbahc.

Item si fortuna arrideret eidem domino nostro, quod prevaleret in ciuibus predictis, ita quod de eis summam pecunie habere posset, de ipsa pecunia sic habita nobis distribuet ad consilium predictorum quatuor personarum. Insuper pro dampnis, quecumqe fecerimus terre, quicquid odii, rancoris aut turbacionis incurrerimus, idem dominus simul ea nobiscum portabit et casus nobiscum, qui provenerunt, sustinebit. Vt autem premissa omnia et singula, sicut iuramento vallamus, firmiter obseruentur, presentes litteras dedimus in testimonium confederacionis mutue inter dominum nostrum episcopum et nos perpetuo durature, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum anno domini M°. CC. LXV., XVIII. kalendas Julii.

Appendent duo sigillum, quorum primum valde laesum est.

Editum in Ludewig Reliqu. Manusc. II. 232.

CCCLXIX.

Anno 1265., 11. Julii, in Brozoldesheim.

Iringus herbipolensis episcopus nobili viro Conrado de Trimperc, assistentiam sibi promittenti contra cives herbipolenses et ipsorum auxiliatores, pro centum marcis argenti in subsidium expensarum eidem assignatis, centum et quinquaginta maldra siliginis in allodio in Rieden et in decimis in Widoldeshusen et Edeleiben singulis annis percipienda obligat.

I. dei gracia herbipolensis episcopus confitemur et notum facimus vnuersis hanc litteram inspecturis, quod cum nobilis vir Conradus de Trimperc nobis fideliter astare promitteret fide data et prestito juramento contra ciues herbipolenses et ipsorum auxiliarios, nos ipsi in subsidium expensarum, quas in nostris seruiciis eum facere contingerit, centum marcas argenti dare promisimus, pro quibus eidem nobili centum et quinquaginta maldra siliginis in allodio nostro, quod dicitur forwerc in Rieden et in decimis nostris in Widoldeshusen et in Edeleiben, quas locabit tamen nostro nuncio presente, deputauimus et obligauimus titulo pignoris annis singulis tam

diu percipienda, quousque C. marcas argenti sibi dederimus memoratas; residuum autem, quod fuerit super predicta C. et La. maldra siliginis in allodio et decimis memoratis annuatim nostris usibus presentetur. Vt igitur huiusmodi ordinacio robur obtineat et permaneat inconuulsa, hanc litteram sibi nostro sigillo dedimus roboratam. Actum anno domini M°. CC°. LXV°., in Brozoldesheim, proximo sabbato ante festum beate Margarete.

Sigillum periit.

CCCLXX.

Anno 1265., 26. Augusti.

Ludewicus comes de Rienecke et Heinricus de Brunecke tractatum concordiae inter Iringum episcopum herbipolensem et ecclesiam suam ex una, et universitatem civium herbipolensium mediantibus arbitris initae, publicant.

Nos Ludewicus dei gracia comes de Rienecke et Heinricus de Bruneke confitemur tenore presentium et scire volumus vniuersos, quod discordia, que inter venerabilem dominum nostrum Iringum episcopum herbipolensem et ecclesiam suam ex vna parte et vniuersitatem ciuium suorum herbipolensium ex altera uertebatur mediantibus dominis: uenerabili fratre Al. quondam ratisponensi episcopo, B. preposito, B. decano, M. de Nuwenburch preposito in Hauge, Her. de Sterenberch canonicis herbipolensibus, nobilibus B. de Hennenberch, L. et Ger. de Rieneke, H. et Her. de Castele, B. de Wertheim, C. de Wilperch comitibus, Al., K. et C., fratribus de Hohenloch, H. et G. de Bruneke, C. de Trimperch, C. de Sluzelberch et plerisque aliis canonicis, nobilibus et ministerialibus, qui intererant, post plurimos tractatus prehabitos, tandem taliter est sopita, quod vniuersitas ciuium herbipolensium promisit et jurauit omnia jura domini episcopi manutenere et promouere bona fide. Et si quis inuentus fuerit contrarius, illi ciues non assistent, nec defendent, sed pocius juvabunt episcopum, quod justicia fiat de ipso, secundum quod sentencia dictauerit, quod si non facerent viginti quatuor ciues, hii videlicet: Cunradus Weibeler, H. de

Inferno, Fusselinus frater eius, Gotfridus Lenlithe, Fridericus Rufus, Erkenboldus et Fusselinus fratres sui, Heinricus de Rebestoch, Heinricus Rufus, Johannes Volcnandi, Otto Petri, C. filius Eckehardi de Heidenheim, Volkelinus filius magistri coquine, Brunlinus Reinwardi, Johannes de Ariete, C. de Nichte, H. de Nichte, Wolfelinus monetarius, Engelhardus de Rotenburch, H. de Swinfurthe, Hermannus de Vriberch, Gotzo de Vriberch, Gotzo Hirz et H. Weibeler, insuper Cunradus Niger, institor, jurati exibunt ciuitatem herbipolensem, cum moniti fuerint ab episcopo et recipient se more fideiussorio sine vara in Ossenfurt vel Karlestat, non inde recessuri nisi facta satisfactione episcopo in cuius conductu erunt euntes, morantes et redeuntes. Dictum est etiam, quod si episcopo aliquem ciuium suspectum habebit de falsitate monete siue de vini sophisticatione, siue de alio quocunque reatu, in aliqua lesione sui juris, quod trahat eum in causam, et fiat de eo, quod dictauerit sententia. Item episcopus potestatem habebit de zumphtis deponendi uel relinquendi eos pro sua voluntate. Item ciues non habebunt consilium vel magistros ciuium nisi ad voluntatem episcopi. Item ciues presentabunt sigillum et claues portarum ciuitatis in manibus episcopi ad gratiam eius. Item clerus, nobiles terre, ministeriales, mercatores, populares et artifices, vnusquisque gaudebit jure et libertate sua. Item ciues seruabunt conductum, quem dederit episcopus. Verum cum propter bellum, cui operam dederunt ciues, episcopus graues labores sustinuerit et expensas, dictum est, quod ciues dabunt episcopo duo milia marcarum argenti et ducentas marcas consilio suo. Mille marcas dabunt in proximo festo beati Martini, alias mille marcas in festo Walpurgis proximo subsequenti. De hoc constituerunt fideiussores, nobiles viros: L. et G. comites de Rieneke, H. et G. de Brunecke; milites: Goteboldum Cresse, H. Cresse, Iringum Cresse, Marquardum Crusen, H. Goteboldi, Johannem Haken, Cvnradum Paris, Hiltebrandum de Luden, Waltherum Wulturem et ...; [1]) ciues viginti quatuor: Reinoldum de Vriberch, Ekehardum de Heidenheim, Fr. Willemůt, Applonem Willenmůt, H. de Bleifelt, B. de Meigingen et H., filium suum, H. de Beigerruthe, M. de Wigenheim, Heinricum Petri, Růdegerum de Masuelt, Cunradum nepotem, C. de Rebestoch, Th. Pictorem, Arnoldum de Tanne, ...[1]) Buzkorpher, C. de Hephenheim, C. de Augea, Růdegerum de Kvnigeshouen, Vlricum fratrem Zweimosti, Heroldum de Verspach, Bopponem Institorem, Hartmudum Carnificem et C. Sweuum. Qui moniti per episcopum fideiussorum more se recipient in Karlestat vel in Ossenfurt, non exituri quousque episcopo de premissa pecunia satisfiat, et erunt omnes eundo, stando et redeundo in conductu episcopi. Et si aliquis uel aliqui istorum uel suprascriptorum fideiussorum decesserit uel decesserint, alius vel alii

substituentur loco decedentium, quos episcopus duxerit acceptandos. Insuper vsum vectigalis, quod vngelt dicitur, in ciuitate herbipolensi episcopus habebit a proximo festo Michahelis ad octo annos continuos. Item omnia dampna facta in curiis clericorum herbipolensium, si in edificiis sunt illata, restituentur secundum quod arbitrati fuerint M. de Nuwenburch prepositus in Hauge et Eckehardus de Heidenheim. Super hos erit decanus noui monasterii, et si illi discordarent, cui ipse consenserit, standum erit; sed si exportata sunt aliqua de curiis, si questio fuerit de illis, credetur familie clericorum probantibus dampnum per juramentum. Si familiam non habent clerici, ipsi probabunt proprio juramento et sic soluent ciues memorati. De dampnis abbatis sancti Burchardi dictum est, quod ciues facient, quicquid decreuerint venerabilis frater Al. quondam ratisponensis episcopus et nos H. de Bruneke. Item Sintramus et alii familiares episcopi, siue sint Christiani siue Judei, qui expulsi sunt de ciuitate, redibunt in ciuitatem et gaudebunt honore et libertate sua. Si autem aliqui ciuium habuerint aliquot querele contra ipsos, episcopus hanc terminabit familiariter et conponet. Item renunciatum est utrimque omnibus dampnis preter ea, que premissa sunt, siue sint in rebus, siue in personis aut alitercumque, et totaliter sunt dimissa, quod nunquam debent ab aliquo in posterum renouari. Item ciues propugnacula, fossata et alias municiones, quas occasione gwere construxerunt de nouo, destruent et deponent. Vt autem presens forma predicta domino episcopo et successoribus suis inviolabiliter obseruetur, duo paria litterarum eiusdem tenoris de verbo ad verbum conscripta sunt, quorum vnum remanet aput episcopum, aliud apud ciues, et sigillis venerabilis fratris Al. quondam ratisponensis episcopi, Ber. decani, M. de Nuwenburch prepositi in Hauge, nostri et nobilium plurium, qui conposicioni interfuerunt, firmiter communita. Actum anno domini M. CC. LX. quinto, septimo kalendas Septembris.

Appendent adhuc septem sigilla, partim laesa.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p. 435 Nr. LXIII.

¹) Hic spatia relicta sunt.

CCCLXXI.

Anno 1266., 27. Maii.

Bertoldus decanus totumque capitulum maioris ecclesiae herbipolensis concanonicis Rudolfo de Vssenkeim et Hermanno de Wiltperc iniurias committunt dirimendas, quas Fridericus presbiter, vicarius, tribus annis continuis per Heinricum dictum de Caltenhausen, civem herbipolensem, in bonis, in Gundersleibe sitis, ad ecclesiam herbipolensem pertinentibus, perpessus est.

Bertoldus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis vniuersis Christi fidelibus has litteras percepturis salutem in domino. Fridericus presbiter, vicarius noster, in Christo nobis dilectus, in capitulo nostro multociens conquerens iniurias tribus annis sibi continue per Heinricum dictum de Caltenhusen, ciuem herbipolensem, irrogatas super annuis viginti maldris siliginis sibi soluendis infra assumptionem et natiuitatem Marie virginis de bonis videlicet quinque mansuum et vnius curie cum attinenciis vniuersis sitis in Gundersleibe, ad nostram ecclesiam pertinentibus, quem prôpter negligenciam nimiam bonorum predictorum alienum facere uolebamus, sed quod tenor et forma literarum ipsum contractum continencium innuebat. Nos tamen magis pietate, quam iuris rigore ducti, commisimus domino Rudolfo de Vssenkeim et domino Hermanno de Wiltperc nostris confratribus in salutem anime eorum omnes iniurias supradictas dirimendas, qui multis consultationibus habitis tandem statuerunt, quod supradictus F. de quinquaginta maldris tribus annis neglectis XXXa. maldra prefato H. relaxaret singulis annis infra prefatas sollempnitates beate virginis Marie XXti. maldra siliginis percepturus, que si certo termino non fuerint soluta, sepememoratus H. et vxor sua Mergardis, nec non heredes horum, hiis bonis omnimode priuabuntur. Nichilominus si de aliis XXti. maldris induciatus in festo purificationis beate virginis proximo X non persoluerit, ex tunc ipse H. et vxor sua Mergardis ex-

communicati publice singulis diebus dominicis et festiuis nunciabuntur, donec persoluerint vniuersa; preterea si in festo Walpurgis proximo summa X maldrorum non fuerit exhibita vicario sepedicto, ecclesia nostra predicta bona absque omni dilatione possidenda, cuicunque uoluerit preter predictum possessorem et eiusdem heredes assingnabit; in hanc formam H. predictus et Mergardis vxor ipsi coram arbitris suprascriptis coadunato animo consenserunt. In cuius rei firmum testimonium has litteras capituli nostri sigillo fecimus conmuniri. Datum anno domini M. CC. LXVI., VI. kalendas Junii.

Sigillum appendet laesum.

CCCLXXII.

Anno 1266., 6. Augusti.

Engelhardus et Engelhardus de Winsperc promittunt assistere Bertoldo decano et capitulo maioris ecclesiae herbipolensis atque civibus herbipolensibus contra nobiles viros Her. et Ber. comites de Hennenberg et eorum fautores.

Nos Engelhardus et Engelhardus de Winsperc literis presentibus protestamur et notum facimus, quod corporali prestito juramento in presencia honorabilium virorum domini B[ertoldi] decani et capituli maioris ecclesie herbipolensis promisimus fideliter, viriliter et potenter assistere eis domino decano et capitulo et ciuibus herbipolensibus contra viros nobiles Her. et Ber. comites de Hennenberg et eorum fautores, id ipsum ab eis expectantes secundum quod nobis promissum est per eorum patentes literas contra quemlibet hominem, qui nobis nocumenta intenderet procurare, exceptis illis, qui eis ad presens nocumentum sunt astricti, presentibus a festo Martini proximo ad duorum annorum terminum duraturis. Hanc literam sigillo nostro duximus super hoc in testimonium muniendam. Datum anno domini M. CC. LXVI., VIII. idus Augusti, indictione nona.

Sigillum cum inscriptione „S. ENGILHARDI ET CONRADI FRATRVM DE WINSBERC“ bis appensum est.

CCCLXXIII.

Anno 1266., 1. Decembris.

Boppo de Trinperc, praepositus herbipolensis, monachis de Hahelsbrunnen, residentias habentibus in Ahusen et in Randesacker, locum quendam confert in Mogo situm, vulgariter Werth dictum, apud Ysolstat, ea conditione, ut annis singulis sibi vel successoribus suis unam libram hallensium solvant.

Nos Boppo de Trinperc prépositus herbipolensis litteris presentibus recognoscimus et fatemur, quod locum quendam situm in Mogo, qui wlgariter dicitur Werth, aput Ysolstat, viris religiosis videlicet monachis de Hahelsbrunnen, qui residentias habent in Ahusen et in Randesacker, contulimus perpetuo possidendum, sic tamen, ut annis singulis iu festo beati Martini de dicto loco vnam libram hallensium nobis, vel quicunque loco nostri fuerit, sine protractione qualibet soluant. Testes huius sunt: G. notarius, Studigl et Henricus Sintmanni, C. de Walmarsbach et quam plures alii fide digni. In huius rei facte signum presentem litteram fecimus conscribi et sigillum nostrum apponi. Datum et actum anno domini MCCLXVI., in crastino beati Andree apostoli.

Sigillum Bopponis praepositi appensum laesum est.

CCCLXXIV.

Anno 1267., 19. Octobris.

C. cantor, Ber. de Wilperg, H. de Sterenberc, R. de Vssenkeim, W. de Tannenberg, H. de Wilperg arbitri a capitulo constituti, XIII praebendas vacantes, unam vacaturam et vicariam vacantem assignant.

I. n. d. a. Nos C. cantor, Ber. de Wilperg, H. de Sternberg, R. de Vssenkeim, W. de Tannenberg, H. de Wilperg

arbitri a capitulo constituti super XIII prebendis vacantibus et vna vacatura et vicaria taliter arbitrati sumus: ad peticionem domini electi prebendam vacantem per mortem O. de Luterberc assignamus Al. filio nobilis viri de Wilenawe; ad peticionem domini decani et R. de Ussenkeim prebendam vacantem per mortem C. por[tenarii] assignamus C., filio C. de Ussenkeim; ad peticionem C. cantoris prebendam Ar. de Crutheim quondam confratris nostri assignamus L. de Hohenberg: ad peticionem M. de Nuwenburg prebendam vacantem per mortem Th. Kiselingi assignamus filio Wolfelini; ad peticionem O. custodis prebendam F. de Werberg sororis suo filio .. de Starckenberg assignamus: ad peticionem Al. de Lobdeburg et H. de Helderungen prebendam vacantem per mortem Jo. de Rotense assignamus magistro[1]) ůlrico scolastico erfordensi; ad peticionem domini Ber. de Wilperc prebendam H. camerarii quondam confratris nostri assignamus E. filio nobilis viri O. de Eberstein: ad peticionem W. de Nitberg prebendam vacantem per mortem E. de Masbach assignamus B. de Nitberg; ad peticionem H. de Sternberg et A. de Spiezesheim prebendam vacantem per mortem C. de Durne assignamus Th. de Spiezesheim; ad petitionem G. de Lobdeburg et F. de Hohenburg prebendam vacantem per mortem H. de Kirchberg assignamus H. filio C. de Telheim: ad petitionem W. de Tannenberg prebendam vacantem per mortem C. de Enkersberge assignamus filio G. comitis de Rienecke; ad petitionem L. de Dassele et H. de Bastheim prebendam vacantem per mortem L. de Wertheim assignamus H. de Sternberg; ad petitionem H. de Wilperg et C. de Stahelberg prebendam R. de Malkoz quondam confratris nostri assignamus filio fratris domini de Stahelberg. Item vnanimi consensu et diuine retribucionis respectu prebendam, quam nunc primum vacare contigerit, assignamus F. filio C. nobilis viri de Bokesberg; ad petitionem magistri Gregorii vicariam vacantem per mortem H. de Erfordia assignamus H. scolari de Amerbach, ita sane, quod persone denominate ad prebendas tales sint, que decentes sint ecclesiam secundum antiquam consuetudinem actinus aprobatam istius ecclesie. Acta sunt

hec anno domini M$^{o.}$ CC$^{o.}$ LX$^{o.}$ VII$^{o.}$, in die sanctorum martirum Januarii et sociorum eius, et ut rata sint et inconfulsa permaneant capituli nostri et dictorum arbitrorum sigillis fecimus roborari.

Sex sigilla partim laesa appendent.
Editum ex translatione germanica ap. Fries in Ludewig Geschichtschreiber etc. p. 581.

1) Manus posterior super „magistro" scripsit: „de Stonz".

CCCLXXV.

Anno 1268., 18. Aprilis.

Monasterium S. Jacobi Schotorum herbipolensis diocesis, cupiens gravibus exonerari expensis, quibus ab abbate ratisponensi in annua visitatione enormiter damnificatur, episcopo herbipolensi et capitulo de summo immediate se subiicit.

Nos Johannes miseratione diuina abbas monasterii sancti Jacobi Schotorum, ordinis sancti Benedicti, herbipolensis dyocesis, Mauricius prepositus, Kyranus custos, Daniel cellerarius, Patricius, Paulinus cantor, Gylactus et Nicholaus, nostre ecclesie monachi et confratres ad notitiam presentium et futurorum hoc scriptum contuentium volumus peruenire, quod nos cupientes a grauibus exonerari expensis, paupertati nostre inportabilibus, quas dominus . . abbas ratisponensis annua nostre ecclesie uisitatione consueuit nos enormiter dampnificare, de maturo consilio dominorum et patrum nostrorum spiritualium, videlicet F. sancti Burchardi, H. sancti Stephani, abbatum herbipolensium, item dominorum Donati constantiensis et Rûgeri mammingensis nostri ordinis abbatum pari uoluntate et vnanimi consensu ordinauimus et statuimus, vt nos et ecclesia nostra nostrique successores domino nostro . . dei gratia episcopo herbipolensi, qui pro tempore kathedram possederit episcopalem, seu capitulo de summo herbipolensi, si quando sedem herbipolensem uacare contigerit, immediate debeamus esse in perpetuum subiecti obedientia et reuerentia speciali. Qui et nos et nostram ecclesiam sua clemencia manutenebunt in omnibus et defendent, et si quid forte questionis aut cause inter nos, tam in capite, quam etiam in membris exortum fuerit aliquando, quod in

nostro capitulo terminari uel corrigi nequiuerit, ad iudicium et examen dicti domini episcopi siue capituli de summo habebimus recursum super eadem fine canonico decidenda. Nec cuiquam nostrum licebit ammodo pro quouis excessu, causa, casu siue negocio aliquo ad dictum . . abbatem ratisponensem uel alias iudicium requirere alienum. Quod siquis nostrum inobedienter transgressus fuerit aliquando, nouerit se ipso facto prebenda fore continuo priuatum, et sine spe reditus ab ecclesia eliminandum. Item statuimus, vt quicumque in posterum sese apud nos in confratres uel hospitum nomine recipi postulauerint, facta manuali obedientia promittant et obligent se ad constitucionem premissam pretextu honoris et utilitatis ecclesie factam modis omnibus vna nobiscum firmissime conseruandam. Vt autem dicta constitucio et ordinacio ex morosa deliberatione facta perpetem obtineat firmitatem nec a quoquam hominum reuocari queat in irritum, hanc litteram super ea conscriptam procurauimus ecclesie maioris de summo herbipolensi et dicti domini O. iudicis ordinarii nec non dominorum abbatum supradictorum una cum nostro et ecclesie nostre sigillis firmissime communiri. Datum anno domini M°. CC°. LXVIII°., XIIII kalendas Maii.

Appendent octo sigilla.

Editum in Jaeger Geschichte Frankenlands III. p 439., Nr. LXIV.

CCCLXXVI.

Anno 1269., 18. Julii.

Fridericus de Hohenburg, portenarius et canonicus maioris ecclesiae herbipolensis, ad vicariam beati Kyliani, quam dominus Lutfridus sacerdos fundaverat, tradit decem jugera agrorum sita in Stenhauch, pro quibus Henricus de Kaltenhusen, civis herbipolensis, sibi dedit decem jugera agrorum in Grůben.

Ego Fridericus de Hohenburg, portenarius et canonicus maioris ecclesie herbipolensis, litteris presentibus regnosco publice et protestor, quod ad vicariam beati Kyliani, quam dominus Lutfridus sacerdos felicis recordacionis de suis rebus propriis racionabiliter conparauit, dedi decem jugera agrorum sita in Stenhauch ita, vt predicti agri vicarie predicte perpetuo libere cedant et solute

sub hac condicione facta et ordinata, videlicet, quod Henricus de Kalthenhusen, ciuis herbipolensis, dedit michi, Friderico de Hohenburc portenario, decem jugera agrorum sita in Grûben respectu agrorum supradictorum. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli mei munimine diligencius est roboratum. Datum anno domini MCCLXVIII., proxima feria quarta ante festum beate Marie Magdalene. Presentes erant isti: Cunradus scriptor, Wolframus Durro junior, Lutoldus sororius suus et alii quam plures.

Fragmentum sigilli appendet.

CCCLXXVII.

Anno 1269., 26. Januarii.

Bertoldus decanus totumque capitulum ecclesiae herbipolensis Arnoldo militi, dicto Woluolt, pro dampnis, laboribus et expensis suis, assignant curiam Walkenriet, quam episcopus sambiensis ad dies vitae suae habere debuerat.

I. n. d. a. Nos Bertoldus decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis. Vniuersis Christi fidelibus hoc scriptum visuris salutem in perpetuum. Accedens ad nostram presentiam in capitulo nostro dilectus noster Arnoldus miles dictus Woluolt, nobis conquerendo monstrauit, quod cum olim felicis recordationis venerabilis pater, dominus Yringus herbipolensis episcopus pro dampnis, laboribus et expensis, quas idem Arnoldus miles pro iam dicto domino Yringo episcopo et ecclesia nostra habuerat, triginta V modios siliginis annis singulis de allodio episcopi in Eisleibe dandas eidem assignasset, insuper quatuor libras denariorum herbipolensis monete de precaria monetariorum etiam dedisset pro castrensi feodo, et de predictis triginta quinque modiis siliginis infra quatuor

annos et de antedictis quatuor libris denariorum infra quinque annos nichil recepisset, quod etiam cum domino Hermanno de Sterenberc, secundum quod nobis omnibus constat, et toti nostro capitulo apud nouam ciuitatem et Meiningen, in seruicio ecclesie nostre graues labores et pericula perpessus esset, et tam ibi quam alias semper et sine contradictione mandatis dominorum nostrorum decani, prepositi et custodis et capituli die noctuque sit et semper fuerit obedire paratus, humiliter a nobis cum instancia postulauit, ut prefatum A. militem pro dampnis, laboribus et expensis habitis in aliquo respicere dignaremur. Nos vero considerantes fidem et deuotionem nec non dampna et labores et etiam expensas prelibati A. militis, conputatisque omnibus dampnis eiusdem diligenter, estimauimus dampna sua usque ad summam centum et quadraginta librarum hallensium ascendere, si eidem plenarie refundi deberent. Set quia raro dampna in integrum restaurantur, tamen ne prelibatus A. miles pro laboribus, dampnis et expensis nec non pro fide et deuotione, quam circa nos et nostram habet et semper habuit ecclesiam, dampnum et ingratitudinem reportaret, consideratione habita diligenti, taliter studuimus maturo consilio habito moderari, uidelicet, ut curiam, que appellatur Walkenriet, quam episcopus sambiensis ad dies vite sue habere debuerat, nec aliud de ipsa ordinare poterat, prefatus A. miles pro dampnis suis multiplicibus teneat et sui heredes [1]) pro centum libris hallensium, tantummodo in recompensationem omnium dampnorum, laborum et expensarum, quas fecit, hoc modo, quod si prelibatum episcopum ad gratiam futuri episcopi et capituli herbipolensis redire contigerit et optenta gratia per hoc sibi curiam reddi prefatam, obligamus futurum herbipolensem episcopum, ut memorato A. militi et suis heredibus pro centum libris sepius dictam curiam redimet, nec ex hoc aliquot detrimentum paciatur. Si autem sepefatum sambiensem episcopum mori contigerit, capitulum nostrum habebit liberam potestatem, curiam pretaxatam pro centum libris hallensium redimendi ab A. milite sepius expresso et suis heredibus, ut sic ad iurisdictionem et proprietatem nostri capituli [2]) libera reuertatur. Ne autem miles ante nominatus in posterum aliquomodo in curia superius dicta aliquod inpedimentum paciatur, presens

scriptum ei contulimus sigillo capituli nostri roboratum. Actum anno domini MCCLXIX., VII°. kalendas Februarii.

Sigillum capituli maioris appendet.

[1]) Charta hic „sui“ repetit. [2]) Charta hic „nostri“ repetit.

CCCLXXVIII.

Anno 1269., 26. Aprilis.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis Alberto de Dinkelspuhel, civi herbipolensi, appropriat curiam Goteboldi Linggen in Herbipoli.

I. n. d. a. Deperire possunt et plerumque calumpniantur gesta siue pactio hominum, si ipsa viuacis scripti testimonio non perhennentur. Ea igitur nos Berhtholdus dei gracia decanus, Otto custos, Mangoldus prepositus in Hauge, Cvnradus cantor totumque capitulum ecclesie herbipolensis vniuersis tam presentibus quam futuris notum esse cupimus litteras per presentes, quod omni iuri proprietatis, quod in curia Goteboldi Linggen, sita in Herbipoli, nobis et ecclesie nostre competebat, liberaliter renuntiauimus et in hiis presentibus renuntiamus, ipsamque Alberto dicto de Dinkelspuhel ciui herbipolensi appropriauimus et in hiis scriptis appropriamus, ita scilicet, quod de oblatione, que abinde nobis et ecclesie nostre hactenus dari consueuit, nullum amplius respectum habebimus curiam ad eandem, sed predictus Albertus absque quouis census seu oblationis onere, dictam curiam omni ac integro proprietatis jure seu titulo perpetim possidebit. In cuius rei euidentiam et firmitatem pleniorem presentem litteram conscribi voluimus, sigilli nostri capituli munimine roboratam. Actum et datum anno domini M. CC°. sexagesimo nono, VI$^{to.}$ kalendas Maii.

Sigillum periit.

CCCLXXIX.

Anno 1270., 17. Junii, Herbipoli.

Capitulum herbipolensis ecclesiae, quod universa bona sua in Ingelnheim inferiori apud Moguntiam Walthero decano ecclesiae b. Stephani vendidit, et eadem per Gerhardum canonicum novi monasterii procuratorem suum specialem resignavit, eidem decano promittit facere warandiam ad debita tempora, et se obligat ad impetrandum consensum diocesani infra tres menses proximos post eius creacionem.

Bertoldus de Sterenberg decanus, Manegoldus de Nuwenburg prepositus ecclesie sancti Johannis in Houge, Otto de Lodebůrg custos totumque capitulum herbipolensis ecclesie. Nouerint uniuersi, quod propter vrgentes necessitates ecclesie nostre vniuersa bona in Ingelnheim inferiori apud Moguntiam, curiam videlicet, agros, vineas, decimas, census, jus patronatus sibi annexum, cum omnibus iuribus et attinenciis suis vendidimus pro ducentis marcis coloniensium denariorum legalium Walthero decano ecclesie beati Stephani, et ipsam pecuniam numeratam recepimus et in vsus ecclesie nostre necessarios conuertimus et hoc recognoscimus per presentes. Ipsa eciam bona vniuersa per Gerhardum canonicum noui monasterii, procuratorem nostrum specialem, cui hoc sub sigillo nostre ecclesie dedimus in mandatis, in ipsa villa Ingelnheim coram .. sculteto et .. scabinis et aliis pluribus secundum ville consuetudinem resignauimus. Et idem Gerhardus procurator personaliter nostro nomine resignauit et transtulit in dictum Waltherum decanum cum omni plenitudine iuris sui. Et vt magis sit cautum eidem .. decano de empcione eorundem bonorum, promittimus facere warandiam, quod wlgariter dicitur werschaft, ad debita tempora secundum consuetudinem terre nostre, vbicunque requisiti fuerimus in locis omnibus simpliciter, vt est iuris. Verum quia in alienacione bonorum ecclesiarum videlicet episcopi dyocesani necessarius est consensus, cuius consensum propter discordiam eligentium non

poteramus vendicionis tempore impetrare, ipsum infra tres menses proximos post eius creacionem impetrabimus et ad hoc nos eciam presentibus obligamus. In cuius rei memoriam et debitam firmitatem damus ei has litteras sigilli nostre ecclesie munimine roboratas. Datum et actum Herbipoli in capitulo nostre ecclesie anno domini MCCLXX., XV. kalendas Julii presentibus nostris .. confratribus videlicet Conrado de Telheim cantore, Alberto de Lodeburg archidiacono, Hermanno de Sterenberg archidiacono, Her. de Wilperg, Friderico de Hohenburg portenario, Wernhero de Tannenberg, Rudolfo de Vssenkeim et aliis quam pluribus.

Ex transsumto, quod judices sanctae moguntinae sedis anno MCCCXXVII., XVII. kalendas Februarii fecerant.

CCCLXXX.

Anno 1270., 17. Junii.

Capitulum herbipolensis ecclesiae civibus in Ingelnheim inferiori nuntiat, quod bona sua ibidem Walthero, decano ecclesiae S. Stephani moguntinensis vendidit, et Gerhardum canonicum novi monasterii procuratorem constituit, ut ipse bona in Ingelnheim coram sculteto et scabinis nomine suo resignet et transferat in predictum Waltherum decanum.

Bertoldus de Sterenberg decanus, Manegoldus de Nuwenburg prepositus ecclesie sancti Johannis in Houge, Otto de Lodeburg custos totumque .. capitulum herbipolensis ecclesie honorandis viris et sincere dilectis .. sculteto et .. scabinis et vniuersis ciuibus in Ingelnheim inferiori et vniuersis presentes litteras inspecturis salutem cum plenitudine omnis boni. Cum nos propter vrgentes neccessitates, que nos et nostram ecclesiam opprimebant, vniuersa bona nostra in Ingelnheim inferiori apud

Maguntiam sita, curiam videlicet, agros, vineas, decimas, census, jus patronatus sibi annexum, cum omnibus juribus et attinenciis suis vendiderimus pro ducentis marcis coloniensium denariorum legalium Walthero decano ecclesie sancti Stephani maguntinensis, et ipsam pecuniam numeratam receperimus ab eodem et in vsus ecclesie nostre necessarios conuerterimus, nos, quia ipsa bona resignare non possumus per omnium nostrum presentiam personalem, Gerhardum, canonicum noui monasterii, transmittimus et procuratorem constituimus, ac damus plenariam potestatem eidem sub sigillo nostre ecclesie litteris hiis appenso, vt ipsa bona in villa Ingelnheim coram .. sculteto et .. scabinis juxta consuetudinem ville et alias, vbi necesse fuerit, resignet nomine nostro et transferat in Waltherum, decanum predictum, cum omni plenitudine juris sui, ratum et gratum habentes, quicquid idem Gerhardus procurator noster in predictis bonis duxerit faciendum. Datum anno domini MCCLXX., XV. kalendas Julii videlicet in capitulo nostre ecclesie, presentibus nostris confratribus, videlicet: Conrado de Telheim cantore, Alberto de Lodebûrg archidiacono, Hermanno de Sterrenberg archidiacono, Hermanno de Wilperg, Friderico de Hohenburg portenario, Wernhero de Tannenberg, Rudolfo de Vssenken et aliis quam pluribus.

Ex transsumto, quod judices sanctae moguntinae sedis anno MCCCXXVII., XVII. kalendas Februarii fecerant.

CCCLXXXI.

Anno 1271., 16. Julii.

Arbitri a capitulo constituti super undecim praebendis vacantibus et septem vacaturis, nec non de oblationibus vacantibus decidunt.

In nomine domini amen. Nos C. cantor, M. de Nuwenburc prepositus in Houge, O. custos, S. de Slithese, F. de Hohen-

burc portenarius, H. de Helderungen, Wer. de Tannenberc, Her. de Wilperg arbitri a capitulo constituti super vndecim prebendis uacantibus et septem vacaturis, nec non de oblationibus uacantibus infra scriptis taliter arbitrati sumus. Ad petitionem domini episcopi prebendam uacantem per resignationem .. de Eberstein assignamus ...[1]) Ad petitionem C. cantoris prebendam uacantem per absentiam ǒlrici de Spekefelt assignamus C. filio C. de Lina. Ad petitionem M. de Nuwenburc prebendam uacantem per resignationem Al. de Scelkelingen assignamus H. filio Her. de Rannenberc. Ad petitionem O. custodis prebendam uacantem per mortem Ber. de Wilperc assignamus B. de Quernefurde. Ad petitionem domini L. de Gligen prebendam uacantem per mortem G. de Lobdeburc assignamus Ernesto de Gligen. Ad petitionem S. de Slithese prebendam uacantem per mortem electi assignamus .. filio C. de Slithese. Ad petitionem Al. de Lobdeburc prebendam uacantem per mortem L. de Reinecke assignamus .. de Scarzfelt canonico maguntino. Ad petitionem Warmundi prebendam vacantem per mortem R. de Vssengheim assignamus D. filio .. de Helmestat canonico vimpinensi. Ad petitionem F. portenarii prebendam uacantem per mortem B. de Ebersberc assignamus ...[2]) Ad petitionem H. de Helderungen prebendam uacantem per dominum episcopum assignamus ....[3]) Ad petitionem Her. de Wilperc prebendam uacantem per mortem Ber. de Tecke assignamus ...[4]) Ad petitionem domini episcopi prebendam primam non uacantem assignamus magistro Johanni de Halberstat. Ad petitionem H. de Wechmar secundam prebendam non uacantem assignamus .. fratri suo. Ad petitionem L. de Hohenberc tertiam prebendam non uacantem assignamus Th. filio L. de Teiphe. Ad petitionem Ar. de Vssengheim quartam prebendam non uacantem assignamus .. filio Golstein de Redern. Ad petitionem magistri Gregorii quintam prebendam non uacantem assignamus .. filio sororis sue. Ad petitionem Al. de Lauenstein sextam prebendam non uacantem assignamus .. de Leichtenberc. Item ad petitionem domini episcopi septimam prebendam non uacantem assignamus cuicumque sibi placuerit. Ita sane, quod persone

siue denominate siue non denominate ad prebendas tales sint, que decentes sint ecclesiam secundum antiquam consuetudinem istius ecclesie hactenus approbatam. Oblationem in Stocheim Ar. de Spezesheim cum suo canone assignamus. Oblationem in Ballenburc et in Hartheim Wer. de Tannenberc assignamus cum canone suo. Oblationem in Eiscfelt, Kitsten, Limbach et in Unrungestal C. de Stahelberc assignamus pro XXI mod. tritici et uno talento denariorum. Oblationem in Ascfelt assignamus Her. de Bastheim et W. de Lina, vnde dabunt annis singulis XXV maldra tritici et carratam vini vespertinalis. Aduocatiam in Retzestat et in Steten F. de Zabelstein pro canone suo assignamus, quartam partem oblacionis in Randersacker magistro Rudolfo et B. de Nithperc cum canone suo assignamus. In cuius rei testimonium presens ordinatio sigillis capituli et suprascriptorum arbitrorum diligentius est confirmata. Datum anno domini M°. CC°. LXX primo, quinta feria proxima post octauam Kyliani.

Octo sigilla valde laesa appendent.

[1]—[4]) His locis in charta spatia ad supplenda nomina relicta sunt.

CCCLXXXII.

Anno 1271., 29. Julii.

Otto custos et archidiaconus herbipolensis voluntatem suam ultimam ordinat.

Ego Otto custos et archidiaconus herbipolensis super rerum mearum ordinatione uoluntatem meam volens ultimam obseruari iuxta fratrum meorum consuetudinem testamentum meum duxi ordinandum. Primum igitur fidecommissarios meos venerabilem dominum meum Ber. episcopum herbipolensem, Al. de Lobdeburc; Her. de Wilperc meos consanguineos constituo, ut ipsi de rebus meis

mobilibus et inmobilibus pro remedio anime mee facultatem habeant plenariam ordinandi. Domino gardiano fratrum minorum et suis fratribus de anno gracie prebendam meam constituo cum omni integritate percipiendam, ut pre[bende dicte] cottidianis usibus reffecti cottidianam oracionvm suarum mihi graciam amministrent. De VII iugeribus apud Durrebach, que mea pecunia comparaui, constituo, ut uendantur et de eadem pecunia aliqui redditus conparentur, si potest fieri, ut duobus magistris ecclesiasticis duo modii siliginis et eorum duobus seruis unus modius annis singulis asignentur. De aliis uero bonis in Durrebach, que a domino meo Her[manno] quondam herbipolensi episcopo hucusque possedi, XXIIII^or libre cere pure in vigilia Pasce camere sancti Kiliani ad eleuationem hostee pertinentes annis singulis presententur. De ducentis vero libris hallensium, quas dominus meus Ber. herbipolensis episcopus mihi promisit soluere bona fide, item de curia mea, quam possideo, item de oblacione mea in Greuendorf et de bonis Durrebach saluo canone XXIIII^or librarum cere et de aliis bonis, que de morte domine Gůte magistre coquine ad me sunt deuoluta, idem fidecommissarii mei pignora ecclesie per me obligata primitus absoluant et restituant indempnitati ecclesie precauentes. Item circa fratres de sancto Osualdo pro quadam summa annone idem faciant. Item creditoribus meis cubiculariis Cunrado Durrich et aliis creditoribus quibuscunque debita sua persoluant. Item circa F. Bauwarum, Hermannum de Bergerhoue et Ludewicum de Helderungen et si quid alicui de familia mea in debitis teneor, me absoluant. Item de expensis exequiarum mearum, et de remuneratione familie mee absoluant animam meam quantocius obtulerit se facultas. Peto etiam ab eisdem fidecommissariis meis, ut per aliquos redditus per eos conquisitos anniuersarius meus celebrari annis singulis procuretur. Ad hec supra uel infra scripta dominus Johannes subcustos, fidelis seruitor meus, chooperabitur bona fide. Confectum est istud testamentum anno domini MCCLXXI., feria quarta post Jacobi apostoli.

Sigillum periit.

CCCLXXXIII.

Anno 1271., 7. Novembris.

Cůnradus comes de Vaihingen ecclesiae herbipolensi pro advocacia in Stanheim de consensu et ratihabitione Gotfridi et Cůnradi filiorum suorum villam Glatbach iuxta Vaihingen et curiam in Wîhigin assignat.

Reverendis dominis suis Ber. dei gratia episcopo, .. preposito totique capitulo ecclesie herbipolensis C̊vnradus comes de Vaihingen sue paruitatis obsequia cum reverencia debita et deuota. Vestre dominationi graciarum actiones inmensas refero, quod peticionem meam admisistis, permutando aduocaciam in Stanhaim ecclesie uestre iure dominii pertinentem, cum bonis meis subscriptis, et quod eandem adnocaciam monasterio sororum eiusdem ville de ordine fratrum predicatorum contulistis. Et ecee bona, que in reconpensacionem dicte aduocacie vobis et ecclesie vestre de consensu et ratihabicione Gotfridi et C̊vnradi filiorum meorum trado et assigno, sunt ista, videlicet villa Glatbach sita iuxta Vaihingen, et curia in Wîhigin, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, quarum videlicet ville ac curie dominium ad me spectare dinoscitur. Tradicionem seu assignacionem bonorum huiusmodi vobis et ecclesie vestre per presentes literas, venerabilis domini Hiltebrandi abbatis de Mulbrun, ordinis cisterciensis, et mei proprii sigillorum munimine roboratas. Ego vero abbas iam predictus confiteor per presentes, me dicte tradicioni seu assignacioni interfuisse vnacum fratre Wernhero de Stucardia et fratre Marquardo de ordine fratrum predicatorum, G. decano de Vaihingen, V̊l. de Branburc et V̊l. de Stain, nobilibus, R. dicto Predicator de Hochdorf et Wernherŏ de Gertrigen militibus ,qui omnes, fide data una cum comite vice iuramenti dixerunt, villam et curiam pretaxatas esse maioris valoris, quam sit aduocacia memorata, et ad peticionem eiusdem comitis, in euidenciam premissorum, me sigillum meum presentibus appendisse. Datum anno domini M°. CC°. LXXI., VII. ydus Nouembris.

Sigillum comitis, in circumscriptione valde laesum appendet.

CCCLXXXIV.

Anno 1271., 21. Novembris, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus venditionem bonorum in villa Ingelnheim inferiori a capitulo ecclesiae suae Walthero decano ecclesiae S. Stephani moguntinensis factam ratam habet.

Nos dei gracia Bertholdus herbipolensis episcopus. Recognoscimus per presentes, quod, cum .. decanus et .. capitulum ecclesie nostre herbipolensis propter necessitates vrgentes ipsius vniuersa bona, que in villa Ingelnheim inferiori noscebantur habere, curiam videlicet, agros, vineas, decimas, census, jus patronatus sibi annexum, cum omnibus juribus et pertinenciis suis pro ducentis marcis coloniensium denariorum legalium Walthero decano ecclesie sancti Stephani moguntinensis iusto vendiderint titulo empcionis, prout in litteris ipsorum super hoc confectis plenius continetur, nos vendicionem eandem gratam et ratam habentes in ipsam presencium testimonio consentimus. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXI., XI. kalendas Decembris.

Ex transsumto, quod judices sanctae moguntinae sedis anno MCCCXXVII., XVII. kalendas Februarii fecerant.

CCCLXXXV.

Anno 1272., 9. Octobris.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis et consules ac universitas civitatis eiusdem unionem ineunt ad praecavenda destructiones ecclesiae, civitatis ac totius diocesis aut terrae.

I. n. d. a. Nos Albertus prepositus, S. decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis, consules ac vniuersitas ciuitatis

eiusdem recognoscimus tenore presencium et ad notitiam mittimus futurorum, quod pari consilio et unanimi consensu, consideratis diuersis turbationibus et destructionibus ecclesie, ciuitatis ac tocius dyocesis aut terre et perpenso singulorum honore et utilitate, uolentes etiam maiores turbaciones deuitare uel precauere deo auxiliante et futuras destructiones siue deuastaciones ecclesie, ciuitatis et tocius dyocesis aut terre quandam confederacionem siue pactum sub unionis titulo fecimus et iniuimus hoc modo, quod nos predicti Al. prepositus, S. decanus ac totum capitulum iuramento manuali promisimus et promittimus et hiis in litteris nos astringimus ipsis in omni iure suo et ad omnia, que iusta sunt et ratione digna, astare ita sane, si dominus episcopus uel alia persona siue alie qualescunque iam dictos consules aut uniuersitatem ciuium contra iusticiam turbare aut impetere uellet quoquammodo, admonitione nostra trina premissa, si dominus episcopus aut persona alia uel alie qualescumque a turbacione uel inpeticione indebita consulum ac uniuersitatis cessare aut desistere nollet, et ab ipsis iusticiam recipere et acceptare rennueret, nos ex tunc ipsis consilium et auxilium pro posse nostro fideliter nunc et imperpetuum inpendemus. Verum nos sepedicti consules ac tota uniuersitas dominis memoratis videlicet domino Al. preposito, S. decano totique capitulo modo et forma prelibata promisimus et promittimus nec non per presentes nos adstringimus in omni iure suo et ad omnia, que iusta et racione sunt digna fideliter astare ac ipsos tueri, et hec omnia sine v a r a. Vt autem hec promissio siue unio hinc inde tam discrete ordinata liqueat omnibus, et nulla exinde valeat oriri materia discordie, presentem paginam sigillo nostri capituli et sigillis dominorum, nostro videlicet, Al. prepositi, S. decani, C. cantoris, M. de Nuwenburc, L. de Glichen, Her. de Sternberc, F. de Hohenburc, H. de Heldrungen, Ar. de Spiezesheim, Wer. de Tannenberc, L. de Dassele, Her. de Wilperc, K. de Stalberc, H. de Wechmar, Her. de Bastheim, L. de Hohenberc, Ar. de Vssencheim, Wol. de Linach, Al. de Lewenstein, magistri Gre[gorii], magistri R. de Hurnheim, H. de Sternberc, magistri Vl. de Erforde, Ber. de Nitberc, B. de Querenfurte, W. custodis, magistri Jo. de Halberstat, et sigillo ciuitatis fecimus conmuniri ad

maiorem autem cautelam et materiam discordie sopiendam, et ne quidquam predictarum promissionum cadere possit in obliuionem presens scriptum cyrographi participacione duximus specialiter insigniri. Actum et datum anno domini MCCLXXII., in die sancti Dyonisii.

In margine superiori chartae leguntur pedes litterarum verbi „Cyrographvm“.

Ex viginti octo sigillis quondam appensis fragmenta quindecim supersunt.

CCCLXXXVI.

Anno 1274., 13. Januarii.

Bertoldus herbipolensis ecclesiae episcopus mansum et feodum in villa Westheim, et tertiam partem advocatiae in villa Houwenhart, ab Herbordo dicto Teyler, cive in Hasevurte, sibi resignata Heinrico de Wulvelingen confert.

Nos Bertoldus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus notum esse volumus vniuersis presens scriptum visuris, quod Herbordus, ciuis noster in Haseuurte, dictus Teyler in villa Westheim unum mansum et unum feodum, quem et quod a nobis diucius possidebat, similiter in villa Houwenhart terciam partem aduocacie soluentem annis singulis sex maldra auene, que uulgari nomine schoefele dicimus, ad manus nostras libere resignauit et ea Heinrico de Wluelingen conciui suo conferri deuocius supplicauit. Nos igitur in hac parte cupientes utrique exhibere munus gratie specialis, bona iam dicta eidem Heinrico et heredibus suis contulimus quiete et pacifice perpetuo possidenda. In huius rei euidenciam et argumentum presens nostro sigillo consigniri fecimus instrumentum. Datum anno domini M°. CC. LXX quarto, pontificatus nostri anno septimo, in octaua epiphanie.

Fragmentum sigilli appendet.

CCCLXXXVII.

Anno 1274., 3. Julii.

Capitulum herbipolensis ecclesiae honorabilibus viris, comitibus Bopponi et Rudolfo de Wertheim officium in Hochusen obligat.

In nomine domini amen. Vniuersa negocia, que geruntur in tempore, ne naturam temporis consequantur, expedit, ea testium annotacione et viuaci litterarum testimonio perennari. Ea propter nos prepositus, decanus totumque capitulum herbipolensis ecclesie recognoscimus tenore presencium publice protestando, quod nos pari consilio et consensu obliguimus et presenti scripto obligamus honorabilibus viris comitibus B. et R. de Wertheim et ipsorum heredibus officium nostrum in Hochusen pro redditibus XXX marcarum singulis annis tamdiu, donec officium per nos aut episcopum futurum pro CC marcis et XX marcis argenti plenius redimatur; ita sane, si idem officium ad ualorem XXX marcarum singulis annis se non extendit, quod de residuo respectum habeat ad parochiam nostram in Wegenkeim et suo integre recepto nobis sub fideli defensione residuum assignabit. Notandum eciam, quod nos Al. prepositus, Hermannus de Sternberc, Fridericus de Hohenburc, Wernherus de Tannenberc, Heinricus de Wechmar et Arnoldus de Vssenkeim, canonici herbipolenses, fideiussores pro summa preexpressa cum ciuibus, videlicet: Ekkehardo de Heidenheim, Cunrado Weibelario, Ottone, filio Petri, Heinrico de Rebstoch, Volkelino in platea sancti Georii et Brunlino promittimus et presenti scripto nos astringimus, si predicti comites aut ipsorum heredes in ipso officio quicquam legittimi impedimenti passi fuerint et sepefatum officium ipsis libere ab impeticione legitima illorum de Vssenkeim non fuerit assignatum, quod extunc singuli et vniuersi fideiussione priori tenebimur obligati. In quorum omnium et singulorum testimonium presens littera est con-

scripta et sigillo capituli nostri diligencius conmunita. Datum et actum anno domini MCCLXXIIII., in crastino Processi et Martiniani.

Sigillum capituli maioris ecclesiae herbipolensis appendet.

CCCLXXXVIII.

Anno 1274., 25. Novembris.

Consules, sculteti, scabini et universitas herbipolensis civitatis proscribunt Fridericum Rufum, Heinricum de Beirruth et Jo. filium Volknandi cives herbipolenses, quos ab factionem initam cum domino Bertoldo de Hennenberc pro episcopo herbipolensis ecclesiae se gerente a civitate eiecerant.

Ekkehardus de Heidenheim, Cunradus Weibeler, Heinricus de Bleichuelt, H. de Rebstoc, consules, sculteti, scabini et vniuersitas herbipolensis ciuitatis omnibus ad memoriam perpetuam. Cum Fridericus Rufus, Heinricus de Beirruth et Jo. filius Volknandi, tunc temporis ciues herbipolenses et potenciores, dominum B. de Hennenberc, qui se gessit pro episcopo herbipolensis ecclesie, per inpressionem et uiolenciam, tamquam sceleratissimi traditores ecclesie, nobilium de Hohenloch et et de Brunekke, civitatis, patrie et proprie parentele et proditores secretorum nostrorum, contra mandatum apostolicum in ciuitate nostra recipi procurarunt, sibi episcopo regimen contra prefatam inhibicionem sedis apostolice conmittendo, et successu temporis cum eodem domino B. scelestem faccionem ineuntes, ecclesiam, predictos nobiles terre, ciuitatem, patriam et propriam parentelam, quemadmodum malo principio inchoauerant, progressu deteriori in manus ipsius et H. comitis fratris sui ad destruccionem et humiliacionem perpetuam hostiliter tradere uolentes, sicut annuente diuina clementia, que non deserit sperantes in se, per nos apertissimis signis et in-

diciis est conpertum. Nos vero ex causis premissis et multis aliis hiis similibus, que perlongum essent enarranda, moti et cordis dolore conterriti, predictos tres uiros nefandissimos a ciuitate nostra eiecimus sine spe reuersionis, et postea, conmuni consilio et deliberacione prehabita, volentes homicidia, sediciones, tradiciones et alia mala maiora precauere, que per predictos tres sceleratos viros oriri possent, et ne inconstancie et leuitatis casu de ipsorum reditu nos et nostri successores aliquatinus moueri possemus, in palacio singuli et vniuersi conuenimus, dominis maioris ecclesie et nobilibus predictis presentibus, promisimus et promissum juramento manuali prestito interposito vallauimus, quod predicti tres viri, filii iniquitatis, ne veneno perfidie et tradicionis, quo infecti sunt, maculemur, nunquam mansionem aut residenciam faciant in ciuitate nostra et quantum vires suppetunt, cum instancia laboremus, ut in episcopatu et ducatu herbipolensis ecclesie se non recipiant nec faciant mansionem, adicientes, quod, quicunque vel qualescunque, alti vel humiles, nobiles aut ignobiles, in episcopatu ipsos recipiant, manuteneant, consilum, auxilium et fauorem inpendant, inimicos reputemus manifestos et, quantum pro uiribus nostris possumus, hostiliter persequamur. Volumus autem et statuimus, ut hec a nobis et nostris successoribus, singulis et vniuersis, perpetuo inuiolabiliter obseruentur. Si quis vero de nostris conciuibus siue successoribus contra predicta venerit aut in contrarium attemptare presumpserit, pene simili perpetue subiaceat eiectionis. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine roboramus. Datum anno domini MCCLXXIIII., dominica ante aduentum domini.

Sigillum periit.

In margine superiori leguntur apices litterarum verbi „Cirographum“.

CCCLXXXIX.

Anno 1275., 4. Martii, Augustae.

Capitulum ecclesiae s. Mauritii augustensis ad officium plenum deinceps in die b. Kyliani cum ministris celebrandum se obligat.

Nos Siuridus dei gratia prepositus, Bertholdus decanus totumque capitulum ecclesie sancti Mauricii augustensis tenore presencium notum esse volumus sollercie singulorum, quibus presentes exhibite fuerint uel ostense, quod de communi consensu ad laudem et gloriam summi regis et honorem ipsorum beatorum martyrum in die beati Kyliani et sociorum eius plenum deinceps agentes officium sollempniter cum ministris volumus celebrare et ad id faciendum omnes successores nostros presentibus obligamus, dantes in testimonium huiusmodi presens scriptum sigillorum nostrorum munimine roboratum. Datum Auguste anno domini M°. CC°. LXXV., feria II. proxima post dominicam, qua cantatur „inuocauit".

Fragmenta trium sigillorum appendent.

CCCXC.

Anno 1275., 17. Martii.

Fratres et sorores hospitalis sancti Theoderici herbipolensis Heinrico Weibelario, civi herbipolensi, bona sua in villa Espenvelt jure haereditario possidenda conferunt.

Nos frater Heinricus, capellanus, frater Hermannus, procurator, ceterique fratres et sorores hospitalis sancti Theodrici herbipolensis recognoscimus tenore presencium publice protestando, quod contulimus et hiis in scriptis conferimus Heinrico

Weibelario, ciui herbipolensi, et suis heredibus omnia bona nostra in villa Espennelt et in campis eiusdem ville, vno prato excepto, quod ad nos translatum est per quoddam concambium siue mutacionem, jure hereditario possidenda, ita sane, quod singulis annis, anno nunc instanti excepto, predictus H. et sui heredes nobis et hospitali nostro XX maldra annone et XII maldra auene dabunt et in ciuitate herbipolensi presentabunt. In cuius rei testimonium presenti scripto sigillum domus nostre duximus apponendum. Datum et actum anno domini MCCLXXV., in die sancte Gertrudis, pontificatus domini Ber[toldi] episcopi herbipolensis anno primo.

Fragmentum sigilli appendet.

CCCXCI.

Anno 1275., 25. Martii, in monte S. Mariae.

Bertoldus herbipolensis ecclesiae episcopus Giselam matronam militis, dicti Taleri, quae redditus suos annuos in villa Heitingesvelt obligationis titulo possessos, sibi successoribusque resignaverat, in gratiam suam recipit et defensionem specialem.

Bertoldus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus. Nouerint vniuersi presencium inspectores, quod, cum Gisela honesta matrona ... [1]) dicti Taleri militis redditus annuos, LX[a] scilicet libras hallensium in villa Heitingesvelt, tam de iudicio quam de omnibus episcopalibus ibidem prouentibus, a predecessore nostro pie recordacionis I[ringo] episcopo pro CC. marcis puri argenti, quas eadem matrona in vsus suos permutandi et conuertendi liberam habuit facultatem, oblacionis titulo possideret, sicut in instrumentis, ab eodem predecessore nostro necnon a capitulo nostro sibi datis, plenius vidimus contineri, quia eadem Gisela primum renuncians instrumentis huiusmodi prefatos redditus nobis nostrisque successoribus

im perpetuum iuxta infrascriptam formam pro sue remedio anime resignauit, ita scilicet, quod ipsa matrona predictis redditibus, quoad uixerit, frui debet, sed ea mortua ipsorum reddituum medietas nobis vacat, reliquam vero medietatem in maritum suum predictum Talerum, si superstes fuerit, quoad dies suos percipiendam de scitu et testimonio nostro et capituli nostri transferre poterit, si hoc ipsum eidem matrone adhuc viuenti placitum videatur; quo Talero mortuo ipsa medietas, que eum contingere debebat, ad nos libere reuertetur. Verum si prenominata matrona prefatam medietatem reddituum predictorum in predictum maritum eius post ipsius matrone mortem transferre, quocunque casu uel occasione distulerit, extunc prefati redditus ea mortua totaliter nobis vacant. Nos predicte matrone sinceritatem, nichilominus eciam beneficium, quod per resignacionem dictorum bonorum reportauimus, attendentes, eandem matronam tam in rebus quam persona in nostram graciam recipimus et defensionem singularem uolentes eidem contra iniurias quorumlibet et uexaciones indebitas adesse, immo preesse tutela, consilio, auxilio et presidio speciali, statuentes nichilominus, ut tam successores nostri quam capitulum nostrum dictam matronam eadem defensionis gracia fideliter prosequantur. In cuius rei testimonium presentem litteram eidem dedimus nostro et capituli nostri sigillorum apensionibus roboratam. Actum et datum anno domini MCCLXXV., octauo kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo, in monte sancte Marie.

Sigilla appensa valde laesa sunt.
[1]) In charta hic spatium relictum est.

CCCXCII.

Anno 1275., 11. Junii.

Wintherus et Hiltburgis bona sua capitulo et ecclesiae herbipolensi libera donatione conferunt.

I. n. d. a. Nos Wintherus et Hiltburgis recognoscimus et constare volumus vniuersis, tam presentibus quam postfuturis,

quod pari consilio et consensu, manuque coadunata omnia bona nostra, que habemus et inposterum deo cooperante habere poterimus exnunc damus libera donacione et conferimus capitulo et ecclesie herbipolensi, reseruantes nobis liberum ius vtendi, fruendi, et percipiendi fructus et vsum fructuum ad terminum vite nostre siue vnius eorumdem bonorum et constituimus nos eadem bona nomine capituli et ecclesie possidere, ita tamen, quod ex euidenti necessitate pro sustentatione vite nostre eadem bona, que bona fide augere et non minuere intendimus, vendendi, obligandi aut distrahendi liberam habeamus facultatem. Nos M. de Nuwenburg prepositus, Al. decanus, totumque capitulum herbipolensis ecclesie volentes Winthero magistro monasterii nostri et Hildeburgi, vxori sue, pro meritis condignam vicissitudinem impendere, ipsos in nostram recipimus defensionem specialem, promittentes presenti scripto, quod ipsos tamquam deuotos nostros manu tenebimus et in quantum possumus defendemus. In cuius rei testimonium sigillum venerabilis patris et domini nostri Ber[toldi] herbipolensis episcopi vna cum sigillo nostri capituli presentibus est appensum. Datum anno domini M°. CC°. LXX°. V°, feria III^a. post octauas pentecostes.

Duo sigilla laesa appendent.

CCCXCIII.

Anno 1275., 7. Julii, Herbipoli.

Bertholdus, episcopus herbipolensis curiam ex morte quondam Cunradi Hagelarii, onolspacensis ecclesiae canonici sibi devolutam, Ottoni de Natten, dictae ecclesiae canonico, iure haereditario possidendam tradit.

Bertholdus dei gracia episcopus herbipolensis. Nouerint vniuersi tam presentes quam postfuturi, quod nos dilecto nobis

Ottoni de Natten, canonico ecclesie onolspacensis, quem exigentibus suis meritis gratuito promocionis beneficio semper duximus prosequendum, curiam quondam Cvnradi Hagelarii, dicte ecclesie canonici, ex ipsius morte ad nos deuolutam dedimus et in hiis litteris tradimus et donamus iure hereditario possidendam, ita eciam, quod ipse Otto et quicunque suus successor fuerit, in dicta ecclesia eandem curiam legandi et vendendi plenam potestatem habeat cuicunque persone infra memoratam ecclesiam constitute, hoc tamen adiecto, quod post mortem nostram ipse Otto uel quicunque tunc pro tempore eiusdem curie possessor extiterit, in anniuersaria nostri obitus die vnam libram hallensium in vigiliis et missa, presentibus tamen tantum existentibus, soluet perpetuo annuatim. In cuius nostre donacionis testimonium presentem litteram appensione nostri sigilli uoluimus consignari. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXV., nonis [1]) Julii, pontificatus nostri anno primo.

Sigillum appensum valde laesum est.

[1]) Charta „nonas“.

CCCXCIV.

Anno 1275., 15. Julii.

Capitulum herbipolensis ecclesiae concanonico suo H. de Wechmar proventus parochialis ecclesiae in Hocheim, de consensu patroni, abbatis S. Stephani, confert per tres annos percipiendos, ita sane, quod ornatum sive thesaurum ecclesiae suae per Wickerum rectorem praedictae parochiae apud Judaeos expositum redimat et thesaurario restituat.

Nos M. prepositus, Al. decanus totumque capitulum herbipolensis ecclesie recognoscimus presenti scripto et constare volumus vniuersis, quod nos dilecto nostro concanonico H. de Wechmar

redditus et proventus parochialis ecclesie in Hocheim de consensu patroni videlicet honorabilis viri.. abbatis sancti Stephani contulimus et hiis in scriptis conferimus per tres annos a data huius littere proximos possidendos et integre percipiendos ita sane, quod ornatum siue thesaurum ecclesie nostre per Wikertum rectorem predicte parochie apud Judeos expositum redimat et nostro thesaurario restituat, promittentes et hiis in scriptis nos obligantes, quod si aliquis medio tempore ipsum inquietauerit aut in percepcione predictorum proventuum impedierit, quod ipsum defendemus et quod de dampno, si quod sustinuerit, ad prouentus ipsius parrochie annis extunc sequentibus tamdiu respectum habebit, quousque sue indempnitati plenarie prouideatur. In cuius rei testimonium presens sibi damus scriptum sigilli nostri munimine roboratum. Datum et actum anno domini MCCLXXV., infra octauam sancti Kyliani.

Sigillum capituli maioris ecclesiae appensum laesum est.

CCCXCV.

Anno 1275., 15. Julii, Crutheim.

Wolfradus de Eberstein omnia bona sua in Telheim, nec non advocatiam ibidem, quam iure feodi a Bertoldo episcopo herbipolensi possidet, de eiusdem consensu capitulo herbipolensis ecclesiae vendit.

I. n. d. a. Contencionis prestat materiam ignorancia rei geste, vnde vtiliter occurritur et prvdenter, quociens presentis temporis actus et negocia scripture testimonio perhennantur. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris presencium inspectoribus, quod nos Wolfradus de Eberstein omnia bona nostra in Telheim cum agris, vineis, pratis, siluis, cultis et incultis, quesitis et non quesitis eorumque pertinenciis nec non aduocaciam nostram in Telheim siue ius aduocaticium, quod ibidem habemus, de consensu et voluntate

venerabilis patris Bertoldi dei gratia herbipolensis episcopi, a quo eandem aduocaciam iure feodi habemus et possidemus, honorabilibus viris .. preposito, .. decano et capitulo herbipolensis ecclesie, cum omnibus iuribus, pertinenciis, prouentibus et utilitatibus ad dictam aduocaciam et prefata bona pertinentibus, vendimus, tradimus, ipsosque et procuratores eorumdem in prefatorum bonorum, aduocacie predicte et iurium ipsius possessionem et quasi possessionem inducimus pro precio C librarum hallensium, quod precium confitemur nos habuisse et recepisse, renunciantes excepcioni non numerate pecunie et omni iuris auxilio canonici et ciuilis. Ut autem hec vendicio et tradicio robur obtineant firmitatis, presentem literam exinde confectam sigillo nostro roboramus, et eandem sigillo venerabilis patris Bertoldi dei gratia herbipolensis episcopi obtinuimus conmuniri. Actum Crutheim anno domini M°. CC°. LXXV°., idibus Julii, presentibus Arnoldo de Vesenkeim, canonico herbipolensi, Bertoldo capellano, Berengero milite, Simone et Berengero fratribus, Gozewino sculteto, Cunrado de Bulvernkein et aliis quam pluribus testibus ad hoc vocatis et rogatis.

Sigillum Bertoldi episcopi appensum laesum est; sigillum Wolfradi de Eberstein quondam appensum modo abscissum est.

[1]) Charta: „Idus".

CCCXCVI.

Anno 1275., 29. Novembris.

Bertoldus episcopus herbipolensis conventui monasterii ebracensis vendit castrum in Spiesheim pro pretio centum et nonaginta marcarum argenti.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Quia gesta hominum obliuionis deuio plerumque calumpniari aut penitus immutari solent, necesse est, ea testium annotacione et uiuaci litterarum testimonio peremari. Ea

propter nos Bertoldus, dei gracia episcopus herbipolensis, notum esse uolumus tam presentibus quam postfuturis vniuersis, quod nos et tocius capituli nostri consensu expresso et conniuencia vendidimus, tradidimus et hiis in scriptis vendimus et tradimus dilectis in Christo religiosis viris, .. abbati et conuentui monasterii ebracensis, castrum in Spiesheim, ortos, areas, adiacentes eidem, quatuor mansos et dimidium in superiori et in inferiori uilla cum domibus, pratis, pascuis, siluis, et quinquaginta maldra auene, que singulis annis pro recepcione hospicii, quod wlgariter nuncupatur herberge, percipere deberemus, necnon de qualibet area vnum pullum cum omnibus aliis pertinenciis et iuribus nostris quouis proprietatis iure et nomine libere possidenda et omne ius, quod nos et ecclesia nostra in predictis bonis singulis et vniuersis habuimus aut habere poteramus, de consensu nostri capituli in monasterium Ebracense transferimus litteras per presentes pro precio centum et nonaginta marcarum argenti, dictosque, abbatem et conuentum, in prossessionem castri, bonorum, pertinenciarum et iurium predictorum inducimus corporalem, quod precium confitemur nos habuisse, recepisse et in nostros et ecclesie nostre necessarios et vtiles vsus conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate, non solute et non habite pecunie et omni iuris auxilio canonici uel ciuilis, promittentes et hiis in scriptis nos et omnes nostros successores obligantes, quod predictis fratribus plenam gwarandiam, que wlgariter werschaft dicitur, de bonis preexpressis faciemus secundum quod de bonis proprietariis consueuit fieri iuxta terre consuetudinem approbatam. Preterea obligamus et presenti scripto nos et omnes nostros successores de consensu nostri capituli astringimus, quod nulla iura, parua aut magna, in predictis bonis recipiemus aut requiremus set predictos fratres et ipsorum successores ibidem defendemus et nullam iniuriam, quantum pro posse nostro possumus, fieri permittemus. Ne autem super huiusmodi contractu vendicionis quisquam dubietatis scrupulus in posterum a quoquam suscitetur, presentem ipsis damus litteram sigilli nostri et capituli nostri sigilli munimine roboratam. Datum et actum anno domini MCCLXXV., in vigilia sancti Andree, pontificatus nostri anno primo, indiccione quarta, regnante serenissimo domino R., Romanorum rege, presentibus: Manegoldo preposito maiore, Cunrado cantore, Hermanno de Sternberg preposito noui monasterii, Symone de Slitese, Arnoldo custode, Wernhero de Tannenberg archidiacono, Lutolfo de Dassele archidiacono, Hermanno de Wilberg, Rudolfo scolastico, prelatis et canonicis herbipolensibus, nobili viro Heinrico comite de Castele, Heinrico Woluolt camerario nostro, Ar. de Linach pincerna, Cunrado de Sickershusen dapifero, Gernodo Houeschultheizen, ad hoc uocatis et rogatis testibus.

Duo sigilla appendent.
Editum in libro: Frage ob der Abtei Ebrach etc. pag. 252 Nr. IX.

CCCXCVII.

Anno 1275., in mense Novembris.

Albertus de Ebersberg, vir nobilis, cum matrona nobili Irmengardi, coniuge sua, castrum suum Jagesberc Bertoldo episcopo et ecclesiae herbipolensi tradit, et ab eodem pro se et heredibus suis, ab herbipolensi ecclesia titulo feodali possidendum, recipit.

Litteris presentibus pateat vniuersis, quod nos, Albertus de Ebersperg, vir nobilis, cum matrona nobili Irmengardi, coniuge nostra, volentes nos adiungere familiaritati et subicere tuicioni ecclesie herbipolensis et venerabilis patris domini nostri Bertoldi, loci eiusdem episcopi, et suorum successorum vniuersorum castrum nostrum Jagesberg cum omnibus bonis, eidem castro attinentibus, quod in proprietate dinoscimur possidere, manibus dicte coniugis nostre coadunatis, damus eidem domino nostro episcopo et ecclesie sue herbipolensi liberaliter proprietatis nomine possidendum, subicientes nichilhominus nos et nostra tuicioni memorate ecclesie predictique domini episcopi necnon suorum omnium successorum. Quod castrum siquidem et bona attinencia ab eodem domino episcopo pro nobis et nostris heredibus recepimus ab herbipolensi ecclesia possidendum titulo feodali. In cuius donacionis nostre testimonium presentem paginam abinde conscriptam dedimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum et actum anno domini MCCLXX quinto, in mense Nouembris, indictione IIII[a].

Sigillum periit.

CCCXCVIII.

Anno 1275., 31. Decembris, apud Rotinburch.

Bertoldus herbipolensis episcopus silvam, dictam vulgariter Stritlache, quam Lupoldus senior de Nortenberc, imperialis aulae coquinae magister, iure feodali ab ecclesia herbipolensi tenuit, et in manus suas resignavit, conventui sanctimonialium in Rotinburch, ordinis fratrum predicatorum, in proprium tradit.

Berhtoldus dei gracia herbipolensis episcopus. Pastoralis officii tunc piis actionibus prosequimur sacramentum, dum indigente Christo militantium subsidia commode porrigimus, ut et ipsi per nos rerum temporalium beneficia sorciantur et nos apud altissimum suarum oracionum suffragiis adiuuemur. Hinc est, quod ad noticiam vniuersorum transmittimus per presentes, quod nos ad deuotam instantiam .. priorisse et conuentus sanctimonialium in Rotinburch, ordinis fratrum predicatorum, siluam dictam vulgariter Stritlache, citra quinquaginta iugera habentem, quam Lvpoldus senior de Nortenberc, imperialis aule coquine magister, iure feodali a nostra tenuit ecclesia et ad nostras manus resignauit, vt eidem conferremus conuentui, prefatis priorisse et sanctimonialibus dedimus, tradidimus in proprium et in hiis scriptis tradimus atque damus iure perpetuo possidendam. Et ne super hac tradicione aliqua eis dubietas suboriri valeat vel grauamen presentes litteras ipsis donauimus sigilli nostri munimine conmunitas. Datum apud Rotinburch anno domini MCCLXXV., die sancti Siluestri pape.

Sigillum periit.

CCCXCIX.

Anno 1276., 16. Febuarii.

Wernherus de Tannenberc archidiaconus et Albertus de Lewenstein, canonici herbipolenses, Heinrico de Tetelbach, civi herbipolensi, octo iugera vineti in Schalcberg et in Trebenclingen, quae nomine oblacionum iure haereditario possident, ad duodecim annos concedunt.

Nos Wer. de Tannenberg archidiaconus et Al. de Lewenstein canonici herbipolenses, recognoscimus et constare volumus vniuersis presens scriptum visuris, quod locamus et hiis in scriptis concedimus Heinrico de Tetelbach, ciui herbipolensi, et suis heredibus octo jugera vineti nostri, que nomine oblacionum iure hereditario possidemus, IIII^or sita in Schalcberg et IIII^or in Trebenclingen, a festo sancti Martini nunc proximo per duodecim annos libere possidenda, ita sane, quod colent eadem octo jugera stercorando singulis annis et aliis culturis debitis et consuetis, et singulis annis soluent nomine canonis dominis nostris IIII^or maldra tritici. In cuius rei testimonium presens scriptum ipsis damus sigillorum nostrorum munimine roboratum. Nos M. de Nuwenburg prepositus, Al. decanus totumque capitulum herbipolensis ecclesie recognoscimus, quod locacionem predictam ratam habemus atque gratam et respectum habere volumus ad predictum ciuem et suos heredes de nostra oblacione, quantum ad terminum prenotatum saluo alias iure ecclesie. Et in huius rei euidenciam presenti scripto sigillum nostri capituli est appensum. Datum anno domini MCCLXXVI., dominica esto mihi.

Sigilla capituli et Wernheri de Tannenberg appendent; sigillum Al. de Lewenstein abscissum est.

CD.

Anno 1276., 6. Martii.

R. de Hurnheim scolasticus, et Ar. de Spiezsheim custos, canonici herbipolenses, a concanonico Wernhero de Tannenberg, archidiacono, qui de consensu totius capituli oblationes suas in Ifolstat et in Sulcevelt vendidit, fideicommissarii constituti, pro ipso se ad canonem inde solvendum se obligant, si infra quatuor annos decedat.

Nos R. de Hurnheim scolasticus, et Ar. de Spiezsheim custos, canonici herbipolenses, recognoscimus presenti scripto, publice protestando, quod, cum dilectus noster concanonicus Wer. de Tannenberg archidiaconus vendidisset de consensu et uoluntate tocius capituli nostri oblaciones suas in Ifolstat et in Sulceuelt ita, quod de canone, qui de eisdem oblacionibus datur, ad ipsum respectus habeatur et non ad emptorem. Ipse vero volens indempnitati capituli prouidere nos suos constituit fidecommissarios, vt si medio tempore cedat vel decedat infra quatuor annos a festo sancti Martini proxime numerandos, quod huiusmodi canonem pro ipso soluamus. Ad cuius canonis solucionem et ad obseruacionem forme pro dicto canone facte, si infra predictum terminum cesserit vel decesserit, nos obligamus litteras per presentes. In cuius rei testimonium preses scriptum sigillorum nostrorum munimine roboramus. Datum et actum anno domini MCCLXXVI., feria VI. ante dominicam oculi mei.

Appendent duo sigilla bene conservata.

CDI.

Anno 1276., 9. Maii.

Methildis, monasterii sanctimonialium inferioris Cellae magistra, quae ecclesiae suae in Herbipoli curiam, dictam Longi Conradi, Judeis vendiderat, respectu duarum librarum denariorum herbipolensium, annis singulis inde ecclesiae herbipolensi solvendarum, curias suas Herstat et Hettenstat eidem assignat.

I. n. d. a. Nos Methildis magistra totusque conuentus sanctimonialium monasterii inferioris Celle protestamur et notum facimus vniuersis huius pagine inspectoribus, quod cum curiam ecclesie nostre cellensis in Herbipoli, dictam Longicunradi, Abraham dicto Frezelin, Judeo, Anshelmo filio suo, et Meekilino Judeis et ipsorum heredibus vendiderimus et dederimus proprietatis titulo perpetue possidendam, nos de duabus libris denariorum herbipolensium, de quibus dominus noster Bertoldus episcopus respectum habuit annis singulis ad ipsam curiam, eundem dominum nostrum episcopum et successores eius et ecclesiam herbipolensem volentes certos reddere per alia bona monasterii nostri, curias nostras Herstat et Hettenstat loco predicte curie memorate herbipolensi ecclesie assignamus, ut ab eis percipiant annis singulis denarios pretaxatos. Et ut hec nostra assignacio et dictarum curiarum obligacio omnibus patefiat, presentem paginam super hoc conscriptam herbipolensi ecclesie dedimus, sigillo conuentus superioris ecclesie cellensis, cuius consensus huic assignacioni accessit, et sigillo nostri monasterii communitam. Datum anno domini M°. CC°. LXXVI., sabato ante asscensionem domini, pontificatus nostri anno secundo.

Appendent duo sigilla, quorum primum valde laesum est.

CDII.

Anno 1276., 5. Junii, apud Herbipolim.

Bertholdus herbipolensis episcopus decimam in Gebenden, quam Heinricus de Zabelstein a se in feodo tenuit, monasterio in Marpurgehusen perpetuo iure possidendam tradit, accipiens ab ipso Heinrico in restaurum villam Ror sub castro Zabelstein.

I. n. d. a. Bertholdvs dei gracia herbipolensis episcopus. Quoniam crescente malicia super terram diminute sunt ueritates a filiis hominum, necesse est, ut, quidquid a nobis rectum geritur, scripti perennitate roboretur. Ea propter vniuersis Christi fidelibus hoc scriptum visuris protestamur, quod dilectus nobis Manegoldus de Nuwenburc, prepositus maioris ecclesie nostre, et Heinricus de Zabelstein humiliter supplicarunt, quatenus decimam in Gebenden, quam idem Heinricus a nobis in feodo tenuit, dare dignaremur abbatisse et conuentui in Marpurgehusen in proprietatem. Nos vero, qui ex iniuncto nobis officio tenemur omnibus subditis nostris, precipue tamen his, qui iugiter deo famulantur, sine preiudicio ecclesie nostre plus prodesse quam preesse, precibus pretaxati Manegoldi pium prebentes assensum, dedimus prenotatam decimam in Gebenden ecclesie in Marpurgehusen perpetuo iure possidendam. Prelibatus vero Heinricus dedit nobis in restaurum, quod vulgo yrsaze dicitur, villam, que Ror vocatur sub castro Zabelstein sitam loco decime memorate. Vt autem hec donacio tam sollempnis in posterum non possit violari, presens scriptum dedimus super his sigilli nostri firmatum caucione. Testes sunt: Heinricus de Sterenberc prepositus maioris ecclesie in Babenberc, Hermannus de Sterenberc prepositus noui monasterii, Heinricus de Wechmar, canonici maioris ecclesie nostre, Godefridus de Brunecke, Heinricus Woluolt camerarius noster, Arnoldus frater suus, Arnoldus de Linach pincerna, Woluelinus de Grumbach, milites; Gerlacus de Tunneuelt, Johannes Vliegere, Hermannus

Stange, Hartliebus et alii quam plures. Datum apud Herbipolim anno domini MCCLXXVI., indictione IIII., nonis Junii, pontificatus nostri anno secvndo.

Sigillum Bertoldi episcopi illaesum appendet.

CDIII.

Anno 1276., 18. Julii.

Ekehardus de Roseberg et Adelheidis uxor sua quosdam redditus, quos nomine proprietatis possidebant, ad manus domini Bertoldi herbipolensis episcopi resignant, et ab ipso in feodo recipiunt.

I. n. d. a. Nos Ekehardus de Roseberg et Adelheidis, vxor sua, constare uolumus vniuersis presentibus et futuris, quod manu coadunata resignauimus et hiis in scriptis resignamus quosdam redditus, quos nomine proprietatis possidemus ad manus venerabilis patris ac domini nostri B... herbipolensis episcopi, videlicet de quibusdam pomeriis aput Durrebach, XXX solidos denariorum, ultra Mogum in Bogeinliten et in Schoteinowe, de quibusdam vineis et aliis bonis XXII solidos denariorum, et totidem pullos, et in platea Blecha XL[a] denarios et quatuor pullos, salvo jure aliorum bonorum nostrorum ibidem, qui redditus in vnum conputati se extendunt ad summam trium librarum denariorum et III solidorum, et eosdem redditus ab ipso in feodo suscepimus et recepimus, nosque et nostros heredes sub huiusmodi jure possidere recognoscimus per presentes. Idem vero venerabilis pater et dominus predictus in reconpensationem huius resignationis, bona quedam et redditus, que et quos dedimus monasterio sanctimonialium inferioris Celle, ipsi monasterio, licet in feodo haberemus ab ipso, proprietatis jure et titulo dedit et assignauit, permisit et permittit eadem bona siue redditus jam dictum monasterium, juri suo renunciando, perpetim

possidere. In cuius rei testimonium, videlicet nostre resignacionis, presenti scripto sigillum videlicet mei Ekehardi est appensum. Datum anno domini M°. CC°. LXXVI., sabbato proximo post festum sancte Margarete, pontificatus domini nostri episcopi predicti anno secundo.

Sigillum Ekehardi, in circumscriptione laesum, appendet.

CDIV.

Anno 1276., 29. Julii.

Bertoldus episcopus herbipolensis curiam quandam in Herbipoli, Longi Conradi vocatam, de qua sorores inferioris Cellae sculteto in Heitingesfelt annuatim duo talenta denariorum solvere debebant, hoc onere liberat, statuens, ut haec pecunia de duabus curiis in Herstat et Hettenstat persolvatur.

I. n. s. e. i. t. a. Bertoldus, dei gracia episcopus herbipolensis, omnibus in perpetuum. Cum in litteris predecessorum nostrorum, felicis recordacionis Hermanni et Iringi episcoporum, inuenerimus, quod ad solutionem VII talentorum denariorum herbipolensium soluendorum annis singulis sculteto nostro in Heitingesuelt, ad commodum omnium, qui vineas habent in marchia eiusdem ville, vt non ledantur in collectione vini tempore autumpnali, set vina quieti colligant prout einunge, quam homines predicte ville statuerint, et abbas sancti Burchardi ad solutionem trium talentorum denariorum de predictis denariis se et monasterium suum de curia sua in Heitingesuelt in epiphania domini annis singulis persoluendis, abbas Superioris Celle se et ecclesiam suam ad II talenta de curia, que vocatur curia cellensis in Herbipoli in natiuitate beate virginis, prepositus vero et sorores Inferioris celle se et ecclesiam suam ad II talenta in eodem festo de curia,

que vocatur Longi Cunradi in Herbipoli astrinxissent, et processu temporis cum iamdicti, prepositus et sorores propter malum statum terre ex guerris pluribus, que episcopali sede vacante sue ecclesie mouebantur, inmo quibus exstitit tota terra occupata, ad magnam rerum penuriam deducte possessiones suas vendere cogerentur et curiam earum sitam in Herbipoli dictam Cunradi Longi, de qua vt predictum est soluere tenebantur II talenta denariorum, vendidissent tytulo proprietatis Makeln, Abraham, Vrezelin et Anshelmo filio suo, Judeis, et ipsorum heredibus possidendam: nos ad supplicem predictarum sororum instanciam dictam curiam Cunradi Longi de solucione duorum talentorum premissorum ab impetitione sculteti et hominum de Heitingesuelt absoluimus et litteris presentibus dicimus absolutam et litteras predecessorum nostrorum super premisso contractu confectas.... [1]) ad solutionem duorum talentorum predictorum de curia Cunradi Longi dicimus non ualere et nullius existere firmitatis. Duas si quidem curias Herstat et Hettenstat, quas dicte sorores in restaurum predicte curie nobis et ecclesie nostre dederunt acceptantes ab eis, statuimus, vt ad ipsas curias et ad ecclesiam, in cujus cura eedem resident curie, scultetus de Héitingesuelt, qui pro tempore fuerit, de duobus talentis denariorum herbipolensium respectum habeat et ei a dictis curiis et ecclesia Inferioris celle persoluantur annis singulis in termino superius memorato, vt sic indempnitati nostre ecclesie prouideatur. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri patrocinio communimus et, vt ecclesie nostre et predictis Judeis plenius caueatur, sigilla videlicet abbatis Superioris celle, ad quem supradicte sorores respectum habere uidentur, et ipsarum sororum presentibus sunt appensa. Datum anno domini MCCLXXVI., feria quarta proxima post Jacobi apostoli, pontificatus nostri anno secundo.

Sigilla Bertoldi episcopi et abbatis superioris Cellae appendent, sigillum sororum inferioris Cellae periit.

[1]) Charta hic perforata est.

CDV.

Anno 1276., 7. Augusti.

Bertoldus herbipolensis episcopus recognoscit, quod subsidium unius solidi denariorum de quolibet jugere vineti, sibi a clero, nobilibus terrae, ministerialibus, ciuibus et universo populo concessum, ex nullo prorsus iure vel consuetudine, sed ex ipsorum benivolentia recepit.

I. n. s. e. i. t. a. Ber[toldus] dei gratia herbipolensis episcopus. Et si in factis perpetuo duraturis, ne in obliuionem decidant, auctoritas scripturarum munimine autenticata requiratur: in hiis, que pro necessitatibus et vtilitatibus conmunitatis de prudentum virorum consilio certo moderamine fiunt, ne in peius malo ingenio conuertantur, sed ea intencione, qua fiunt, obseruentur, necesse est scripturarum testimonium adhiberi. Nouerint igitur vniuersi huius pagine inspectores, tam presentes, quam post futuri, quod cum ecclesia nostra, que longo tempore pastore et rectore extitit viduata, esset sede vacante propter destructionem tocius dyocesis grauibus debitorum oneribus onerata, et bona ipsius pro maiori parte obligata, nosque pro negociis ipsius ecclesie, laboribus et expensis in curia romane ecclesie fatigati, et multis aliis disturbacionibus tocius terre, que longum forent per singula exarrare, a clero tam religiosis quam secularibus, nobilibus terre, ministerialibus, ciuibus et vniuerso populo tam ciuitatis, quam dyocesis subsidium peteremus, per quod nobis et ecclesie nostre subueniretur, et vniuersitas predictorum nostre peticioni beniuole annuerent, ne ecclesia nostra propter vsuras, in curia romana et alias cottidie accrescentes, aliaque dampna in dispendium irrecuperabile laberetur, statuerunt et ordinauerunt inter se conmunicato consilio, vt vnusquisque nobis in subsidium daret de suo vineto, de quolibet iugere vnum solidum denariorum herbipolensium, quam donacionem, exaccionem, seu precariam, quocumque nomine censeatur, nos recognoscimus ex nullo prorsus iure vel consuetudine, sed ex

ipsorum beniuolencia recepisse, cum eciam ante nostra tempora huiusmodi exhibicio nunquam fuerit instaurata, et ne pro aliquo iure aut consuetudine ab ipsis huiusmodi subsidium decetero nos petamus, aut ad nostros transeat successores, de consilio et consensu tocius capituli nostri statuimus et ordinamus, vt supradicta exaccio, donacio, siue precaria in posterum a nobis, aut a nostris successoribus de iure, de facto, seu consuetudine nullatenus requiratur, set predicta vniuersitas cleri et populi a peticione predicta sit perpetuo libera et secura. Ut autem ipsorum beniuolencia et nostrum, nostrique capituli statutum liqueat omnibus, presentem litteram sigilli nostri, capitulique nostri sigilli karactere conmunimus. Datum anno domini MCCLXX°. sexto, in die sancte Afre, pontificatus nostri anno secundo.

Duo sigilla appendent.

CDVI.

Anno 1276., 12. Septembris.

Simon de Slitese, Ludewicus de Hohenberg senior, et Rudolfus de Hurneheim scolasticus, canonici herbipolenses, se obligant ad solutionem canonis ex oblatione in Randesacker praestandi, cuius fructus Manegoldus de Nuwenburg, praepositus ecclesiae herbipolensis, Heinrico de Rebestog, civi herbipolensi, vendidit.

Nos Simon de Slitese, Lvdewicus de Hohenberg senior, et Rodolfus de Hvrneheim scolasticus, canonici maioris ecclesie herbipolensis presentibus protestamur, quod cum venerabilis prepositus nostre ecclesie Manegoldus de Nuwenburg fructus oblacionis sue in Randesacker vendiderit Heinrico de Rebestog ciui herbipolensi per tres autumpnos a data huius pagine proxime subsequentes percipiendos, nos ad peticionem predicti nostri prepositi, ut nostro capitulo super eo precaueatur, promisimus et in hiis

scriptis nos obligamus, predicte oblacionis canonem soluturos aut formam super eadem oblacione a capitulo editam, si predictus noster prepositus medio tempore, quod absit, decesserit, iuxta predicti termini exigentiam seruaturos. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillis nostris fecimus communiri. Datum et actum anno domini M°. CC°. LXXVI°., sabbato infra octauam natiuitatis beate uirginis.

Sigilla appendent valde laesa.

CDVII.

Anno 1276., 1. Octobris.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis honorabilibus viris Bopponi et Rudolfo fratribus, comitibus de Wertheim, et ipsorum heredibus officium in Hochusen assignat.

In nomine domini amen. Vniuersa negocia que geruntur in tempore, ne naturam temporis consequantur, expedit, ea testium annotatione et viuaci litteram testimonio perhennari. Ea propter nos Manegoldus prepositus, Albertus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis constare volumus vniuersis presens scriptum visuris, quod vnanimi consensu deputauimus, assignauimus et presentibus deputamus et assignamus honorabilibus viris Bopponi et Rudolfo fratribus, comitibus de Wertheim, et ipsorum heredibus officium nostrum in Hochusen cum omnibus bonis attinentibus, quesitis et non quesitis juribus, quod ad prebendam nostram spectare dinoscitur, possidendum et tenendum, jure patronatus parrochie in Hochusen excepto. Et exnunc damus ipsis et ipsorum heredibus libera donatione fructus et prouentus eiusdem officii singulis annis pro reconpensatione seruiciorum suorum, que nobis et ecclesie nostre inpenderunt eo jure et moderamine, quo et nos percipere consueuimus, libere percipiendos tanto tempore, quousque

ipsis per nos et ecclesiam nostram de ducentis et viginti marcis argenti, in quibus ipsis tenemur, fuerit satisfactum. In cuius rei testimonium presentes ipsis damus litteras sigillis videlicet venerabilis patris ac domini nostri Ber[toldi] herbipolensis episcopi et nostro diligentius conmunitas. Datum anno domini MCCLXXVI., in die sancti Remigii, pontificatus domini nostri Ber. episcopi predicti anno secundo, regnante serenissimo domino Rudolfo Romanorum rege.

Sigillum Bertoldi episcopi periit; sigillum capituli appendet.

CDVIII.

Anno 1277., 16. Februarii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus recognoscit, quod conventus in Celle pro neglecta pensione capitulo herbipolensi curiam in Mose nomine pignoris obligavit.

Bertoldus dei gracia herbipolensis episcopus. Vniuersis presentes litteras intuentibus recognoscimus, publice protestantes, quod constituti in nostra presencia.. prior et conuentus monasterii in Celle palam confessi fuerunt, se pensionem annuatim.. decano et capitulo nostro soluendam per multa tempora neglexisse, pro eadem pensione neglecta.. decano et capitulo prefatis curiam suam in Mose cum omnibus attinentiis et juribus suis nomine pignoris obligantes, ita sane, ut deinceps de fructibus et prouentibus, qui ex dicta curia prouenerint, nil percipiant, donec.. decanus et capitulum prefati, de pensione subtracta in totum fuerint expediti. In cuius rei testimonium presens scriptum ad preces.. prioris et conuentus predictorum nostro sigillo fecimus roborari. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXVII., XIIII. kalendas Marcii, pontificatus nostri anno tercio.

Sigillum Bertoldi appendet.

CDLX.

Anno 1277., mense Martii.

Bertoldus herbipolensis episcopus ius suum de vinea, sita inter semitam in descensu montis S. Mariae, et vineam Cunradi dicti Neuin, versus monasterium Coeliportae, ecclesiae S. Jacobi Scotorum tradit.

Bertoldus dei gracia herbipolensis episcopus. Notum facimus et presentibus ad noticiam transmittimus futurorum, quod, cum Mauricius... abbas ecclesie sancti Jacobi Scotorum dampnum passus esset in concessione vnius equi nobis adcommodati, cum iremus in expedicione serenissimi domini nostri Rudolfi Romanorum regis, estimati ad valorem VIII librarum hallensium, quem non rehabuit, in recompensacionem ipsius dampni et alias diuine remuneracionis intuitu jus nostrum, quod habemus de vinea habente duo jugera, communi nobis et ecclesie sancti Jacobi, sita inter semitam in descensu montis sancte Marie et vineam Cunradi dicti Neuin ciuis nostri, versus monasterium Celiporte, de qua nobis quarta pars annis singulis soluebatur, remittimus et damus ipsam vineam sepedicte ecclesie sancti Jacobi proprietatis nomine perpetuo possidendam. Et ut hec nostra donacio patefiat omnibus et dicto loco inuiolabiliter conseruetur, presentem litteram super ea conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Testes sunt hii: Al. canonicus ecclesie sancti Johannis in Hauge, prothonotarius curie nostre, Heinricus Wolfolt camerarius, Arnolt frater suus, houescultetus, Arnolt de Linach, pincerna, Cunradus de Sichershusin, dapifer, Heinricus dictus Hurkil, magister montis ibidem, et alii plures. Datum anno domini MCCLXXVII., in mense Marcii, indictione V., pontificatus nostri anno tercio.

Sigillum Bertoldi episcopi appendet.

CDX.

Anno 1277., 6. Aprilis.

Sententia officialis curiae herbipolensis contra Heinricum militem dictum de Randesacker ad refundendum Arnoldo, maioris ecclesiae custodi canonem unius anni, subtractum de bonis in Bertheim.

I. n. d. a. Cum inter honorabilem virum Arnoldum custodem nostre ecclesie ex una, et Heinricum militem dictum de Randesacker ex parte altera coram nobis R. scolastico et officiali curie herbipolensis questio uerteretur, dictus . . custos proposuit, quod cum dictus miles pensionem nouem maldrorum siliginis de quibusdam bonis in villa Bertheim singulis annis soluendam per unum annum subtraxisset, eundem ad solucionem eiusdem pensionis subtracte compellere dignaremur, lite itaque per ipsum militem super petitis a dicto custode legitime contestata, isdem miles excipiendo proposuit, quod non teneretur ad solucionem pensionis subtracte, eo quod dictus custos tale impedimentum in predictis bonis, a quibus huiusmodi pensio solui debet, sibi intulisset, ut ipse eadem bona colere minime potuisset, ad hanc exceptionem probandam quosdam testes produxit, quorum depositionibus publicatis, cum pars prefati custodis nil obicere uellet in dicta uel personas testium eorundem, nos seruare uiam iusticie cupientes partibus prefiximus terminum peremptorium ad definitiuam sententiam audiendam, cumque in assignato termino partes essent in nostra presencia constitute, utraque petente sententiam pro se ferri, nos uisis, auditis et intellectis iuribus et racionibus parcium predictarum et super hiis deliberatione prehabita diligenti, quia nobis constitit, quod memoratus miles exceptionem suam non sufficienter probauit, ipsum non obstante exceptione huiusmodi, ad solucionem prenominate pensionis per unum annum subtracto, antedicto custodi faciendam per definitiuam sentenciam condempnamus. In cuius rei testimonium presentem sentenciam nostro sigillo roboramus. Lata est hec sentencia anno domini M.CC.LXXVII., feria tercia post quasimodo geniti, pre-

sentibus Arnoldo de Vssenkeim, Otthome de Lacu, nostris concanonicis, magistro Conrado de Moguntia, magistro Diétherico de Fulda, magistro Wertwino, Dietmaro notario ciuium, et aliis quam pluribus ad hoc uocatis et rogatis testibus fide dignis.

Sigillum officialis herbipolensis appensum in circumscriptione laesum est.

CDXI.

Anno 1277., 13. Maii.

Bertoldus herbipolensis episcopus capitulo maiori confert parochiales ecclesias Gollehoven et Uzenheim.

Bertoldus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus. Honorabilibus viris .. preposito .. decano totique capitulo eiusdem ecclesie salutem in domino sempiternam. Cum plantare diuini nominis cultum et plantatum fouere necnon promouere ea, que ad diuini cultus decorem spectant, precipue in nostra ecclesia, cuius regimini diuina sumus clementia deputati, ex officii nostri debito teneamur, nos prouide considerantes, quod prebendarum vestrarum redditus et prouentus propter diuersa gwerrarum discrimina et pacem terre communem hacterius perturbatam sunt plurimum diminuti, propter quod diuinorum obsequiis, ut consueuistis, intendere non potestis, ex sincero cordis affectu subsidium uobis postulantibus, quantum presentis status temporis patitur, decreuimus impendendum, vt in ecclesia nostra per uos diuinorum obsequia liberius ualeant exerceri, parrochiales ecclesias Gollehouen uidelicet et Vzenheim, quarum collacio ad nos spectare dinoscitur, uobis pleno iure proprietatis et possessionis donamus et concedimus, in uos easdem ecclesias cum iuribus et pertinentiis suis, cum pleno rerum dominio transferentes, quodque fructus earumdem ecclesiarum in subsidium uestrarum prebendarum conuertere possitis, cedentibus uel decendenticus personis,

que ipsas ecclesias iam possidere dinoscuntur, plenam uobis presentibus concedentes facultatem, ita tamen, quod cura animarum ibidem minime negligatur, quodque predicte ecclesie parrochiales perpetuos habeant vicarios, quibus tantum de ipsarum prouentibus relinquatur, quod episcopo et archidyacono dyocesis, qui pro tempore fuerint, de suis ualeant iuribus respondere. In cuius rei testimonium presens scriptum nostri sigilli patrocinio duximus roborandum. Datum anno domini MCCLXXVII., tercio idus Maii, pontificatus nostri anno tercio.

Sigillum Bertoldi episcopi appendet.

CDXII.

Anno 1277., 18. Maii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus Liupoldo, imperialis aulae coquinario, omnia feoda confert, quae olim Lupoldus, ipsius Lupoldi pater, ab ecclesia herbipolensi in feodo tenuit, praeterea haeredibus suis, si de medio tolli contigerit, spondet mundibordiam ipsorum feodorum, vulgariter „vormüntschaft“ dictam.

Bertholdus dei gracia episcopus herbipolensis. Nouerint vniuersi presencium inspectores, quod nos Livpoldo, imperialis aule coquinario, obsequia, per eum et suos progenitores nobis et ecclesie nostre impensa et in posterum impendenda, et non minus sue probitatis merita, quibus pollere dinoscitur, attendentes, omnia generaliter feoda, que olim Lupoldus, ipsius Lupoldi pater, a nobis et nostra ecclesia in feodo tenuit, contulimus de nostra benevolentia et conferimus in hiis scriptis sibi et suis heredibus possidenda. Preterea mvndibordiam ipsorum feodorum, que uulgariter vormůntschaft dicitur, heredibus ipsius Lupoldi, si eundem de medio tolli contingeret, conferimus de nostra gracia speciali. In quorum omnium robur et testimonium presentes litteras

appensione sigilli nostri fecimus insigniri. Datum Herbipoli anno domini MCCLXX septimo, XV. kalendas Jvnii, pontificatus nostri anno tercio.

Sigillum Bertoldi episcopi appendet.

CDXIII.

Anno 1277., 24. Maii.

Bertoldus herbipolensis episcopus Gotfridum comitem de Richenbach et bona eius in Eluericheshusin et Mahtolzhusin in protectionem et defensionem suam recipit.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus. Litteris presentibus recognoscimus et patere volumus vniuersis, quod vir nobilis Gotfridus comes de Richenbach in nostra constitutus presencia supplicauit, quod eum et bona in Eluericheshusin et Mahtolzhusin et alia per ipsum et per manus bone memorie domine Mehtildis comitisse de Henninberg ecclesie nostre tradita, post mortem amborum proprietatis nomine perpetuo possidenda, in protectionem et defensionem nostram recipere curaremus. Nos igitur eius peticionibus inclinati, eum cum premissis bonis in tuicionem et protectionis nostre presidium recipientes, mandamus vniuersis et singulis, quibus presens littera fuerit exhibita, quatinus nullas ei per uos vel per vestros in eisdem bonis molestias inferendo, non permittatis eum ab aliquibus perturbari. Et qui contrarium fecerit, indignacionem nostram se nouerit incursurum. Datum secunda feria post octauam pentecostes proxima, pontificatus nostri anno tercio.

Sigillum Bertoldi episcopi laesum.

CCXIV.

Anno 1277., 14. Augusti.

Manegoldus praepositus, Albertus decanus, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis notum faciunt, quod nobilis vir Godfridus comes de Richenbach, qui coadunata manu uxoris suae nobilis matronae Mehtildis, comitissae de Hennenberg, omnia bona, eidem ex donatione quondam nobilis viri Heinrici de Trimberg devoluta, ecclesiae herbipolensi dederat [vide supra sub Nro. CCXLIII], dicta comitissa de medio sublata, Wolframum de Linach canonicum herbipolensem in horum bonorum possessionem corporalem nomine ecclesiae induxit, reservans sibi ad dies vitae fructus de eisdem bonis provenientes.

I. n. d. a. Manegoldus prepositus, Albertus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis ad singulorum tam presentium quam futurorum noticiam cupimus peruenire, quod cum quondam nobilis matrona Mehtildis comitissa de Hennenberg coadunata manu mariti sui nobilis viri Godfridi comitis de Richenbach receptis ab ecclesia nostra centum marcis argenti omnem proprietatem bonorum, que ad ipsam ex donatione quondam nobilis viri Heinrici de Trimperg fuerant deuoluta, videlicet: locum castri antiqui in Trimperg et montem totalem Trimperg apud Elbricheshusen sex mansos, quorum quilibet soluit duos modios siliginis, unum modium tritici, unum pullum, unum porcum estimandum pro XII solidis, dominicale ibidem solvens XV solidos, duas domos ad IIII^or solidos, piscariam soluentem septimanis singulis sex denarios, vineas circa XII iugera infeodata et soluta, insuper precarias et alia servitia; in Mahtolshusen siluam, XXX agros, XI mansos soluentes tantum ut priores, dominicale soluens unum talentum, XXXII iugera vinearum absoluta; insuper VII iugera infeodata; apud Rutswindehusen circa septem feoda, quorum quodlibet solvit IIII^or solidos, unum modium siliginis, dimidium avene et totidem pullos; ibidem quedam noualia ad decem

solidos, apud Engental de vineis et feodis XXV solidos et modium auene; ibidem in Garba sub castro decem iugera; ibidem XVI iugera super ortum; ibidem in Meinlochsberg XX iugera; ibidem in rotunda vinea VII iugera; ibidem in Sibotental XVI iugera; insuper XII iugera, que coluntur a diuersis; ibidem VIIII iugera inculta; ibidem XLI iugera infeodata diuersis; quinque lehen ad duo talenta infeodata; apud Wazzerlose dominicale ad VIII modios siliginis, IIIIor modios auene; apud Erlehes XV lehen, quodlibet soluens duos solidos, unum modium siliginis, unum modium auene et unum pullum, molendinum ibidem tantum soluens sicut lehen; apud Westheim mansum decem solidos; apud Alphartsh[usen] unum mansum decem solidos; apud Sulztal unum lehen VII solidos; apud Rudetstal medietatem noualium vinearum circa centum iugera; apud Trintal medietatem dominicalis et piscarie; apud Oberntulbe bona ad XVI solidos; apud Langendorf III iugera; Melbornes villa infeodata dapifero comitis; item homines, qui ex dicta donatione ad ipsam comitissam peruenerant, scilicet Conradum et Bertoldum aduocatos de Heideuelt, Bertoldum, Lupoldum et Otthonem fratres de Kundorf, Mehtildem, sororem ipsorum, Rudegerum de Ozelen et pueros, Heinricum et Bertoldum aduocatos de Grunungen, Theodericum Schirbin, Bertoldum de Tullesteten, Godfridum de Sulztal, vxorem et pueros, Bertoldum de Zuzeleibe et pueros, Johannam de Sulza et pueros, Gerdrudim vxorem Conradi aduocati et pueros; insuper alios homines tam militaris quam rustice condicionis, qui nobilis viri quondam Heinrici de Trimperg fuisse dinoscuntur et alia bona dicte proprietati attinentia, quorum nomina forsitan superius non sunt scripta, per manum quondam nobilis viri Manegoldi de Wilperg sui salmanni dedisset nostre ecclesie nomine proprietatis perpetuo possidendos, sicut in instrumento sub sigillis felicis recordationis quondam Hermanni nostre ecclesie episcopi, nostri capituli, comitis et comitisse predictorum exinde confecto plenius continetur; idem Godfridus comes, dicta comitissa de medio sublata superstes, ad nos in nostrum capitulum ueniens, vt sibi prouideatur ab

ecclesia nostra de habitacione in ciuitate herbipolensi, quam diu vixerit competenti, et eius corpus post mortem terre in nostro capitulo commendetur, ac ipsius vxorisque prefate anniuersarius proxima sexta feria ante Mychahelis annuatim a dominis nostris sollempniter celebretur, bona predicta et quidquid iuris in eisdem habere dinoscitur, de consensu et uoluntate venerabilis patris et domini nostri episcopi Bertoldi, in honorem et laudem sancti Kyliani martyris et sociorum eius nostre dedit ecclesie perpetim possidendos, renunciando manu et calamo omni juri, quod sibi in eisdem bonis siue hominibus competere uidebatur, in quorum siquidem bonorum et hominum possessionem Wolframum de Linach, nostrum concanonicum, duxit nostre nomine ecclesie corporalem, hoc sibi saluum excipiendo, quod omnes fructus, qui de eisdem bonis et hominibus prouenerint, deductis expensis, quas ad necessitatem ipsorum bonorum nos facere contingerit, sibi debemus ad dies uite sue ad ciuitatem herbipolensem suis expensis et periculo nostrisque laboribus presentare. Vt autem hec donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam abinde conscriptam, sigillis venerabilis domini episcopi predicti procurauimus, et nostri capituli uoluimus, ad preces prefati comitis communiri. Datum anno domini M.CC.LXXVII°., in vigilia assumpcionis beate virginis.

Duo sigilla laesa appendent.

CDXV.

Anno 1277., 14. Septembris.

Clerus herbipolensis contra exactionem decimae papalis pro subsidio terrae sanctae protestatur.

Cum apud prelatos, capitula, abbates, abbatissas, conuentus, priores, priorissas, canonicos, plebanos, pastores et vicarios totumque clerum ciuitatis et dyocesis herbipolensis super solucione de-

cime papalis facienda, perplexitas sit exorta, ex eo uidelicet, quod in uicinis dyocesibus decime institute in consilio lugdunensi non soluuntur, item ex eo, quod causa principalis, propter quam institutio dicte decime ab instituente uidelicet Gregorio papa facta fuit, cessare uidetur, ex eo, quod pecunia decimalis ad alios usus quam ad eos, ad quos intencio instituentis dirigebatur, scilicet in subsidium terre sancte in magna sui parte est conuersa, et negocium eciam crucis et terre sancte tam a laycis quam a clericis pro desperato seu pro derelicto habeatur, et quod processum non habeat tempore statuto; item quod ipse dominus Gregorius, eiusdem decime institutor, uiue uocis oraculo fuit publice protestatus, vt si aliquo casu contingente, passagium non fieret generale, ita quod eadem decima in subsidium terre sancte non conuerteretur, ex tunc vniuersis dictam decimam soluentibus plena et libera esset restitucio facienda; item quod nullus successorum instituentis dictam decimam aliquam fecerat mentionem per ammonicionem, executionem seu innouacionem statuti uel precepti, seu alias quocunque modo super solucione decime papalis facienda, et sic de intencione successorum ipsius instituentis super solucione huiusmodi decime uerisimiliter dubitatur; item cum per mortem ipsius instituentis et successorum suorum huiusmodi solucionem decime faciendam dissimulancium et eciam, quod plus est, non exequentium, mandatum traditum magistro Rogerio de Merlomonte finitum et extinctum uideatur, ac per sequens collectorum ipsius decime substitutorum ab eodem; item cum in nulla temeritate seu rebellione super solucione eiusdem decime uelint apparere, nec opponere se eidem, sed potius tamquam filii obedientie deuote et humiliter obtemperare, dum tamen de intencione domini pape et curie romane super hiis certificentur, et ideo nulla temeritas [1]) apud ipsos ex causis premissis appareat, ego Heinricus capellanus sancte Katherine herbipolensis, plenum habens mandatum, ne uos domini magister Gregori archidyacone et Rudolfe scolastice herbipolenses, collectores ipsius decime per herbipolensem ciuitatem et dyocesim substituti, in ipsos prelatos,

[1]) Charta hic perforata est.

capitula, abbates, abbatissas, conuentus, priores, priorissas, canonicos, plebanos, pastores et vicarios. ciuitatis et dyocesis predictarum, uel ipsorum ecclesias exconmunicationis, suspensionis, interdicti uel alias quascumque sentencias proferatis, seu fulminetis, et ne eedem sentencie uestre uel dicti Rogerii, ipsos ligare ualeant de facto, cum jurisdicio uestra, sicut premissum est, finita sit penitus et extincta, presertim cum incontinenti ad curiam romanam pro consultatioue habenda super articulis premissis nuncios suos transmittere uelint, pro ipsis in hiis scriptis sedem apostolicam appello, seu eciam prouoco, et apostolos cum instancia peto, ipsos et ipsorum ecclesias necnon res protectioni eiusdem sedis suppenendo. Interposita est hęc appellacio in capitulo herbipolensi coram capitulis ibidem anno domini M.CC.LXXVIIo., in die exaltacionis sancte crucis. In cuius rei euidentiam sigilla capitulorum, maioris, sancti Johannis in Houge et noui monasterii presentibus sunt appensa.

Tria sigilla, partim valde laesa, appendent.

CDXVI.

Anno 1277., 20. Octobris.

Herdenus abbas in Bilidehusen Bertoldo herbipolensi episcopo in restaurum decimarum super monasterium suum et grangias Riuthove et Nuwenhove sibi collatarum bona in Herbestvelt et Sale tradit.

Nos Herdenus, abbas in Bilidehusen, constare uolumus vniuersis presens scriptum visuris, quod, cum venerabilis pater ac dominus noster Bertoldus herbipolensis episcopus decimas super monasterium nostrum et grangias, que uocantur Riuthoue et Nuwenhoue, nobis et monasterio nostro proprietatis iure contulisset, nos in restaurum earundem decimarum de consensv conuentus nostri sibi et ecclesie sue contulimus bona de proprietatibus nostri monas-

terii in Herbestvelt et in Sale, soluencia singulis annis duodecim libras denariorum herbipolensium aut viginti quatuor libras hallensium. Et in huius rei euidenciam presentes litteras sigilli nostri munimine roboramus. Datum anno domini MCCLXXVII., feria quarta post Galli, tempore synodi, pontificatus ipsius anno tercio.

Sigillum abbatis appendet.

CDXVII.

Anno 1277., 21. Octobris.

Gotfridus comes de Lewenstein castra sua Lewenstein et Wolfselden domino Bertoldo, episcopo herbipolensi vendit.

Wir graue Gotfrit von Lewenstein veriehen offenlich an dysen brieuen, daz wir mit triwen gelobt han, vnd des einen gstabetn eit darvf gesworn han, vor vnsrm hern bischof Bertolde von Wirzburc in der vzern kemenaten, vor simme bette, vf vnser frowen berc, vnd vor hern Albreht dem tvmtechent, vnd vor Albreht vnsrm brůder, die da tvmheren sint z'Wirzburc, vnd vor brvder Albreht, dem minnerbrůder, der da heizt von Lewenstein, daz wir vnsr burc Lewenstein vnd Wolfselden, gsůcht vnd vngesůcht gv̊t, vnserre herschaft, manlehn, lvthe vnd eigen, vnd swelherlei gv̊t ez si, das wir haben oder besitzn, oder hernach gwinnen mvgen, von herbschaft vnserre muter, oder swiez vns an gevalle, zekovf gegeben vnsrm herren bischof Bertolde, dem vor gesprochen, oder simme nach kvmlinge, ob got vber in gebutet, vnd dem bistv̊m z'Wirzburc, nach der ahtvnge Albrehtes vnsers brůders, der da canonic ist, vnd brvder Albrehtes, des minnern brvder, die da vor gnant sint, oder ir eins, ob der einer niht enwere, oder sin niht haben moht, vnd swelh ahtvnge vnd satzvnge die zwen oder ir einer daran machen, die

haben wir globet, als davor gesprochen [1]) ist, bi dem eide stet zebehalden. Und is, daz wir bi vnserm lebendem libe von dem gv̊te, vnd vnserre herschaft scheiden wollen, so sol wir manen vnsern herren den bischof von Wirzburc ein halp iar vor dem zil, daz er lose vnd gelde vnser gv̊t, vnd vnser herschaft, die wir vorgenant haben, nach der ahtunge, vnd der schatzvnge, die vnser brv̊der der [2]) tůmherre vnd bruder Albreht, die vor genant sint, oder ir einer dar an haben gemachet. Wir geben ovch den gewalt den selben zwein, oder ir eime, div zil zemachen, vnd zelengen nach den dingen, als ez bescheidenlich tunc an dem kovfe. Vns hat ovch gelobet vnser herre der bischof von Wirzburc fvr sich, vnd sin nachkvmlinge zevolvarne, vnd zeleistene nach der zweir vorgenant oder ir eins ahtunge, an den ziln vnd an dem kovf des gv̊tes. Wir han uns ovch des verbunden, ob wir bi vnserm gv̊te vnd vnser herschaft mvgen beliben oder wollen, di wil daz wir leben, ob daz geschit, daz wir ane erben vervarn, die wir nv fvrbaz mit vnserm libe gewinnen, daz doch vnser gv̊te, bvrge, herschaft vnd lvthe, als ez vor genant ist, vnser herre der bischofe, oder sin nachkvmlinc, swer der were, lôsen sol, nach der ahtunge vnd der schatzvnge, die Albreht vnser brvder, vnd brvder Albreht vf gesetzet han, oder ir einer. Die zwen ovch han mit gv̊ten triwen, anegeverde gelobet, die ahtunge, vnd die schatzvnge vnd div zil zemachen, als ez bedenthalben gevellich vnd bescheidenliche tvnket z'enden. Wir han ovch daz gelobet, swie got vber vns gebutet, also daz wir vnser dinc niht gesetzet heten, daz doch vnser brvder vnd brvder Albreht, die da vor genant sint, oder ir einer, an der ahtunge des kovfes vol varn svlen, vnd div zil vnd die phenninge vf zesetzen, als da vor gesprochen ist, vnd sol man von dem gv̊te des kovfes vnserre wirtinne fvr Sophien zem allerersten berihthen [3]), vnd darnach mit dem andern vnser sele dinc schaffen vnd zeberihten, die man zereht berihten sol, nach den dingen, als ez sie vnserre sele heilsam dvnket, daz wir ovch genzelichen vf ir sele setzen. Gwinnen aber wir fvrbaz erben mit vnserm libe, so get diz gedinge abe, vn diz gelvbede. Zeime vrkvnde aller diser dinge, die vor gesprochen sint, sint zwene geliche briefe gescriben, vnd

verinsigelt, mit vnsers herren se'bischofs insigel, mit vnserm, mit des tv̊mtechendes Albrehtes insigel, vnd mit Albrehtes vnsers brv̊ders insigel, vnd geschach nach gotes gebvrt [4]) tvsent iar, zweihvndert iar in dem siben vnd sibenzgen iar, an dem donerstage nach sant Lvcas tage, des ewangelisten, in dem trittet iar sines bistv̊mes, vnd geweldic was kvnc Rvdolf, der romische kunc.

Appendent quatuor sigilla, ex quibus secundum et quartum laesa sunt.

Charta: [1]) „gespochen“. [2]) „de“, [3]) „berihthet“, [4]) „gebrvrt.“

CDXVIII.

Anno 1277., 20. Decembris.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis censum ex curia dicta Asini transfert in curiam Morhardi.

Nos Manegoldus de Nuenburch prepositus, Albertus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis tenore presencium noticie omnium declaramus, quod X solidos denariorum, qui dabantur nobis singulis annis de curia dicta Asini, sita apud fratres ordinis predicatorum, transmutauimus et transtulimus super anteriorem partem curie dicte Morhardi vnanimi consilio et consensu. vnde prefatam curiam dictam Asini a solutione predicte pensionis inmunem et liberam profitemur. Ne igitur de huiusmodi transmutatione aliquis erroris scrupulus valeat in posterum suboriri, presens scriptum sigilli capituli nostri munimine duximus roborandum. Actum et datum anno domini M°. CC°. LXXVII°., in vigilia sancti Thome apostoli.

Sigillum capituli maioris ecclesiae herbipolensis bene conservatum appendet.

CDXIX.

Anno 1278., 2. Martii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus parochialem ecclesiam Erlebach cum jure patronatus et advocatia ipsius, a nobilibus viris Gerhardo et Gebhardo comitibus de Hirzberg sibi resignato, monasterio in Halsprunen, cisterciensis ordinis, eystedensis dyocesis, donat.

I. n. s. e. i. t. a. Bertoldus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus viris religiosis Rudolfo abbati et conuentui monasterii in Halsprunen, cysterciensis ordinis, eistedensis dyocesis, salutem in eo, qui est omnium uera salus. Gloria perhennis vite, qua mira benignitas conditoris omnium supernam coronat aciem ciuium supernorum, a redemptis precio sanguinis fusi de precioso corpore redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter que illud pregrande dinoscitur, quod in sanctorum ecclesiis et religiosis collegiis diuina pietas dulcius collaudetur. Quod attendens nostre deuocionis sinceritas parrochialem ecclesiam Erlebach, cuius jus patronatus ad nos et ecclesiam nostram spectare dinoscitur, quod quidem jus patronatus et aduocatiam ipsius parrochie nobiles viri Ger. et G. comites de Hirzperg a nobis nomine feodi tenuerunt, sed postmodum ad manus nostras idem feodum resignarunt, de consensu et uoluntate capituli nostri cum jure patronatus necnon aduocatia ipsius ecclesie ac capellis eidem annexis omnibusque juribus et pertinentiis suis, quocumque nomine censeantur, vobis et monasterio uestro in perpetuum donamus et concedimus in uestrarum subsidium prebendarum, et specialiter ob preciosi corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi reuerentiam et amorem prefatam ecclesiam et capellas eidem annexas cum jure patronatus et aduocatia ipsius omnibusque aliis juribus et pertinenciis suis in uos et uestrum monasterium cum pleno rerum dominio transferentes, ita tamen, quod cedente uel decedente pastore ipsius, eadem ecclesia perpetuum habeat vicarium, secularem clericum, cui tantum de prouentibus

dicte parrochialis ecclesie relinquatur, quod possit hospitalitem tenere ac nobis et archidyacono loci de nostris juribus respondere, adicientes nihilominus ob reuerentiam gloriosi corporis et sanguinis saluatoris, vt de prouentibus prescripte parrochie uobis in festo eiusdem corporis et sanguinis domini, a felicis recordacionis Vrbano papa instituto, et in anniuersariis Hermanni, quondam prepositi ecclesie noui monasterii herbipolensis, nostri fratris, et nostro die, qua dominus nos uocauerit, singulis annis sollempnis refectio ministretur. Igitur ad huius nostre donacionis, concessionis et translacionis euidentiam adque robur presens instrumentum sigillis, nostro scilicet et capituli nostri fecimus fideliter conmuniri. Testes sunt: Manegoldus prepositus, Albertus decanus, Rudolfus scolasticus, Arnoldus custos, Gregorius archydiaconus, Hartmannus prepositus in Onolsbach, Ottho de Lacu, canonici maioris ecclesie; Waltherus decanus noui monasterii herbipolensis et alii quam plures. Datum Herbipoli anno gracie MCCLXXVIII., VI. nonas Marcij, indictione .., pontificatus nostri anno ...

Appendent duo sigilla.

CDXX.

Anno 1278., 2. Martii.

Conventus monasterii in Halsprunnen capitulo herbipolensi ob collatam sibi ecclesiam parochialem Erlbach pensionem annuam XX librarum hallensium assignat.

Honorabilibus viris dominis .. decano totique capitulo ecclesie herbipolensis frater Rudolfus dictus abbas et totus conuentus monasterii in Halsprunnen, ordinis cysterciensis, eistetensis dyocesis, deuotas orationes in domino Jesu Christo. Recolentes fauoris non modici beniuolentiam, quam erga nos et nostrum monasterium habe-

lis et hactenus habuistis. attendentes etiam pietatis vestre sincerum affectum, quem nobis in collatione parrochialis ecclesie Erlbach, facta per venerabilem patrem dominum Bertoldum, herbipolensem episcopum, per consensum et coniuentiam vestram liberaliter impendistis, dignum estimamus, non prout deberemus, sed prout possumus, vos vicissitudine honorare, vt itaque ex huiusmodi fauoris beniuolentia et pietatis affectu commodum aliquod reportetis, pensionem XX librarum hallensium singulis annis soluendam a nostro monasterio in perpetuum vobis liberaliter donamus et conferimus in vestrarum subsidium prebendarum. Cuius quidem pensionis medietatem soluemus in festo Waltburgis, aliam medietatem in festo Martini, postquam possessionem predicte parrochialis ecclesie Erlbach cedente vel decedente pastore ipsius cum juribus et pertinentiis suis adepti fuerimus corporalem. Et ad eiusdem pensionis solutionem, predicto modo perpetuo faciendam, nos et nostrum monasterium presentibus obligamus, hoc tamen adiecto moderamine, quod libera sit nobis et nostro monasterio facultas prefatam pensionem cum redditibus valentibus singulis annis XX libras hallensium, cum eosdem vobis inter Windesheim et Ohsenfurt deputauerimus, redimendi, quodque assignatis vobis prouentibus huiusmodi ad solutionem pensionis premisse nos et nostrum monasterium sit minime obligatum. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorem presens instrumentum sigillis, videlicet venerabilis patris episcopi memorati, capitulorum sancti Johannis in Houge, noui monasterii herbipolensium rogauimus et nostro voluimus communiri. Datum anno domini MCCLXXVIII.. VI. nonas Marcii.

Sigilla perierunt.

CDXXI.

Anno 1278., 28. Septembris.

Bertholdus episcopus herbipolensis bona in Witoldeshusen, quae Herbordus filius quondam Theodrici de Swanfelt ab ecclesia herbipolensi in feodo castrensi in Wernekke possederat et conventui sanctimonialium monasterii in Heiligental vendiderat, dicto monasterio appropriat, recipiens in restaurum feodi ab eodem Herbordo et Gertrude uxore eius allodium in Zuzeleube.

Bertholdus dei gracia episcopus herbipolensis. Nouerint vniuersi huius pagine inspectores, quod, cum Herbordus, filius quondam Theodrici de Swanfelt, bona sita in Witoldeshusen, que a nobis et predecessoribus nostris in feodo castrensi in Wernekke possidebat, videlicet: duos mansos, solventes annuatim duas libras hallensium in festo Martini, duos porcos in epiphania domini, estimandos utrumque ad duodecim solidos denariorum herbipolensium, quatuor modios tritici et duos modios siliginis, in messe soluendos, dilectis in Christo sorori Lucardi abbatisse et conuentui sanctimonialium monasterii in Heiligental ordinis cisterciensis, pro precio viginti librarum et triginta solidorum denariorum herbipolensis monete de nostro fauore et licencia uendidisset, ea quoque bona dicto monasterio a nobis in proprietatem dari cum instancia supplicasset, quia idem Herbordus et Gertrudis vxor sua super hoc in nostra constituti presencia allodium, quod eis proprietatis titulo competebat, situm in Zuzeleibe, soluens annis singulis viginti vnum modios annone diuerse, cuius equidem cultor est Arnoldus de Witoldeshusen miles, coadunatis eorum manibus ad nostras manus libere resignarunt, illudque a nobis in restaurum predicti feodi in castrensi feodo receperunt. Nos precibus ipsius Herbordi fauorabiliter inclinati, pensata eciam nichilominus tam nostra quam parcium utilitate, facta quoque primum ad nostras manus resignatione, per eundem Herbordum et eius vxo-

rem de predictis mansis in Witoldeshusen eosdem mansos cum uniuersitate eorum abbatisse et conuentui prefatis in proprium de nostra beniuolencia dedimus et in hiis scriptis tradimus et donamus eosque in ipsum monasterium Heligental pleno iure transferimus proprietatis, dictam abbatissam et eius conuentum in ipsorum mansorum iam mittentes corporalem et perpetuam possessionem. Et ut hec omnia et singula omnia et singula omnibus lucidius pateant et inuiolabiter obseruentur, presentem litteram appensione sigilli nostri duximus muniendam. Testes sunt: Wernherus de Tannenberg archidiaconus, et Heinricus de Wechmar canonici ecclesie herbipolensis, frater Cunradus commendator domus hospitalis sancti Johannis in Wirzeburg, Vlricus de Randesaker, Woluoldus filius Heinrici Woluoldi camerarii, Cunradus de Witoldeshusen capellarius, Reinhardus de Wiginheim, Cunradus de Schonungen, Cunradus de Zullichesheim, frater Waltherus conuersus claustri de Heilgental et alii quam plures. Datum anno domini MCCLXX octauo, in vigilia sancti Michaelis archangeli, indiccione VII a., pontificatus nostri anno quarto.

Sigillum Bertoldi episcopi appendet.

CDXXII.

Anno 1278., 6. Octobris.

Ludwicus de Windeheim castrum Schonenbrunnen, quod a Bertholdo episcopo herbipolensi titulo feodi tenet, villas Schonenbrunnen et Grube, nec non iura advocatiarum in villis quibusdam pro precio trecentarum quinquaginta librarum hallensium ecclesiae herbipolensi tradit, insuperque homines suos militaris conditionis et jura bonorum suorum feodalium cum eisdem bonis in ipsam ecclesiam herbipolensem transfert.

Ego Ludewicus de Windeheim constare cupio per presentes litteras et notum facio vniuersis, quod castrum meum Scho-

henbrunnen, quod a manu venerabilis domini mei Bertholdi episcopi herbipolensis teneo titulo feodi, itam villas Schonenbrunnen et Grube et molendinum, soluens porcum volget, ad ipsum castrum pertinentes. item jura aduocatiarum in villis istis Furhenbach, Nivsez, Halbolsdorf, Walsprunnen, Tenheim, Schultir, Clebeheim, Bertheim, Koppenwinden, Rode, Lindech, Livbrichesdorf, Hohenrode et molendinum hiis villis attinens, soluens vnum porcum brvswin, cum duabus piscariis in fluuio Eberach, extendentibus se a Tenheim vsque in Brellendorf et abinde usque ad molendinum Biberloch, cum eorum pertinenciis agris. pratis. pascuis, molendinis, piscariis, siluulis et uirgultis, viis, inuiis, aquis, aquarumque decursibus et aliis quesitis et inquirendis: hec omnia pro precio trecentarum quinquaginta librarum hallensium eidem domino meo Bertholdo episcopo dedi et litteris presentibus do ei et ecclesie herbipolensi perpetuo possidenda. Insuper meos homines militaris condicionis ad me pertinentes et jura bonorum meorum feodalium a meis progenitoribus uel a me infeodatorum cum eisdem bonis infeodatis ex sola liberalitatis mee donatione in ipsum et in suos transfero successores ac herbipolensem ecclesiam possidendos. Vt autem huiusmodi donationis mee bonorum et hominum forma omnibus patefiat, presentem paginam abinde conscriptam dedi sepefato episcopo et ecclesie sue herbipolensi sigillorum honorabilium dominorum de Eberach et de Lancheim abbatum munimine atque meo sigillo firmiter communitam. Testes sunt hii: Manegoldus de Nuenburg prepositus, Albertus decanus, Rvdolfus scolasticus, Cunradus de Telheim cantor, Fridericus de Hohenburg portenarius, Arnoldus custos, Wernherus de Tannenberg archidiaconus, Heinricus de Wechmar, magister Gregorius archidyaconus et alii canonici maioris ecclesie herbipolensis. Layci vero: Wolfelinus de Grunbach, Heroldus de Tronstat, Gerlacus de Tundefelt, Hermannus de Cellingen, Johannes Flieger, Hermannus Mutel, Cunradus filius aduocati de Waltperg et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini MCCLXX octauo, pridie nonas Octobris, indictione septima, pontificatus predicti domini mei episcopi anno quarto.

Appendent tria sigilla.

CDXXIII.

Anno 1278., 6. Octobris.

Bertholdus episcopus herbipolensis castrum Windeheim cum suis pertinentiis, resignatum sibi a Ludewico de Windeheim, conventui ebracensis monasterii in proprium dat.

Bertholdus dei gratia herbipolensis episcopus. Insinuatione presentium notum esse volumus tam presentis etatis quam future posteratis hominibus, quod, cum Ludewicus de Windeheim ex inspiratione diuina inintenderet ad religionis habitum eberacensis cenobii cysterciensis ordinis se transferre, castrum suum Schonenbrunnen cum suis pertinenciis, habito de eo nobiscum venditionis tractatu, nobis et ecclesie nostre herbipolensi dedit pro precio trecentarum quinquaginta librarum hallensium proprietatis nomine possidendum, insuper homines militaris condicionis ad eum pertinentes et iura aduocatiarum et bonorum suorum feodalium, a suis progenitoribus uel ab eo infeodatorum, cum eisdem bonis infeodatis ex sola liberalitatis sue donatione in nos et in nostros transtulit successores ac herbipolensem ecclesiam perpetuo possidendos. Et quia idem Lvdewicus circa monasterium eberacense, ductus zelo pietatis, castrum Windeheim, quod in feodo a nobis tenuit, cum omnibus pertinenciis suis, videlicet: uilla eiusdem castri, et siquidem forte ab ipso castro sive uillulis eius titulo feodi alienatum est, videlicet: de ipsa uilla Windeheim duo Wiler et Scrappach cum iure capelle eiusdem uille et uillulis Capele et Scrappach et curia Winegersdorf et Heide et quibusdam decimis noualium, quibusdam eciam iuribus aduocatiarum uillularum Steinah et Mannendorf et Hainbvch et Richardsdorf et quibusdam bonis eorumdem necnon agris, pratis, pascuis, molendinis, piscariis, siluulis et uirgultis, viis, inuiis, aquis, aquarumque decursibus et aliis quesitis et inquirendis necnon pauperibus et colonis uel quicquid a nobis in feodo tenuit, quod ad idem castrum pertinet, eidem monasterio eberacensi de nostra licencia in sue remedium anime tradidit et donauit, nos eius precibus fauorabiliter inclinati et, ut meritorum suorum participes effici mereamur, castrum Windeheim et omnia bona predicta, accepta primum de illis ab ipso Ludewico resignatione libera ad manus nostras, .. abbati et conuentui eberacensis monasterii de expresso capituli nostri consensu proprietauimus et in proprium damus, ipsa bona cum eorum vniuersitate in dictum monasterium

Eberach pleno jure proprietatis in hiis presentibus transferrentes, mittentes in hiis scriptis nichilominus . . abbatem et conuentum predictos in ipsorum bonorum corporalem et perpetuam possessionem. Et ut hec, que predicta sunt, omnibus pateſiant et robur optineant firmitatis, presentem paginam abinde conscriptam nostri et capituli nostri muninine sigillorum fecimus roborari. Testes sunt hii: Manegoldus de Nuenburg prepositus, Albertus decanus, Rudolfus scolasticus, Cunradus de Thelheim cantor, Fridericus de Hohenburg portenarius, Arnoldus custos, Wernherus de Tannenberg archidyaconus, Heinricus de Wechmar, magister Gregorius archidyaconus et alii canonici maioris ecclesie herbipolensis. Layci vero: Woluelinus de Grunbach, Heroldus de Tronstat, Gerlacus de Tundefelt, Hermannus de Cellingen, Johannes Flieger, Hermannus Mvtel, Cunradus filius aduocati de Waltperg et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, pridie nonas Octobris, indictione septima, pontificatus nostri anno quarto.

Duo sigilla appendent.

Editum in Haas Geschichte des Slaven-Landes et P. II. p. 336. Nr. 12.

CDXXIV.

Anno 1278., 25. Octobris.

Ludewicus de Hohenberg, senior, canonicus ecclesiae herbipolensis, de capituli consensu curiam suam in villa sub castro Buthrit magistro Gregorio, archidiacono ecclesiae herbipolensis, vendit.

Nouerint vniuersi presentes litteras inspecturi, quod ego Ludewicus de Hohenberg, senior, canonicus ecclesie herbipolensis, de voluntate et consensu expresso capituli ecclesie nostre herbipolensis curiam meam sitam in villa sub castro Buthrit, valentem singulis annis viginti maldra siliginis, quatuor tritici, sex avene in redditibus, quam ego et predecessores mei habui et habuerunt pro oblacione hereditaria cum omnibus vsibus, utilitatibus, pertinenciis et obuencionibus suis et quidquid juris ego et predecessores mei habui

et habuerunt in eadem curia, magistro Gregorio archidiacono dicte ecclesie herbipolensis vendidi et per presentes uendo jure proprietatis perpetuo possidendam ab eo uel ab alio aut ab aliis, cui uel quibus donare. uendere uel concedere uoluerit, et eundem in corporalem possessionem ipsius curie posui et eandem possesionem, quam dudum habui et mei predecessores habuerunt, in eundem transtuli cum pleno rerum dominio et transfero per presentes, et jus, quodcumque habui in eadem curia. in manus dicti archidiaconi resignaui et per presentes resigno et Heinricum dicte curie inquilinum absolui et per presentes absoluo a fidelitate, qua michi erat obligatus, et a prestacione debitorum siue seruiciorum omnium. Hanc igitur vendicionem dicto archidiacono feci et facio per presentes pro precio quinquaginta librarum hallensium, quas quinquaginta libras recepi in pecunia numerata, de quibus bene pacatum me recognosco. renuncians excepcioni non numerate et non solute pecunie, actioni de dolo et omni auxilio et beneficio juris canonici et ciuilis, per quod juuari possem contra vendicionem et solucionem hujusmodi. In cuius rei testimonium litteras presentes memorato archidiacono sigillo meo proprio vna cum sigillo capituli supradicti tradidi roboratas. Nos enim M. prepositus, Al. decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis vendicioni prescripte consensimus et per presentes consentimus, et in signum huius et robur firmitatis omnium suprascriptorum litteris presentibus sigillum nostri capituli fecimus apponi et easdem litteras predicto sigillo duximus roborandas. Actum et datum anno domiui MCCLXXXVIII., feria tercia ante festum apostolorum Symonis et Jude.

Appendent fragmenta sigillorum.

CDXXV.

Anno 1278., 3. Novembris.

Ludewicus de Hohenberg, senior. canonicus herbipolensis, qui oblacionem suam hereditariam in Botert magistro Gregorio, archidiacono, vendidit, se obligat, quod infra quatuor annos aequivalentes possessiones pro oblatione haereditaria fundanda comparabit.

I. n. d. a. Notum sit omnibus tam presentibus, quam futuris, quod cum ego Ludewicus de Hohenberg, senior, canonicus herbipolensis, oblacionem meam hereditariam in Botert, ualentem singulis annis XX[ti] maldra siliginis, IIII maldra tritici et VI maldra auene, mensure herbipolensis. de consensu et uoluntate prepositi, decani et capituli eiusdem ecclesie uenderem magistro Gregorio, archidiacono ipsius ecclesie et concanonico meo, pro facienda uicaria in eadem ecclesie pro L libris hallensium, uolens idem capitulum indempne conseruare, promitto per sollempnem stipulationem preposito, decano et capitulo predictis, et per presentes me obligo, quod infra IIII[or] annos a data huius littere numerandos, equiualentes possessiones possessionibus per me distractis, prefato capitulo mea pecunia pro oblatione hereditaria conparabo, et ad maiorem ipsius capituli certitudinem oblacionem meam hereditariam in Buecheim ad manus decani et capituli memoratorum ex nunc resigno, et plenam possessionem ipsius in eosdem transfero ita, ut idem capitulum elapso quadriennio supradicto, si equiualencia bona antedictis bonis per me distractis, non emero, ut promisi, extunc idem capitulum distrahendi intra ecclesiam herbipolensem eandem oblacionem et ex precio alia bona equiualentia sepedictis bonis per me distractis comparandi, liberam habeat potestatem, dum tamen bona sic per capitulum empta apud me et meos heredes iure oblacionis hereditarie remaneant, quodque eisdem bonis pro remedio anime mee canonem ipsi capitulo soluendum, imponere ualeam con-

petentem, ac siquid de precio dicte oblacionis mee in Buecheim per capitulum distracte supererit, michi et meis heredibus per capitulum refundatur. Vt autem hec omnia et singula premissa robur obtineant debite firmitatis, in eorum testimonium presentem litteram capituli antedicti et meo sigillis, michi placuit roborari. Datum anno domini M°. CCLXXVIII., III°. nonas Nouembris.

Sigilla laesa appendent.

CDXXVI.

Anno 1279., 23. Januarii.

Bertholdus herbipolensis episcopus matronae nobili, Alheidi de Trimperg, quae post votum professionis, a viro suo Cunrado de Trimperg nobili emissum, elegit apud monasterium Scheftersheim claudere dies suos, pro vitae suae tempore pensionem annuam promittit.

Bertholdus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus. Nouerint vniuersi presentium inspectores tam presens etas, quam post futura posteritas, quod cum coram nobis matrona nobilis Alheidis de Trimperg post votum professionis, a viro suo, dilecto nostro Conrado de Trimperc, nobili, de uoluntate et verbo ipsius Alheidis emissum, elegerit apud monasterium Scheftersheim, in quodam speciali receptaculo, sub castitatis flore claudere dies suos, quia eadem matrona vna cum viro suo predicto, coadunatis eorum manibus castra Trimperg cum eorum attinenciis in nos et ecclesiam nostram libere transtulerunt, nos inter cetera, que circa ipsos in restaurum translacionis huiumodi fecimus, predicte matrone pro uite sue tempore et quamdiu apud dictum monasterium Scheftersheim, siue in cultu seculari fuerit siue eiusdem monasterii habitum assumpserit, in quinquaginta talentis hallensium, sexaginta maldris annone et quatuor carratis vini de bonis nostris infra

scriptis, habito super hoc capituli nostri expresso consensu atque verbo decreuimus pro pensione annua prouidendum. De decimis itaque nostris in Bernheim decem maldra tritici, et quinquaginta maldra siliginis puri grani, et ibidem de mansis nostris viginti quinque talenta hallensium. De bonis nostris in Bullenheim, nostro precio comparatis, viginti quinque talenta hallensium. De Ohsenfurth et de Ippensheim ita, quod semper de altero defectus alterius suppleatur, quatuor carratas vini predicte matrone volumus et presenti scripto statuimus dari annuatim tempore messium et autumpni, ita eciam, quod ipsam in solucione pensionis huiusmodi pro nobis et successoribus nostris expediri primitus semper volumus, et postea residuum de eisdem bonis nostris vsibus adoptari. Preterea statuimus et decreuimus presenti scripto, vt officiatus noster, assumptis sibi predicte matrone et ipsius monasterii Scheftersheim nunciis decimas, mansos et vineas, de quibus predicta pensio est soluenda, locent, instituant et destituant annis singulis, prout melius viderint expedire, adicimus hoc eciam de gratia speciali, quod post eiusdem matrone obitum siue in ipsius monasterii religione siue extra religionem decesserit, quod extunc magistra et conuentus prefati monasterii, vt noster et ipsius matrone anniversarius ibidem agatur, in posterum memoratam ad eiusdem anni spacium percipiant integraliter pensionem. Sane si dicta matrona ex quocunque casu ab ipso monasterio Scheftersheim se abstraheret, uel moueret, extunc ei amplius ad pensionem non tenebimur antedictam, immo ea plane ad nostros et successorum nostrorum vsus libere reuertetur. In quorum omnium et singulorum testimonium atque robur presentes littere nostro et capituli nostri sigillorum appensionibus sunt munite. Datum anno domini M°. CC°. LXXIX°., decimo kalendas Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Appendent duo sigilla.

CDXXVII.

Anno 1279., 25. Januarii, Herbipoli.

Cunradus de Trinperg, nobilis, de consensu uxoris suae Alheidis, Bertholdo episcopo herbipolensi castra sua Trinperg donat.

Nouerint vniuersi presencium inspectores tam posteri quam presentes, quod ego Cunradus de Trinperg nobilis, compos mentis mee, volens ad frugem melioris vite de consensu vxoris mee Alheidis transire et in religionis habitu omnipotenti deo perpetuo famulari, castra mea Trinperg cum omnibus suis pertinentiis et juribus videlicet villis, agris, cultis et incultis, vineis, campis, pratis, pascuis, riuis, riuulis, aquis, aquarum decursibus, piscariis, siluis, nemoribus, venationibus, hominibus cuiuscumque conditionis aut sexus, feodis, feodalibus homagiis, viis, inuiis, quesitis, et non quesitis, quocumque nomine censeantur, siue predicta ad me iure feodi siue proprietatis pertineant, coadunatis meis et Alheidis vxoris mee predicte manibus et expresso consensu nostro hinc inde habito, dono, lego pure et simpliciter pro remedio anime mee et vxoris mee predicte venerabili patri et domino meo Bertholdo herbipolensi episcopo eiusque ecclesie et in eum et ecclesiam suam predictam transfero pleno iure et ad manus ipsius resigno omne jus, quod michi et vxori mee prefate competit uel competere poterit in bonis superius memoratis, et predictum dominum episcopum et suam ecclesiam herbipolensem vniuersa bona et singula premissa cum pleno rerum dominio constituo possidere. Vt autem hec donatio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes litteras exinde de meo et vxoris mee predicte consensu confectas meo, sancti Burkardi, sancti Johannis in Hauge, ecclesie noui monasterii, sancti Stephani, sancti Jacobi Scotorum capitulorum et conuentuum herbipolensium et Gotfridi nobilis de Brunegge sigillis volui communiri. Facta est autem hec donatio Herbipoli anno domini M^o. CC^o. LXX. nono, octauo kalendas Februarii, presentibus: Man-

goldo de Nuwenburg preposito, Alberto de Thalheim decano, Wernhero de Tannenberg, Arnoldo de Spiezesheim custode, Heinrico de Wechmar, magistro Gregorio, magistro Rudolfo de Hurnheim scolastico, maioris ecclesie canonicis, Bertholdo abbate sancti Burchardi, Diethmaro decano in Hauge, Friderico de Kregelingen scolastico, Gernodo de Oezuelt cantore, Riwino custode, Alberto scriptore, eiusdem ecclesie canonicis; magistro Walthero, decano noui monasterii, Seruatio scolastico, Theoderico de Gamburg cantore, Reinhardo de Wechmar custode, eiusdem ecclesie canonicis; Hermanno sancti Stephani, Mauricio sancti Jacobi Scotorum abbatibus ecclesiarum et monasteriorum herbipolensium; Gotfrido de Brunegge nobili, Heinrico Wolfoldo kamerario, Gerlaco de Wisenpfelt pincerna, Cunrado dicto Brutte, Wolfelino de Grumbach, Heroldo de Mvetensheim, Cunrado de Grumbach militibus, Cunrado de Westheim, Cunrado fratre eius, Gotfrido de Mvetensheim, Wolframo de Beringen, Cunrado de Steinach, Bertholdo Zalbovm, Wolframo de Fulda aliisque clericis et laycis fide dignis ad hoc vocatis et rogatis testibus.

Appendent septem sigilla ex filis sericis, Cunradi de Trimperg, monasterii ad S. Burchardum, capitulorum S. Johannis in Hauge et novi monasterii, nec non monasteriorum ad St. Stephanum et ad St. Jacobum, atque Gotfridi de Bruneck.

CDXXVIII.

Anno 1279., 15. Februarii.

Bertholdus herbipolensis episcopus decimam in Holzhusen, quam Eberhardus de Maspach ab ecclesia herbipolensi in feodo tenuerat et monasterio in Marpurgehusen vendiderat, eidem monasterio pleno iure proprietatis transfert, oblatosque sibi ab ipso Eberhardo quatuor mansos in Volkoldeshusen huic reddit, nomine feodo possidendos.

Bertholdus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus. Ad noticiam vniuersorum tam presencium quam futurorum transmittimus

presenti scripto, quod, cum Eberhardus de Maspach miles decimam [1]) in villa Holzhusen, quam a predecessoribus nostris et a nobis in feodo tenuit, dilectis in Christo sorori Gertrudi abbatisse et eius conuentui monasterii in Marpurgehusen ordinis cysterciensis pro viginti quatuor marcarum argenti precio de nostro fauore et licencia uendidisset ipsamque decimam [2]) prefato monasterio de nostre paternitatis beniuolencia appropriari suppliciter postulasset, quia idem Eberhardus quatuor mansos in villa Volkoldeshusen, qui siquidem proprietatis tytulo sibi conpetebant, coadunatis suis et Agnetis vxoris sue manibus nobis resignauit eosque de nostris manibus loco dicte decime [3]) recepit nomine feodi possidendos, nos supplicacionibus predicti Eberhardi fauorabiliter inclinati, pensata non minus vtilitate, quam ex permutacione huiusmodi nostre ecclesie imuenimus prouenire, supradictam decimam [4]) in Holzhusen cum eius vniuersitate, accepta primum de illa per ipsum Eberhardum resignacione ad manus nostras, abbatisse et conuentui monasterii predicti in proprium damus et tradimus in hiis scriptis eamque in ipsum monasterium Marpurgehusen pleno iure proprietatis transferimus et vnimus, mittentes nichilominus predictam abbatissam et eius conuentum in corporalem ipsius decime [5]) possessionem. Nulli ergo omnino liceat, hanc paginam nostre donacionis infringere aut eidem ausu temerario contraire, quod, si quis attemptare presumpserit, indignacionem dei omnipotentis, beatorum martyrum Kyliani sociorumque eius et nostram se nouerit grauiter incurrisse. Testes sunt: Herdenus abbas in Bilhilthusin, Hermannus abbas, Rudolfus subprior de Lancheim, Hermannus cellerarius, frater Heinricus Meinloch conversus de Bilhilthusen [6]), Albertus prothonotarius, canonicus in Houge, Johannes aduocatus, Swigerus [7]) de Lewenhagen, Rudolfus de Heustrouue [8]), Iringus de Brendé, Siboto de Heustrowe, castrenses in Salzberg, Cunradus scultetus noue ciuitatis et plures alii ad hoc vocati in testimonium et rogati. In quorum omnium robur et testimonium presentem literam super hiis conscriptam appensione sigilli nostri voluimus consignari. Acta sunt hec anno domini MCCLXX nono, quarta feria cinerum, pontificatus nostri anno quinto.

Existunt duo exemplaria, quorum secundum habet: [1]) et [2]) „dimidietatem decime“, [3]) „dimidietatis dicte decime“, [4]) „dimidietatem decime“, [5]) „dimidietatis decime“, [6]) Bilhilthusin“, [7]) „Swicgerus“, [8]) „Hevstrowe“.

CDXXIX.

Anno 1279., 17. Martii.

Bertoldus herbipolensis episcopus proprietatem allodii, siti in Eisleibe, quod Siboto de Heitingesvelt et Juta uxor eius ab ecclesia herbipolensi in feodo habebant, et magistro Gregorio domini papae capellano et archidiacono herbipolensi vendiderant, in dictum archidiaconum transfert ad ordinandam perpetuam vicariam.

I. n. d. a. Nos Bertoldus dei gratia episcopus herbipolensis notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod Siboto de Heitingesvelt et Juta uxor sua in nostra et testium subscriptorum presentia constituti curiam siue allodium situm in villa Eisleibe cum omnibus suis juribus et pertinentiis, ualens in redditibus singulis annis quadraginta maldra siliginis et vnum pise, quod a nobis et ecclesia nostra in feodum habebant, de consensu nostro et capituli nostri uendiderunt magistro Gregorio domini pape capellano et archidiacono ecclesie nostre et suis successoribus et cui uel quibus dare uel concedere uoluerit jure perpetuo possidendum, et omne jus, quod eis competebat transtulerunt in dictum archidiaconum, nichil in eodem iuris sibi reseruantes, et quidquid juris habuerunt in manus nostras et dicti archidiaconi manu coadunata et calamo, prout moris et consuetudinis est, resignauerunt et in corporalem possessionem dicti allodii siue curie dictum archidiaconum per Cunradum dictum Kurere induxerunt nostra accedente auctoritate. Hanc igitur venditionem predicti Siboto et Juta, uxor sua, pro se et suis heredibus fecerunt pro precie octo-

waginta trium librarum hallensium, quas in pecunia numerata receperunt a prefato archidiacono, de quibus se bene pacatos et quietatos dixerunt, renunciantes exceptioni non numerate et non solute pecunie, actioni in factum et omni auxilio juris canonici et ciuilis, constitutioni generali seu locali et omni beneficio, per quod juuari possent ad contractum predictum impediendum siue rescindendum, ad guarandiam se eciam obligauerunt et promiserunt secundum conconsuetudinem terre. Proprietatem uere predictorum bonorum, que ad nos spectabat, in dictum archidiaconum transferimus et eidem concedimus et damus per presentes ex eo, quod de redditibus predictis et quibusdam aliis uicariam in ecclesia nostra herbipolensi construere et facere intendit et perpetuum uicarium ordinare, qui deo et beate uirgini et sancto Kyliano seruire debet et altaria in cripta, que ad nos et ad nostram collacionem spectabant, officiare debet secundum formam et modum ordinandum et constituendum per archidiaconum memoratum; que altaria uolumus semper et concedimus esse annexa dicte perpetuo vicarie. In cuius rei testimonium et memoriam futurorum presentes literas ad instantiam predictorum S i b o t o n i s et J u t e ac memorati archidiaconi nostri, et capituli nostri necnon subscriptorum testium sigillis fecimus roborari. Testes hii sunt: Mangoldus prepositus, Albertus decanus, Rudolfus scolasticus, Wernherus de Tannenberg, Heinricus de Wechmar archidiaconus, Ludewicus de Hohenberg, canonici ecclesie nostre, Heinricus Wolfoldus camerarius noster. Datum et actum anno domini M°. CC°. LXXIX°., XVI. kalendas Aprilis.

Existunt duo exemplaria, ex quorum unoquoque pendent septem sigilla.

CDXXX.

Anno 1279., 25. Maii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus silvam sitam super villam Steinlachen, quam Hertnidus, civis in Rotenburg, a praedecessoribus suis et a se in feodo habuerat et fratribus domus hospitalis s. Johannis Iherosolimitani in Rotenburg vendiderat, eidem domui appropriat.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Notum sit vniuersis tam presentibus quam futuris, quod, cum frater Hartmannus conmendator et fratres domus hospitalis sancti Johannis Iherosolimitani in Rotenburg ab Hertnido, laico ciue in Rotenburg, siluam sitam super villam Steinlachen, estimatam ad centum agros, qua idem Hertnidus a predecessoribus nostris et a nobis infeodatus fuerat, pro precio quadraginta quinque librarum hallensium conparasset ad usum et utilitatem domus sue, ut infirmorum et debilium, quorum in hospitali eiusdem domus cura geritur, magis commodum ampliarent. Iidem conmendator et fratres vna cum Hertnido ciue predicto nobis humiliter supplicarunt, vt uendicionem, quam dictus ciuis de ipsa silua fecerat, gratam et ratam habere et eandem siluam dare in proprietatem dicte domui caritatis videlicet omnipotentis dei, qui bonorum est omnium retributor, intuitu dignaremur. Nos itaque, cum ipsius silue emptio facta ad utilitatem domus et ad infirmorum et debilium conmodum videatur, ad peticionem parcium vendicionem, quam memoratus ciuis de ea fecit, gratam et ratam habentes, recepta primum ab eodem ciue sepedicta silua, quam nostris manibus resignavit, eam sepefatis conmendatori et suis confratribus ac eorum domui hospitalis in Rotenburg damus et tradimus ac in ipsam domum presenti scripto transferimus pleno iure proprietatis perpetuo possidendam, vt ibidem predecessorum nostrorum et nostra memoria in perpetuum habeatur. Vt autem hec nostra donacio omnibus patefiat, presentem paginam

abinde conscriptam sepedicte domui indulsimus sigilli nostri munimine roboratam. Testes donacionis nostre sunt hii: Mangoldus de Niwenburg maioris, Heinricus de Sterenberg novi monasterii ecclesiarum prepositi. Heinricus de Wechmar archidiaconus herbipolensis, frater Cůnradus conmendator domus hospitalis in Wirzeburg, frater Hartmannus conmendator domus hospitalis in Rotenburg, frater Heinricus dictus Veher eiusdem domus, Heinricus Wolfolt Kamerarius, Hermannus Stange aduocatus in Geroldeshouen, Albertus aduocatus in Clingenberg et plures alii clerici et laici fide digni, ad hoc uocati testes. Acta sunt hec Herbipoli anno domini MCC septuagesimo nono, VIII. kalendas Junii, indictione VII., pontificatus nostri anno quinto.

CDXXXI.

Anno 1279., 2. Junii.

Bertholdus herbipolensis episcopus in restaurum bonorum in villa Breitbach inferiori ab ecclesia herbipolensi in féodo procedentium et a Heinrico dicto Mutil de Stolberg, seniore, Ludewico, Hermanno et Theoderico de Buchelberg, fratribus, ac Alberto Zannenpeter monasterio ebracensi venditorum, recipit ab abbate et conventu dicti monasterii septuaginta quinque libras hallensium et redditus trium librarum hallensium annuatim in villa Swarzach sub castro Stolberg solvendarum.

Bertholdus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus. Nouerint vniuersi presentium inspectores tam posteri quam presentes, quod, cum Heinricus dictus Mutil de Stolberg, senior, septem et dimidium mansos in villa Breitbach inferiori, quorum singuli septuaginta denarios herbipolensis monete annuatim soluunt, vnum molendinum quinque solidos denariorum soluens, decimam maiorem et minutam in eadem villa, estimatam annuatim ad viginti maldra diuerse annone, cum attinenciis et juribus, domibus scilicet

ortis, pratis, pascuis, agris, cultis et incultis, nemoribus, siluis, aquis aquarumque decursibus, quesitis et non quesitis, que siquidem bona idem .. Mutil a predecessoribus nostris et a nobis in feodo tenuit, dilectis in Christo Winricho abbati et conuentui monasterii ebracensis ordinis cisterciensis de nostro uerbo pro sue remedio anime erogarit, et cum Ludowicus, Hermannus et Theodoricus de Bůchelberg fratres duos mansos et dimidium ac Albertus Zannenpeter vnum mansum in eadem villa Breitbach sitos, a nobis similiter in feodo procedentes, quorum etiam singuli LXX denarios annuatim soluunt, abbati et conuentui predictis de nostra conniuentia titulo tradiderint vendicionis, quia tam ipse Mutil quam etiam fratres de Bůchelberg et Albertus predicti vniuersa bona et singula, que premissa sunt, in nostris manibus libere resignantes ea memoratis abbati et suo conuentui proprietari de nostre paternitatis beniuolentia suppliciter postulabant, nos habito super hiis .. prepositi, .. decani et capituli nostri consilio et receptis ab eodem abbate et suo conuentu in restaurum feodorum huiusmodi septuaginta quinque libris hallensium, quas necessarias in solucionem castri Schonenbrunnen habuimus, assignatis quoque nobis per eundem abbatem et suum conuentum redditibus trium librarum hallensium, nobis et successoribus nostris annuatim in villa Swarzach sub castro Stolberg de quibusdam bonis, que Sigbertus de Windheim de nostro consensu eidem monasterio supradicto iam dudum uendiderat, soluendarum: omnia bona supradicta in villa Breitbach cum eorum pertinentiis et juribus de capituli nostri consensu expresso abbati et conuentui suo ac monasterio ebracensi in proprium damus, tradimus et donamus et in ipsum monasterium pleno jure proprietatis transferimus perpetuo possidenda, mittentes in hiis scriptis abbatem et conuentum memoratos in predictorum bonorum corporalem et pacificam possessionem. Vt autem hec nostra donacio perpetue robur optineat firmitatis, presentem litteram abinde conscriptam dicto conventui dedimus, nostro et capituli nostri sigillorum appensionibus roboratam. Testes, qui hiis interfuerunt, sunt hii: Manegoldus de Nůwenburg prepositus, Albertus de Talheim decanus, Růdolfus de Harnheim scolasticus, Arnoldus de Spiezheim custos,

Wernherus de Tannenberg archidiaconus, Heinricus de Wenar archidiaconus ceterique fratres capituli maioris ecclesie herbipolensis. Laici: Heinricus Wolfolt camerarius, Woluelinus de Grůnbach, item aduocati Bertholdus Killholcz de Swanenberg, Hermannus Stange de Geroldeshouen, Heinricus Gunpan de Swarza et alii quam plures. Actum et datum anno domini MCCLXX. nono., IIII. nonas Junii, pontificatus nostri anno quinto.

Existunt duo exemplaria, unumquodque cum duobus sigillis.

CDXXXII.

Anno 1279., 8. Augusti, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus mansum in villa Westheim, quam Heinricus de Wulflingen, scultetus in Hasefurth, a se in feodo tenuit, Wolframo dicto Prisinc in proprium dat pro curia in Mechrit, a prefato Heinrico in restaurum nomine feodi possidenda.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus, tenore presentium patere cupimus vniuersis, quod cum Heinricus de Wlflingen, scultetus noster in Hasefurth, de vno manso, quem in villa Westheim a nobis in feodo tenuit, annuatim quatuor vncias denariorum, vnum modium siliginis et vnum modium auene soluente cum Wolframo dicto Prisinc pro curia quadam in Mechrit ad dictum Wolframum titulo proprietatis spectante, vnam libram denariorum vel ultra annis singulis soluente, per mutacionem quandam superadditis eidem Wolframo decem libris hallensium fecerit de nostro verbo et licencia speciali, nos accepta vtrinque resignacione predictorum bonorum memoratum mansum in Westheim dicto Wolframo et eius heredibus in proprium damus, tradimus et donamus et in eundem et suos heredes pleno iure transferimus proprietatis, ipsam quoque curiam in Mechrit, utpote pluris precii

estimatam prefatus Heinricus de Wlflingen, in restaurum dicti mansi in Westheim, a nostris recepit manibus nomine feodi possidendam. In cuius equidem permutacionis seu nostre collacionis testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum Herbipoli, anno domini M$^{o.}$ CC$^{o.}$ LXX$^{o.}$ nono, VI. Idus Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Sigillum Bertoldi episcopi appendet.

CDXXXIII.

Anno 1279., 11. Augusti.

Bertholdus herbipolensis episcopus societates, corpora sive collegia civitatis herbipolensis, quae vulgariter zümpfte nuncupantur, illicita pronunciat, eaque de consensu et voluntate capituli tollit et revocat, ita tamen, quod effectus huius revocationis usque ad festum b. Andreae apostoli proxime venturum maneat in suspenso.

Nos Bertholdus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus tenore presentium recognoscimus et ad singulorum noticiam tam presentium quam futurorum uolumus peruenire, quod cum clamor validus contra societates, corpora siue collegia ciuitatis nostre herbipolensis, que wlgariter zumpfte nuncupantur, ex parte prelatorum, cleri et populi ciuitatis eiusdem ad aures nostras ex frequentibus querelis peruenisset, super eo videlicet, quod per societates, corpora, siue collegia predicta non solum clericis, laicis et toti populo, verum etiam diuitibus, pauperibus et omnibus dictam ciuitatem nostram frequentantibus, dispendia, incomoda et grauamina generantur, presertim cum eedem societates, corpora ciue collegia id efficiant, ne rerum commertia in predicta nostra ciuitate libere ualeant exerceri et propter dispendia, incomoda et grauamina predictarum societatum prelati, capitula et clerus ciuitatis predicte ces-

sassent a diuinis, et a nobis cum instancia postulassent, vt huiusmodi societates, corpora siue collegia tamquam illicita, deo et hominibus inimica, reprobare, reuocare ac tollere dignaremur. Nos itaque crebris et assiduis cleri et populi predictorum peticionibus inclinati societates, corpora siue collegia supradicta, que wlgariter zumpfte nuncupantur, illicita pronunciamus, eaque ex nunc de consensu et voluntate capituli nostri reprobamus, tollimus et absque omni retractatione perpetuo reuocamus. Et ne de cetero societates prelibate redintegrentur, resumantur aut in perpetuum reuiuiscant, de consensu et voluntate capituli nostri predicti statuimus et firmamus, nos et nostros successores ad hoc de consensu eiusdem nostri capituli obligantes, ita tamen, quod effectus huiusmodi reuocationis usque ad festum beati Andree apostoli proxime venturum maneat in suspenso. Quo elapso reuocationem huiusmodi cum effectu promisimus fide data ad manus .. prepositi et .. decani capituli nostri nomine ipsius capituli, et per presentes promittimus publicare et quantum possumus dare operam efficacem, vt corpora siue collegia, de quibus predicitur, dissoluantur, subicientes exnunc ciuitatem herbipolensem de consensu prefati nostri capituli ecclesiastico interdicto, si elapso predicto Andree festo memorate societates non fuerint dissolute. In omnes quoque et singulos, qui prefatas societates siue collegia illicita contra reuocacionem nostram elapso festo sancti Andree predicto manu tenere, defendere, eis adherere, ipsisque ut non dissoluantur auxilium, consilium, opem vel operam prestare presumpserint, exnunc excommunicationis sentenciam proferimus in hiis scriptis, et nichilominus exnunc interdictum positum per idem capitulum in eandem ciuitatem sub condicione premissa presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presentes littere, nostro et capituli nostri sigillorum appensionibus sunt munite. Acta sunt hec in capitulo nostro anno domini M°. CC°. LXX nono, in crastino Laurencii, pontificatus nostri anno quinto.

Appendent duo sigilla.

Exstat transsumtum huius instrumenti, quod Lupoldus episcopus babenbergensis ad petitionem capituli maioris ecclesiae herbipo-

lensis sigillo suo fecit communiri „anno MCC nonagesimo nono, quarto Idus Martii, in die beati Gregorii pape“.

Hanc cartam, in linguam germanicam versam, exhibet Friesius apud Ludewig Scriptores p 586.

CDXXXIV.

Anno 1279., 7. Septembris.

Capitulum herbipolensis ecclesiae bona in villa Espenvelt, a fratribus hospitalis s. Theoderici sibi resignata, Heinrico Weibelario, civi herbipolensi, iure emphiteutico concedit.

I. n. d. a. Vniuersa negocia, que geruntur in tempore, ne naturam temporis consequantur, expedit ea testium annotacione et uiuaci litterarum testimonio perennari. Ea propter nos Manegoldus prepositus, Albertus decanus, totumque capitulum herbipolensis ecclesie recognoscimus presentibus publice, et constare uolumus vniuersis, presentis pagine inspectoribus, quod cum fratres hospitalis sancti Theoderici infra muros herbipolenses, nobis resignassent et in nos transtulissent, pleno iure omnia bona, que habent in villa Espenuelt, tum illa, que a nobis pro annua pensione tenuerunt, tum illa, que titulo empcionis sibi comparauerant, vineis quibusdam, et bonis ad curiam ipsorum Rodehouen spectantibus exceptis, nos communicato consilio concessimus, dedimus, et hiis in scriptis concedimus, et damus, Heinrico Weibelario ciui herbipolensi, suis heredibus, et successoribus, eadem bona singula et vniuersa, quesita et non quesita, culta et inculta iure emphiteotico [1], sub pactis et condicionibus subscriptis perpetuo possidenda, videlicet, quod soluant nobis et nostris successoribus annis singulis, in festo sancti Martini quatuor libras denariorum herbipolensium et quatuor maldra tritici, ad cuius pensionis solucionem, ut premissum est soluendam predictus Heinricus se suosque heredes obligauit et

obligat per presentes. Et pro caucione pignoraticia in nos transfert iure hereditario molandinum suum, situm in ipsa villa de consensu et uoluntate venerabilis patris domini Bertoldi episcopi nostri, a quo idem molandinum feudum est, et quocienscumque in huiusmodi solucione, iam dictus Heinricus, sui heredes aut successores negligentes extiterint, vsque ad tempus medie quadragesime, extunc predicta bona omnia, vna cum molandino premisso, ad nos, et ecclesiam nostram libere reuertentur; item quod ipsa bona indiuisa permaneant, et vnus heredum suorum siue successorum indiuisa tantum possideat, et sic perpetuo ab omnibus suis heredibus et successoribus uolumus inuiolabiliter obseruari. Preterea notandum, si processu temporis sepefatus Heinricus, sui heredes, aut successores, prelibata bona, eo iure, quo et ipsi possident, vendere uoluerint, nobis ad emendum exhibebunt, et nos emendi pre omnibus aliis habemus plenariam potestatem. Si autem emere noluerimus, cuicumque uendiderint extunc, exceptis personis in iure prohibitis, illum, uel illos recognoscimus sepefata bona debere possidere sub pactis et condicionibus preexpressis. Adiectum est eciam, si prenominatus Heinricus, sui heredes, aut successores in premissis, aut quolibet ipsorum contrarium attemptare presumpserint, quod ipso facto a iure suo cadant, et bona sepefata vna cum molandino predicto ad ecclesiam nostram, omni contradiccione postposita deuoluentur. Vt autem predicta omnia et eorum singula robur firmitatis obtineant, sigilla venerabilis patris domini B. episcopi nostri, capituli nostri, videlicet Alberti decani nostri, et hospitalis predicti presentibus sunt appensa. Actum anno domini M°. CC°. LXXIX°., in vigilia natiuitatis sancte Marie, pontificatus domini B. episcopi nostri anno quinto.

Appendent quatuor sigilla.

[1]) In charta: „emphiteatico.“

CDXXXV.

Anno 1279., 2. Decembris.

Bertoldus herbipolensis episcopus depositionem societatum in civitate herbipolensi, quae zumpfte nuncupatur, revocat, omniaque iura sive consuetudines, quas habuerunt antiquitus, ipsis societatibus concedit.

In nomine domini amen. Nos Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus constare volumus vniuersis presens scriptum visuris, quod licet societates in ciuitate herbipolensi, que zufte nuncupantur, deposuissemus et ipsarum consuetudinem reuocassemus, tamen successu temporis non motu leuitatis uel inconstancie sed propter grata seruicia, que nobis et ecclesie nostre beniuole exhibuerunt in expungnacione castri Tungeden, nichilominus ad peticionem consulum nostrorum herbipolensium huiusmodi deposicionem reuocamus et omnia jura siue consuetudines, quas habuerunt antiquitus, ipsis societatibus concedimus et indulgemus secundum formam subscriptam, videlicet, quod omnes societates pro omnibus debitis, in quibus fuerint obligati cuicunque persone, que fuerit extra ipsorum societatem necnon pro wlneribus et omnibus excessibus, qui vreuele nuncupantur, iuri stent et pareant coram judicibus nostris herbipolensibus; et huiusmodi statutum omnes societates et singulas volumus inuiolabiliter obseruare. Item statuimus, quod similatores et alii pistores singulis diebus non feriatis pistent, quod recens panis albus et niger ab omnibus, qui habere voluerint, inueniatur. Item statuimus, quod pistores, qui rockener dicuntur, panem suum in domo panis tantum vendant, quibus eciam districtius inhibemus, ne aliquas cistas uel alias clausuras habeapt in ipsa domo sed tantummodo scamna sua habeant, in quibus panem suum vendant. Insuper precipimus, ut cistas et alias clausuras, si quas iam habent in predicta domo, destruant et non presumant alias edificare. Item statuimus, quod extranei pistores, qui voluerint, album et nigrum panem tribus diebus in qualibet septimana ducant ad ciuitatem herbipolensem et ibi stent,

si voluerint, a mane usque in sero illis diebus ad uendendum panem suum; quos similatores siue alii pistores non debent in suis negociis molestare aut aliquatenus inpedire. Item statuimus, quod carnifices extranei ducant carnes suas tribus diebus in qualibet septimana ad ciuitatem herbipolensem et vendant, necnon stent in locis, secundum quod antiquitus stare et vendere consueuerunt, quibus eciam licitum est stare a mane usque in sero absque omni impedimento et molestacione carnificum ciuitatis. Item statuimus, quod carnifices ciuitatis nostre herbipolensis stent et vendant carnes suas, quas mactauerint in locis ad hoc antiquitus deputatis. Item statuimus, quod iidem carnifices nullas carnes emânt a carnificibus forinsecis ad vendendum. Item statuimus, quod nulla peccora per tactum manuum suarum uel per alias consuetudines malas, quas dicuntur habuisse, occupent uel inpediant venditorem. Sed volumus, ut venditor, quicunque fuerit, peccora sua libere vendat ita, quod a carnificibus herbipolensibus nullatenus inpediatur. Item statuimus, quod nulla peccora per aliquam preempcionem occupent sed unusquisque ipsorum tantum emere debet, quantum soluere potest; tamen licitum est ipsis, seruire dominis nostris aut ciuibus herbipolensibus, a quibus rogantur ad peccora, si qua fuerint, conparandum. Item statuimus, quod carpentarii nullum inpediant in ciuitate herbipolensi in suis edificiis, sed volumus, quod vnicuique licitum sit, si voluerit, habere vnum carpentarium forinsecum in hospicio et pane suo, quem alii carpentarii herbipolenses inpingnorare non debent aut aliquatenus molestare. Item statuimus, quod fabri nullum inpedire debent in equis suis sed vnusquisque equos suos, prout sibi visum fuerit, expedire debet sufferrare, et alias curam equorum suorum ordinare, absque omni contradictione aliorum fabrorum siue unius, non obstantibus debitis, si vni fabro aliquis teneatur, sed volumus, ut pro debitis suis vnusquisque faber coram nostris judicibus trahat in causam, si necesse fuerit, debitorem. Item statuimus, quod ouarii, qui zuftam habent, nulla prorsus emant a quoquam extraneo in pullis, ouis, ferina, qualiscunque fuerit, et caseis nisi in pu[b]lico foro et hora tantummodo meridiana. Item inhibemus districius ipsis ouariis, quod in ponte Mogi et ultra pontem, quantum distat villa Heitingesuelt, et

alias in ciuitate herbipolensi uel eis subvrbiis contra mandatum nostrum huiusmodi nichil audeant attemtare. Item statuimus, quod ouarii, qui reftreger dicuntur, et alii inferentes pullos, oua, caseos, ferinam, sedeant et stent, prout ipsis conpetit in loco, qui houestat dicitur, secundum consuetudinem ante longa tempora obseruatam. Item statuimus, quod piscatores herbipolenses omnibus diebus, quibus ieiunium obseruatur, nullos pisces a quoquam extraneo, nisi fuerit hora meridiana, emere presumant. Item inhibemus omnes preempciones districtius sub pena ad hoc antiquitus deputata. Item statuimus, quod, si aliquis calcifex meliores calcios facere et parare scit, quam alter in zunfta, quod ob hoc ad nulla seruicia calcificibus aliis teneatur. Item statuimus, si aliquis aliquam societatem intrare voluerit, quod illa societas non ultra modum ab ipso requirat, set curialiter ipsum admittat et, si secus fuit factum, reseruamus nobis potestatem, quod talem admittamus secundum quod nobis visum fuerit expedire. Volumus autem, quod illi, qui post reuocacionem nostram et deposicionem societatum in ciuitate nostra herbipolensi se receperunt, si zuftas intrare voluerint, micius admittantur. Vt autem predicta omnia et eorum singula, ut superius sunt expressa, inviolabiliter obseruentur, presentes litteras sigilli nostri patrocinio communimus. Acta sunt hec anno domini MCCLXXIX. in die sancte Gerdrudis, pontificatus nostri anno quinto.

Sigillum Bertoldi episcopi appendet.

Hanc cartam in linguam germanicam versam exhibet (apud Ludewig Scriptores p. 585) Frisius in historia episcoporum wirtziburgensium, qui diem sanctae Gerdrudis, quo instrumentum datum est, pro die eiusdem emortuali sumsit, cum sit potius dies consecrationis intelligendus.

CDXXXVI.

Anno 1279., 16. Decembris, Herbipoli.

Bertoldus, herbipolensis episcopus, curiam Friderici dicti Zolnere, civis babenbergensis, sitam in Vrickenhusen ab omni iure advocationis, censuum, decimarum et serviciis absolvit.

Bertoldus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus tenore presentium recognoscimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos uolentes merita Friderici dicti Zolnere, ciuis babenbergensis, qui se semper nostris obsequiis mancipauit, grato animo intueri, curiam sitam in Vrickenhusen, quam ipse Fridericus et sui progenitores multis temporibus possederunt, in qua quidem curia ius aduocacionis nos et nostri predecessores habuerunt, de uoluntate et expresso consensu capituli ecclesie nostre ab omni onere aduocationis, censuum, decimarum et seruiciis quibuscumque absoluimus et per presentes reddimus absolutam, renunciantes pro nobis et successoribus nostris de consensu capituli nostri predicti juri aduocationis exactionis et omni juri, quod nobis et successoribus nostris in prefata curia et bonis eidem attinentibus hactenus competebat et volentes, vt idem Fridericus, sui heredes et successores memoratam curiam cum agris, vineis aliisque bonis eidem attinentibus ab omni angariarum, perangariarum et quorumlibet aliorum seruiciorum onere teneant liberam et absolutam, ... [1]) Frideri[cus et sui] [1]) heredes [cust]odi [1]) ecclesie nostre, qui pro tempore fuerit, ad altare beati Kyliani sex libras cere singulis annis in festo beati Martini pensionis nomine soluere teneantur. Volumus eciam, vt sepedictus Fridericus et sui heredes aliique possessores prelibate curie solius .. custodis ecclesie nostre iurisdicioni subiaceant, quem eis judicem deputamus, nec ad nos, aut officiatos nostros causa exercendi judicii ratione memorate curie respectus aliquis habeatur. In cuius rei testimonium presentes litteras damus Friderico, eius heredibus, suisque successoribus prefatis, nostro et antedicti

capituli sigillis communitas. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXIX., XVII. kalendas Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

Appendent duo sigilla.

[1]) Litterae his locis ex humore exoletae sunt.

CDXXXVII.

Anno 1279., sine die, Munerstat

Boppo, unicus haeres illustris Herimanni comitis senioris de Hennenberg, oppidum suum Kyzege Bertoldo herbipolensi episcopo subicit defensandum.

Nos Boppo, vnicus heres illustris Hermanni dei gratia comitis de Hennenberg, notum fieri uolumus presentis pagine inspectoribus, quod cum venerabilis dominus noster Ber. herbipolensis episcopus nos in suam specialem gratiam recipere dignatus est sue familie asscribendo, nos dignum duximus per omnia suis nutibus inclinare. Verum cum diuersi casus et inopinati euentus inter ipsum dominum nostrum episcopum ex parte una et carissimum patrem nostrum ac patruos nostros Ber., Her., et Heinricum comites de Hennenberg ex parte altera super controuersiis et dissensionibus poterunt oriri, de quibus nos inmiscere et ingerere minime cogitamus, opidum nostrum Kyzege, quod cum pertinenciis suis ad nostrum preceptum ex libera resignacione et donacione patris nostris predicti pertinere dinoscitur, ipsius domini nostri episcopi protectioni subicimus defensandum, cauere uolentes et presentibus firmiter promittentes, ne ipse dominus noster uel sui ab eodem opido Kyzege turbentur aliqualiter uel ledantur. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillorum dilecti patris nostri ac etiam proprio munimine duximus roborandas. Datum Munerstat, anno domini MCCLXXIX°.

Sigillum Bopponis de Hennenberg in superiori sua parte laesum appendet.

CDXXXVIII.

Anno 1280, 4. Januarii.

Frater Heinricus prior totusque conventus S. Mariae de monte Carmelo Herbipoli recognoscunt, quod ratione capellae beati Nicolai a Friderico de Hohenburg portenario, patrono eiusdem capellae, sibi concessae, ecclesiae herbipolensi subesse debent.

Nos frater Heinricus prior, totusque conuentus sancte Marie de monte Carmelo in Herbipoli notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod ex magnificencia et largicione uenerabilium dominorum B. episcopi, M. prepositi tociusque capituli herbipolensis ecclesie capellam sitam in ciuitate herbipolensi, videlicet beati Nicolay per donacionem et concessionem domini Friderici de Hohenburg ... portenarii nobis et successoribus nostris factam perpetuo simus liberaliter consecuti, qui portenarius patronus eiusdem ... [1]) capelle fuerat, beneficium huiusmodi ex debito recognoscentes, ne dicta herbipolensis ecclesia dispendium paciatur, vnde meruit premium adipisci, nos nostrosque successores presentibus obligamus et recognoscimus subesse debere nos ratione predicte capelle episcopo, capitulo et preposito memoratis, et eorum salubria monita et mandata recipere et exequi, prout secularis sacerdos antiquitus facere consueuit. In cuius [2]) promittimus eciam et presentibus obligamus nos facturos et procuraturos, quod noster provincialis aut generalis, si sui copiam habere poterimus, hanc recognicionem et obligacionem et promissionem ratificabit. In cuius rei testimonium memoratis episcopo, capitulo et preposito presentes litteras nostro sigillo dedimus roboratas. Datum anno domini MCCLXXX, feria quinta post circumcisionem domini.

Sigillum fractum appendet.

[1]) Hic in charta rasura est.
[2]) In charta hic deest verbum.

CDXXXIX.

Anno 1280, 13. Aprilis, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus ad solvendum pretium castrorum Leuwenstein et Wolfeshelde, bona et redditus in villis Karbach et Seligenstat Alberto decano ecclesiae herbipolensis pro ducentis libris hallensium vendit.

Bertoldus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus dilecto sibi in Christo **Alberto** decano ecclesie nostre herbipolensis salutem in eo, qui est omnium uera salus. Cum nos pro negociis ecclesie nostre predicte ad presens simus in magna necessitate positi, occasione quorumdam bonorum, que nuper ipsi ecclesie comparauimus, videlicet castra **Leuwenstein** et **Wolueshelde** cum suis attinenciis, nec precium eorumdem castrorum ad presens soluere ualeamus, nisi aliquas proprietates et redditus ad episcopatum nostrum pertinentes distrahamus, post diuersos et uarios tractatus habitos super bonis et redditibus distrahendis, deliberacione habita, meliora et utiliora prospicientes et recognoscentes, quod honestius et utilius est, in uos aliqua de predictis bonis ecclesie nostre transferre, quam in alienam personam, bona et redditus in villa **Karbach**, que uocantur bona episcopi, uidelicet quinque feoda, nouem mansos et molandinum ualens tantum quantum vnus mansus, que bona ualent in vniuerso singulis annis temporibus suis sedecim libras hallensium, decem solidos hallensium et octo hallenses. Item curiam, quam inhabitat **Conradus** colonus. Item sex iugera vinearum in eadem villa. Item in villa **Seligenstat** duos mansos et dimidium, quorum unus uocatur mansus **Lamperti**, alter uero **Hakonis**, quos ambos nunc possidet **Rudegerus** filius **Lamperti**, dimidium autem possidet **Godfridus** dictus **Tessenere**, qui mansi soluunt annis singulis certis temporibus septem libras hallensium, cum mancipiis in ipsis bonis utrimque residentibus, vobis et heredibus uestris, uestrisque successoribus uel cui dare, legare aut donare seu in

quoscunque quocumque modo uel causa transferre uolueritis et omne ius, quod nos habemus et nostri predecessores habuerunt, nichil penitus nobis de prefatis bonis reseruantes, cum vsibus, utilitatibus et pertinenciis omnibus de consensu capituli nostri uendidimus et per presentes uendimus et tradimus pro precio ducentarum librarum hallensium, quas ducentas libras in pecunia numerata recepimus et eas in solucionem debitorum ecclesie nostre conuertimus, renunciantes excepcioni non numerate et non solute pecunie, actioni de dolo et in factum, et omni auxilio et beneficio iuris canonici uel ciuilis, per que nos et nostri successores iuuari possemus et uos et uestri heredes aut successores impediri uel molestari possetis in contractu supradicto, et in plenam possessionem predictorum bonorum uos inducimus corporalem, ipsa bona in uos, uestros heredes ac successores de consensu iam dicti capituli cum pleno rerum dominio transferentes, promittentesque, quod eadem bona siue redditus nulli uendidimus aut obligauimus uel in feodum alicui contulimus vel aliquem contractum de eisdem bonis cum aliquo habuimus, per quem uos et heredes uestri ac successores impediri possetis uel dampnum aliquod incurrere et si processu temporis occasione alicuius contractus per nos habiti, uos, seu heredes uestri dampnum aliquod incurrere contigerit, hoc sine diminucione qualibet promittimus resarcire, nos nostrosque successores ad hoc in perpetuum obligantes. In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis et memoriam futurorum presentes literas nostro et capituli nostri sigillis uobis tradimus sigillatas. Datum Herbipoli anno domini M°. CC°. LXXX°., idibus [1]) Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

Sigilla laesa sunt.

[1]) Charta: „idus."

CDXL.

Anno 1280., 14. Julii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus, ad recuperandum castrum Leuwenstein, Bertoldo episcopo babenbergensi vendit castrum suum in Schonenbrunnen.

Bertoldus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus tenore presentium recognoscimus et ad noticiam tam presentium quam futurorum publice proclamamus, quod cum castrum nostrum Leuwenstein, nostro precio comparatum, esset a nobis inopinatu casu alienatum, nos ad recuperandum idem castrum consilium honorabilium virorum Manegoldi prepositi, Alberti decani tociusque nostri capituli querebamus, quibus post diuersos tractatus et uarias discussiones hincinde habitos uisum fuit omnibus, quam plurimum expedire recuperacioni dicti castri per uendicionem perpetuam castri nostri in Schonenbrunnen et attinentiarum eiusdem, quas pecunia nostra comparauimus, cautius et salubrius prouideri, propter quod, attendentes urgentem necessitatem eris alieni, considerato nichilominus nostre ecclesie comodo et profectu, venerabili in Christo patri domino Bertoldo babinbergensis ecclesie episcopo ipsum castrum Schonenbrunnen cum suis attinentiis pro precio sexcentarum librarum hallensium, interueniente .. prepositi .. decani et capituli predictorum uoluntate pariter et consensu, uendimus, donamus et tradimus, quod quidem precium nos confitemur habuisse, recepisse ac in usus nostre ecclesie conuertisse, renunciantes exceptioni non numerate, non solute pecunie et omni iuris amminiculo, canonici uel ciuilis, ipsumque castrum Schonenbrunnen et suas attinentias in prefatum dominum episcopum babinbergensem et suam ecclesiam cum pleno rerum dominio transferentes, eo iure, quo nos comparauimus et possedimus illa, perpetim possidenda. In cuius rei testimonium presens scriptum nostro et capituli nostri sigillis roboramus. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXX., pridie idus Julii, pontificatus nostri anno sexto.

Appendent duo sigilla.

CDXLI.

Anno 1280. 15. Julii. Klingenberc.

Heinricus comes de Hennenberg unacum militibus suis Reinhardo de Rundorf, Heinrico marscalco et Heinrico de Hetsdorf Bertoldo episcopo herbipolensi ad duos annos auxilium et iuuamen promittit.

Nos H. comes de Hennenberg recognoscimus et publice profitemur, nos vna cum Reinhardo de Rundorf et Heinrico marscalco et Heinrico de Hetsdorf nostris militibus sacramento fidei et iuramentis corporalibus promisisse, quod ab hoc die usque ad festum Martini et deinde ad duos annos continuos venerabili patri domino nostro Ber. herbipolensi episcopo auxilium prestabimus et iuuamen contra omnem hominem excepto duntaxat romano imperio, fratribus et patruis nostris comitibus de Hennenberc, qui si forte contra predictum dominum nostrum episcopum vellent motu voluntario malignari, ab eo iusta placita accipere recusantes, neutri partium astabimus, set ad concordandum illas nos interponemus studio diligenti. Sane si quid inter nos et predictum dominum episcopum et utriusque nostrum hominem actenus in questionis materia est deductum, super hoc uterque nostrum duas personas arbitrarias deputabit, plenam habentes potestatem questionis huiusmodi vtrimque decidendi secundum iusticiam uel amorem. In quorum omnium testimonium adque robur presentes literas appensione nostri sigilli iussimus consignari. Actum Klingenberc, anno domini M^o^. CC^o^. octoagesimo, in octaua Kiliani.

Sigillum Heinrici comitis de Hennenberg laesum appendet.

CDXLII.

Anno 1280., mense Julio, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus pro absolvendo et recuperando castro in Lewenstein conventui in Halsprun vendit omnes annuos census, pensiones sive precarias ex curia monasterii in Randersacker, dicta Velletor, episcopali camerae solvendos.

In nomine domini amen. Bertoldus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus omnibus hoc instrumentum uisuris in perpetuum. Quo magis temeritas crescit hominumque malicia inualescit, eo caucius iudicatur ad precauendam licium materiam rei geste memoriam fide instrumentorum transmitti noticie posterorum. Ea propter nouerit tam presens etas, quam futura posteritas, quod nos pro absoluendo et recuperando castro nostro in Lewenstein de pleno consensu et libera conniuencia capituli nostri vendidimus pro ducentis et quinquaginta libris hallensium venerabilibus in Christo abbati Rudolfo suoque conuentui in Halsprun, cysterciensis ordinis, eistetensis dyocesis, omnes annuos census, pensiones siue precarias ad episcopalia iura spectantes, quas de curia sua in Randersacker, dicta Velletor, et de omnibus suis attinenciis in eadem villa nostre dyocesis episcopali camere soluere consueuerunt, reddentes ipsam curiam cum suis attinenciis ab omnibus exactionibus, seruiciis siue stiuris, tam ville generaliter, quam curie singulariter inponendis, perpetuo liberam et exemptam. Pretextu autem huius libertatis et exempcionis nihil cultoribus predicte curie deperibit vel minuetur de participacione vel vsu, quem in pascuis, siluis aut fructu cuiuslibet iuris, ad conmodum communitatis pertinentis, hactenus habuerunt; sane si que persone per nos vel antecessores nostros infeodate noscuntur, quod certam summam de pensionibus prenotate uille Randersacker percipere debeant annuatim, nullum ad prelibatam curiam habere respectum vel aliquam cultoribus suis mouere uolumus questionem, set de censibus uille quelibet deputatam sibi percipiet

portionem. Ad perpetuam itaque omnium suprascriptorum firmitatem et euidenciam presens instrumentum sepedicto monasterio tradidimus sigillis nostro videlicet et capituli nostri fideliter consignatum cum subnotacione testium, quorum hec nomina sunt: Manegoldus prepositus, Albertus decanus, Hartmannus prepositus in Onolspach, Gregorius archidiaconus, Rudolfus scolasticus, Wernherus de Tannenberg, Arnoldus custos, canonici maioris ecclesie, Albertus notarius, Woluoldus de Heitingesvelt miles, Heinricus Rebestoc sculteius in Randersacker, Cunradus et Heinricus Webelarii, ciues herbipolenses, et alii plures fide digni. Datum Herbipoli anno gracie MCCLXXX., mense Julio, indictione octaua, pontificatus nostri anno sexto.

Sigilla perierunt.

CDXLIII.

Anno 1280., 19. Septembris, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus Alberto decano ecclesiae suae omnes decimas novalium in terminis parochiae Heilcbrunnen, ex parte monasterii hirsoviensis exstirpatorum aut exstirpandorum, donat.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus ad vniuersorum et singulariter singulorum, tam presentium quam futurorum has litteras lecturorum noticiam cupimus peruenire, quod nos uolentes gratis et acceptis obsequiorum meritis, in quibus erga nos dilectus nobis Albertus decanus nostre ecclesie exhibuit et adhuc exhibet se sollertem, aliquibus stipendiis respondere, omnes nos contingentes decimas noualium in siluis, rubetis et virgultis, in terminis parrochie in Heilcbrunnen, ex parte dilectorum in Christo . . abbatis et conuentus monasterii hirsouwiensis exstirpatis aut exstirpandis, donamus eidem decano vel hiis, quibus ipse easdem decimas donandas seu legandas duxerit perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium

presens scriptum ipsi decano dari mandauimus, nostri sigilli munimine communitum. Datum Herbipoli, anno domini M°.CCLXXX., XIII°. kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Sigillum appendet.

CDXLIV.

Anno 1280., 14. Octobris.

Bertoldus episcopus, Mangoldus praepositus totumque capitulum ecclesiae herbipolensis notum faciunt, quod Fridericus de Hohenburg portenarius ecclesiae herbipolensis, patronus capellae S. Nicolai, hanc capellam conventui ordinis S. Mariae de monte Carmelo tradidit, ita tamen quod duo iugera vinearum, quae dictae capellae attinebant, ab ecclesia herbipolensi nomine oblationis habere debet.

I. n. d. a. Nos Bertoldus dei gratia episcopus, Manegoldus prepositus totumque capitulum ecclesie herbipolensis notum facimus presentes litteras inspecturis, et ad memoriam ducimus futurorum, quod, cum dominus Fridericus de Hohenburg portenarius ecclesie nostre, patronus capelle sancti Nicolai ciuitatis nostre, in nostra presencia constitutus videret prefatam capellam inofficiatam propter defectum reddituum, obuencionum et oblacionum, que frequenter ad prefatam capellam et ad sacerdotem officiantem eandem peruenire consueuerunt, que nunc cessant, volens anime sue saluti prouidere et parentum suorum, procurando dictam capellam in perpetuum diuino cultui mancipari, et ibidem diuinum officium celebrari, ad honorem dei et beati Nicolai, in cuius nomine capella predicta fundata est et dedicata, priori et fratribus ordinis sancte Marie de monte Carmelo, qui contiguam habitacionem habent, et per quos de facili capella predicta in posterum poterit officiari, jus patronatus ipsius capelle et ipsam capellam dedit, donauit et concessit cum censu quinque solidorum denariorum herbipolensium,

debitorum dicte capelle annis singulis de domo Woluelini venditoris lignorum, quam domum idem Woluelinus nunc inhabitat, debetur LXa denariorum capelle sancti Nicolai; domus sita est apud portam lignorum, ab vno latere tenet Wortwinus de Linach, a secundo Cunradus Sweuus, a tercio et a quarto via publica, et cum tribus octauis sepi pro lumine perpetuo habendo in eadem capella; quod sepum dare debent fratres hospitalis ierosolymitani sancti Johannis in Herbipoli. De bonis in Bleifelt, que fuerunt Heinrici militis quondam de Hocheim, qui ad eos et ad eorum religionem transiuit, transferens in priorem et fratres predictos omne jus, quod sibi aut successoribus suis conpetebat vel conpetere posset in eadem, nullum sibi ius penitus reseruando dictosque fratres in plenam et corporalem possessionem inducens et claues ipsius capelle tradens priori et fratribus memoratis, ita tamen, quod dictus portenarius duo jugera vinearum, que dicte capelle attinebant, ab ecclesia nostra nomine oblacionis habere debet et eadem duo jugera, que nunc per eum obligata existunt, absoluere debet infra bigennium; alioquin extunc sua prebenda erit suspensa tamdiu, donec predictum vinetum absoluat, et de eodem vineto dare debet [1]) portenarius memoratus et sui successores vnam libram pure cere nomine oblacionis ad cameram ecclesie nostre in vigilia beati Kyliani. Dicti quoque prior et fratres racione capelle predicte nobis et capitulo et preposito maiori tanquam archidiacono loci subesse debent, sicut secularis sacerdos dictam capellam officians suberat, et subesse consueuit, et nostra monita, precepta et mandata obseruabunt et tenebunt, quem ad modum alii capellarii ciuitatis tenebunt et obseruabunt. In cuius rei testimonium et ad perpetuam rei memoriam presentes litteras nostro et predictorum capituli et prepositi, et Friderici portenarii sigillis fecimus roborari. Acta sunt hec anno domini MCCLXXX., proxima secunda feria ante festum sancti Galli.

Appendent quatuor sigilla laesa.

[1]) „dare debet" in charta bis scriptum est.

CDXLV.

Anno 1281., 24. Januarii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus advocatiam super villam Vrach, quam vir nobilis Wolframus advocatus de Dorenberg a se in feodo tenuit et conventui monasterii in Hailsprunne vendidit, eidem monosterio in proprium dat.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Pontificalis officii bonis actionibus tunc prosequimur sacramentum, dum indigenciis Christo militantium subsidia conmode porrigimus, ut et ipsi rerum temporalium per nos beneficia sortiuntur et nos apud altissimum eorum precibus adiuuemur. Nouerint igitur vniuersi tam presentes scilicet, quam futuri, quod cum vir nobilis Wolframus aduocatus de Dorenberg eris alieni necessitate conpulsus advocaciam super villam Vrach, quam a nobis in feodo tenuit, cum eius attinenciis et juribus venerabilibus in Christo viris Rudolfo abbati et conuentui monasterii sancte Marie in Hailsprunne ordinis cysterciensis, eistetensis dyocesis, de nostro fauore et assensu pro precio ducentarum quadraginta librarum hallensium vendidisset, nos tum propter exhibita et exhibenda nobis et ecclesie nostre per eundem nobilem seruicia, tum etiam ad supplicem abbatis et conuentus predictorum interuentum, vendicionem predictam ratam et gratam habentes, ipsam advocaciam in Vrach cum omnibus eius attinenciis et juribus abbati et conuentui monasterii hailsprunnensis in proprium damus, tradimus et donamus, et in ipsum monasterium cum omni eius vniuersitate et pleno rerum dominio transferimus proprietatis iure perpetuo possidendam, abdicantes a nobis et ecclesia nostra omne jus, quod in ipsa advocacia nobis conpetebat, hoc ipsum in prefatum monasterium mere et integre in hiis presentibus transfundentes; hoc tamen nobis et successoribus nostris saluo, quod si ipse advocatus vel ejus heredes prefatam advocaciam a modo infra spacium duodecim annorum pro supradicte pecunie quantitate, vt in litteris super

contractu eiusdem vendicionis alias confectis plenius exprimitur, apud memoratum conuentum reemerit, ex tunc ad nos et successores nostros ius pristinum, quod in illa habuimus, reuertetur. Si vero hec eadem reemptio infra deputatum non interuenerit terminum, ex tunc abbas et conuentus sepedicti cum eorum successura posteritate predictam advocaciam cum omnibus eius attinenciis et juribus in proprium, quouis cessante inpedimenti obstaculo, perpetuo possidebunt. Obsecramus itaque abbatem et conuentum predictos et in virtute altissimi contestamur, quatenus ob hanc nostre munificencie gratiam, nostrum supplere curent apud deum piis eorum oracionibus inperfectum. Vt autem hec donacio nostra perpetuum robur firmitatis obtineat, presentem litteram eidem hailsprunnensi monasterio dedimus, sigilli nostri patrocinio conmunitam. Actum et datum Herbipoli anno domini MCCLXXX primo, nono kalendas Februarii, pontificatus nostri anno septimo.

Appendet sigillum.

CDXLVI.

Anno 1281., 5. Februarii.

Bertoldus herbipolensis episcopus universitati Judaeorum herbipolensium, quae sibi ad praesens in mille et ducentis libris hallensium sponte servivit, consensu capituli facit gratiam, quod per decem annos sequentes sibi et successoribus suis singulis annis in festo S. Martini tantum in mille libris hallensium serviat.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus tenore presentium recognoscimus publice et ad noticiam vniuersorum volumus peruenire, quod cum vniuersitas Judeorum nostrorum herbipolensium nobis ad presens in necessitatis articulo constitutis propter grauia onera debitorum nostrorum in mille libris hallensium et ducentis libris hallensium liberaliter seruierint atque sponte, nos in reconpensam seruiciorum huiusmodi iam dictis Judeis talem faci-

mus gratiam de consensu capituli nostri expresso, quod a festo sancti Martini nunc proximo per decem annos continue sequentes nobis nostrisque successoribus singulis annis in festo sancti Martini seruiant tantum in mille libris hallensium, et eosdem Judeos in genere vel in specie ad nulla alia prorsus seruicia conpellemus. Si vero infra predictos decem annos dominus noster Romanorum rex serenissimus, siue Romanum imperium ab eisdem Judeis aliquam exaccionem pecuniariam extorquere uel alias ad alia eorum forsitan grauamina intendere niteretur, nos ipsos Judeos singulos et vniuersos ab huiusmodi defendere et manutenere promittimus, in quantum nobis res suppetunt et persona, et si ex nostre possibilitatis defectu, vltra quam nil restat, ipsis adesse defensionis presidio non possemus, extunc omnibus Judeis herbipolensibus, qui hoc ipsum a nobis requisierint, securitatem nostri conductus, tam in rebus, quam personis, prebebimus ad loca alia transeundi. Item nos seu nostri successores in ipsos Judeos nullam aliam jurisdictionem, quantum ad prefatos decem annos, exercebimus omni fravde, dolo et vara postpositis, nisi quam predecessores nostri iu eosdem Judeos pro suis excessibus exercere [1]) actenus consueuerunt; sane si medio tempore aliqua infamia orta fuerit contra sepefatos Judeos herbipolenses, nos aut nostri successores eosdem Judeos in specie vel in genere in rebus aut personis non grauabimus pro tali infamia, vara, dolo eciam et fraude procul motis, nisi in quantum de iure possumus aut debemus aut secundum consuetudinem antiquitus obseruatam. Nos itaque hec omnia premissa bona fide seruaturos et eorum singula promittimus capitulo nostro, ciuibus nostris herbipolensibus, necnon sepefatis Judeis et ad observandum ea presentibus sanctis dei ewangeliis corporale prestitimus iuramentum. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri patrocinio communimus. Actum in capitulo nostro, ciuibus nostris herbipolensibus presentibus, anno domini MCCLXXXI., in die sancte Agathe virginis, pontificatus nostri anno septimo. Nos quoque Manegoldus de Nuwenburg prepositus, Albertus de Talheim decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis predicta omnia recognoscimus et hiis in scriptis fidei dacione promittimus vniuersitati predictorum

Judeorum herbipolensium, si venerabilem patrem dominum nostrum episcopum predictum infra prenominatos decem annos, quod absit, cedere uel decedere contingat, eidem vniuersitati Judeorum omnia, que prenotata sunt, vsqe ad predictorum annorum numerum pari modo et forma inuiolabiliter obseruare, et quod successori domini nostri episcopi predicti nunquam vllam obedienciam faciamus, nisi ad obseruandum omnia et singula, que premissa sunt, primitus se astringat. Nichilominus si sepedictus dominus noster episcopus aut suus successor contrarium attemptare niteretur, nos extunc ipsos Judeos et quemlibet ipsorum defendere et manutenere bona fide promittimus pro posse nostro vna cum ciuibus herbipolensibus, qui nobis ad hoc prestabunt omnem opem et operam, quam possunt, secundum quod nobis promiserunt, ad quod etiam non ipsis teneri recognoscimus viceuersa. Nos prepositus predictus consentiente presente et iubente capitulo nostro ad manus Conradi Weibelarij nomine ciuium herbipolensium, necnon ad manus Kobelini Judei nomine vniuersitatis Judeorum, qui hec eadem promissa receperunt, prorreximus capituli nostri vice. Et in huius rei euidenciam sigillum capituli nostri presentibus est appensum. Actum anno et die prenotatis.

Duo sigilla laes appendent.

[1]) Charta: „exercedere."

CDXLVII.

Anno 1281., 7. Februarii, Herbipoli.

Commendator et fratres domus hospitalis ierosolimitani in Wollechingen promittunt capitulo herbipolensis ecclesiae de tribus mansis et dimidio sive septem feodis sitis in villa Wollechingen singulis annis census nomine solvere tres libras hallensium.

Nos .. conmendator et fratres sacre domus hospitalis jerosolimitani in Wollechingen notum facimus vniuersis et ad noticiam

tam presentium, quam futurorum volumus pervenire, quod cum Kraphfto, Gerhardus et Rupertus filii et heredes quondam nobilis viri Conradi de Bockesberg et eorum progenitores tres mansos et dimidium siue septem feoda sitos in villa Wollechingen, quorum proprietas ad honorabiles viros .. prepositum .. decanum et capitulum herbipolensis ecclesie pertinere dinoscitur, pro annuo censu longo tempore tenuissent, et filii et heredes predicti Conradi ius sibi conpetens in bonis predictis vna cum aliis bonis sitis in Wollechingen in nos et domum nostram Wollechingen ex causa venditionis, de voluntate dicti capituli, transtulissent, prout in instrumento exinde confecto plenius continetur, nolentes predicto capitulo, quantum ad tres mansos et dimidium siue septem feoda predictos, preiudicium generari, recognoscimus eosdem mansos siue feoda, de quibus cum suis pertinentiis predicitur, ratione proprietatis et dominii ad prefatum capitulum pertinere, et de eisdem mansis siue feodis promittimus singulis annis in festo beati Martini memorato capitulo census nomine soluere tres libras hallensium et dimidiam et ad hanc solutionem predicto termino faciendam domum nostram de consensu et voluntate commendatoris Franconie presentibus obligamus. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorem presentes litteras sigilli nostri munimine roboramus. Nos frater Hermannus commendator Franconie obligacionem et recognitionem predictas de consensu et voluntate nostra factas esse recognoscimus, in euidens testimonium et roboris perpetuam firmitatem appensionis sigilli nostri presentibus roboratis. Datum et actum Herbipoli anno domini MCCLXXX primo, septimo idus Februaris.

Duo sigilla appendent.

CDXLVIII.

Anno 1281., 15. Aprilis, in claustro ecclesiae herbipolensis.

Cunradus Zobolo de Rosserieth, miles, et uxor sua Margareta magistro Gregorio archidiacono vendunt medietatem unius curiae sive allodii in Isingen.

In nomine domini amen. Anno domini M°. CC°. LXXX°. primo, XVII°. kalendas Maii, in claustro ecclesie herbipolensis, in presentia nostri Rvdolfi, officialis et scolastici herbipolensis, et testium subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, Cunradus Zobolo de Rosserith miles et Margareta, vxor sua, constituti, propria bona et spontanea voluntate, ambo, simul manu coadunata vendiderunt dederunt, et tradiderunt magistro Gregorio, domini pape capellano et archidiacono herbipolensi et suis heredibus, successoribus vel cui vel quibus vendere, dare seu donare in perpetuum uoluerit, pro mera, vera et pura proprietate et absolutam ab omni honere aduocationis vel census uel cuiuscumque seruicii uel honeris, medietatem vnius curie siue allodii siti uel site in villa Isingen cum suis fructibus, redditibus, agris, pratis, pascuis, nemoribus et aliis omnibus vsibus, utilitatibus et pertinentiis et cum omni iure, quod eis conpetebat in curia siue allodio memorato, quam uel quod pro indiuiso habuerunt et tenuerunt cum .. priorissa et conuentv sanctimonialium de sancto Marco, ciuitatis herbipolensis. Que medietas annis singulis soluere debet XX[ti] maldra siliginis, vnum maldrum et dimidium tritici, et dimidium maldrum pise, et dimidium sumerinum olei ad mensuram haugensem, et IIII[or] maldra auene ad mensuram herbipolensem, et IIII[or] pullos in carnispriuio et dimidium agnum in pascha domini. Que omnia videlicet siligo, triticum, auena, pisa, et oleum per colonum dicte curie siue allodii presentari debent annis singulis predicto archidiacono et suis successoribus aput ciuitatem herbipolensem, uel in alio loco tantumdem distante a dicta villa Isingen, quem prefatus archidiaconus uel sui

successores ad hoc elegerint. Prefati vero Cůnradus et Margareta manu et calamo ad manus nostras et predicti archidiaconi resignauerunt omni iuri, quod eis conpetebat in medietate curie supradicte, nichil iuris sibi penitus reseruantes, et memoratum archidiaconum in plenam et corporalem possessionem induci fecerunt per Cůnradum dictum Steinkoiph, quem ad hoc suum constituerunt procuratorem. Hanc autem venditionem, concessionem et traditionem fecerunt pro pretio XXVII librarum denariorum herbipolensium, quod precium in numerata pecunia, receperunt, de qua se bene pacatos et quietatos recognouerunt, renunciantes expresso exceptioni non numerate et non solute pecunie, actioni de dolo et in factum, et priuilegio dotis siue donationis propter nuptias, constitutioni uel consuetudini generali uel locali, et omni auxilio iuris canonici vel ciuilis aut consuetudinis, perquam huiusmodi posset uenditio impediri, vel predictus archidiaconus aut successores sui calumpniam siue molestiam aliquam possent pati. Et ut predicta firma et illibata perpetuo permaneant, et ad ueram certitudinem faciendam dederunt fideiussores predicto archidiacono pro euictione, que vulgo gvaranga dicitur, Cůnradum Rufum Zobolonem et Marquardum de Brechbrunnen milites. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam futurorum presentes litteras ad instantiam dictorum Cůnradi et Margarete et etiam memorati archidiaconi, sigillo officii nostri vnacum sigillis prelibati militis et domini Friderici de Hohenburg, portenarii nostri ecclesie, fecimus roborari. Actum et datum anno die et loco vt supra. Testes sunt hii: prefatus .. dominus portenarius, Hermannus vicarius ecclesie herbipolensis, Wintherus magister operis eiusdem ecclesie, Cunradus de Witkartsheim, Vlricus de Hetingesvelt, Cunradus de Hassia, Cunradus Sveuus clerici, Heinricus de Altheim, laicus et alii quam plures.

Tria sigilla appendent, partim laesa.

CDXLIX.

Anno 1281., 25. Maii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus uniuersa bona, quae monasterium Ebera possidet, consensu capituli a iure suo, quod lantleite vulgariter nuncupatur, eximit.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Ad memoriam omnium tam presencium, quam postfuturorum, presentes litteras lecturorum cupimus peruenire, quod ad usus nostros vtiles centum et quinquaginta maldris siliginis a dilecto in Christo Winrico abbate monasterii in Ebera, ordinis cysterciensis, nostre dyocesis, receptis [1]) in reconpensam huius precii ipsi monasterio impertiri munus nostre gratie volentes, eximimus et exempta dicimus interueniente nostri capituli consensu expresso vniuersa bona, que idem abbas et conuentus dicti monasterii iam possidere dinoscuntur a iure nostro, quod lantleite vulgariter nuncupatur, ac promittimus, nos et nostros officiatos seu subditos nostros quoscunque nullas prorsus ab hominibus aduenis vtriusque sexus, vndecumque aduenerint, inhabitantibus vel colentibus, nunc et in futurum, bona prefati monasterii, precarias, exactiones, sturas, angarias aut alia quecumque seruicia in antea petituros vel eciam accepturos. Sed omne jus, quod de consuetudine a nostris predecessoribus vsque ad nos deducta nobis in eisdem hominibus conpetebat, a nobis quam diu iidem homines coluerint vel inhabitauerint prefata bona, penitus abdicantes, idem ius in abbatem et conuentum supradicti monasterii transferimus in hiis scriptis, successores nostros ad obseruanciam omnium premissorum de uoluntate Manegoldi de Nůwenburg prepositi et Alberti de Talheim decani tociusque capituli nostri predicti obligantes nostrarumque ecclesiarum proprios homines iuri, de quo predicitur, minime includentes, quos uolumus habere non obstante, si ipsi in cultura vel inhabitacione bonorum sepedicti monasterii fuerint, ipsis ecclesiis iuxta earum consuetudines deseruire, alioquin abbas predictus eosdem

a bonis ipsius monasterii, si voluerit, remouebit. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem hoc presens scriptum nostro et capituli nostri prefati sigillis abbati et conuentui predictis dedimus conmunitum. Datum Herbipoli, anno domini millesimo ducentesimo octogesimo primo, VIII. kalendas Junii, pontificatus nostri anno septimo.

Sigilla perierunt.

[1]) Charta: „receptam“.

CDL.

Anno 1281., 27. Maii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus quatuor mansos sitos in superiori Breitebach a se in feodo procedentes, quas Bertholdus dictus Kilholz miles monasterio in Eberach donavit, liberos declarat, recipiens in restaurum bona in Ipphehoven, a praefato Bertholdo in feodo possidenda.

Bertholdus dei gratia herbipolensis episcopus recognoscimus vniuersis, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, quod Bertholdus dictus Kilholz miles in nostra presentia constitutus nobis proposuit, se quatuor mansos sitos in superiori Breitebach, a nobis in feodo procedentes, et VIII vncias denariorum herbipolensium annis singulis soluentes, cum domibus, agris, ortis, pratis, pascuis et aliis pertinentiis, quesitis et non quesitis, donasse monasterio in Eberach, ordinis cysterciensis, nostre dyocesis, in remedium anime sue et legasse, in quorum mansorum restaurum idem miles bona quedam in Ipphehouen, dicta bona illius de Staufe, per ipsum Bertholdum apud Marquardum dictum Starz militem conparata, et octo vncias denariorum herbipolensium soluentia annuatim, nostris manibus resignauit, ac eadem

bona sibi et suis heredibus a nobis in feodo recepit, petens et attentius inuocans nostrum consensum donationi seu legationi huiusmodi adhiberi, dictosque mansos a nobis dari in proprium monasterio supradicto, Nos itaque precibus prefati Bertholdi fauorabilius annuentes, necnon in domino confidentes, non minus promouentibus, quam facientibus opera pietatis, eternorum premiis responderi, predictos qvatuor mansos liberamus et liberos dicimus a iure collationis feodi, quod nobis in eisdem conpetere uidebatur, ipsosque mansos cum pertinentiis suis quibuscumque prefato monasterio damus in proprium, iure meriproprii perpetuo possidendos. Testes autem, qui premissis interfuerunt sunt hii, videlicet: Albertus noster prothonotarius, Heinricus Woluoldus noster camerarius, Woluelinus de Grunbach milites, et plures alii fide digni. In horum omnium pretactorum testimonium .. abbati et conuentui memorati monasterii presens scriptum dari fecimus, nostri sigilli munimine conmunitum. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXX primo, VI°· kalendas Jvnii, pontificatus nostri anno septimo.

Sigillum laesum appendet.

CDLI.

Anno 1281., 30. Julii.

Conradus Hoene, dictus Cellerarius, et Jutta, uxor ipsius, magistro Gregorio, domini papae capellano et archidiacono herbipolensi vendunt curiam suam in superiori villa Bleichvelt.

I. n. d. a. Anno domini millesimo CC°· LXXX°· primo, III. kalendas Augusti, nos Conradus Hoene, dictus Cellerarius, et Jutta, vxor ipsius, notum facimus vniuersis presentes literas inspecturis, quod constituti in presencia domini Rudolfi, officialis et scolastici herbipolensis, et testium subscriptorum ad hoc specialiter

uocatorum et rogatorum propria nostra bona et spontanea uoluntate, ambo simul manu coadunata, curiam nostram sitam in superiori uillla Bleichuelt cum suis fructibus, redditibus, agris, pratis, pascuis, nemoribus et omnibus aliis usibus, utilitatibus et pertinenciis et cum omni iure, quod nobis competebat in curia memorata, nichil iuris nobis in eadem penitus reseruantes, magistro Gregorio, domini pape capellano, et archidiacono herbipolensi et suis heredibus et successoribus uel cui, uel quibus uendere, dare seu donare imperpetuum uoluerit, pro mera uera et pura proprietate et absolutam ab omni honere aduocacionis uel census, uel cuiuscumque seruicii uel honeris uendidimus, dedimus et tradidimus et per presentes literas vendimus, damus et tradimus eidem magistro Gregorio. Que curia annis singulis soluere debet sedecim maldra siliginis et quatuor auene ad mensuram herbipolensem. Que omnia, uidelicet siligo et auena per colonum dicte curie presentari debent annis singulis predicto archidiacono et suis successoribus apud ciuitatem herbipolensem uel in alio loco tantumdem distante a dicta uilla Bleichuelt, quem prefatus archidiaconus uel sui successores ad hoc elegerint. Nichilominus manu et calamo ad manus dictorum officialis et archidiaconi resignauimus et resignamus omni iuri, quod nobis competebat in curia supradicta, nichil iuris nobis penitus reseruantes et memoratum archidiaconum in plenam et corporalem possessionem inducimus per presentes, et induci fecimus per Conradum dictum Steinkoiph, quem ad hoc nostrum constituimus procuratorem. Hanc autem uendicionem, concessionem et tradicionem fecimus et facimus pro precio viginti librarum et viginti vnciarum denariorum herbipolensium, quod precium in numerata pecunia recepimus, de qua nos bene pacatos et quietatos recognoscimus et uocamus, renunciantes expresse excepcioni non numerate et non solute pecunie, actioni de dolo et priuilegio dotis siue donacionis propter nuptias, constitucioni, uel consuetudini generali uel locali, et omni auxilio iuris canonici uel ciuilis, aut consuetudinis, perquam huiusmodi posset uendicio impediri uel predictus archidiaconus aut sui successores calumpniam siue molestiam aliquam possent pati. Et ut predicta firma et illibata perpetuo permaneant, et ad ueram certitudinem facien-

dam, dedimus et damus fideiussores predicto archidiacono pro euictione, que vulgo g u a r a n g a dicitur, Gernodum, patrem Jutte predicte, Trutwinum famulum domini Alberti de Lobdeburg. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam futurorum archidiacono prefato presentes literas sigillo predicti officialis, cum proprium non habemus, dedimus roboratas. Actum et datum anno, die ut supra. Testes sunt hii: Gernodus pater Jutte predicte, Conradus Keiller colonus dictorum bonorum, Heinricus frater Conradi predicti, dominus Hermannus vicarius ecclesie herbipolensis, Wilandus scriptor et alii quam plures.

Sigillum laesum est.

CDLII.

Anno 1281., 2. Augusti.

Fridericus de Richenberg et Gertrudis uxor ipsius curiam in Butelbrunnen magistro Gregorio, domini papae capellano et archidiacono herbipolensi vendunt.

I. n. d. a. Anno domini M^o^. CC^o^. LXXX°. primo, IIII. nonas Augusti, nos F r i d e r i c u s de R i c h e n b e r g et G e r d r u d i s vxor ipsius constituti in presencia domini R u d o l f i officialis et scolastici herbipolensis, et testium subscriptorum ad hoc specialiter uocatorum et rogatorum propria nostra bona et spontanea uoluntate, ambo simul manu coadunata curiam nostram sitam in B u t e l b r u n n e n cum suis fructibus, redditibus, agris, pratis, pascuis, nemoribus et omnibus usibus, utilitatibus et pertinenciis et cum omni iure, quod nobis conpetebat in curia memorata, nichil iuris nobis in eadem penitus reseruantes magistro G r e g o r i o, domini pape Capellano, et archidiacono herbipolensi et suis heredibus et successoribus uel cui uel quibus uendere, dare seu donare imperpetuum uoluerit, pro mera

uera et pura proprietate et absolutam ab omni honere aduocacionis uel census uel cuiuscumque seruicii uel honeris, vendidimus, dedimus et tradidimus, et per presentes litteras vendimus, damus et tradidimus eidem magistro Gregorio. Que curia annis singulis soluere debet nouem maldra siliginis, duo tritici, vnum pise et duo maldra auene ad mensuram herbipolensem, quatuor pullos in carnis priuio et duos anseres et quatuor coxas porcinas in natiuitate domini. Que omnia uidelicet siligo, triticum, pisa, auena et alia supradicta per colonum dicte curie presentari debent annis singulis predicto archidiacono et suis successoribus apud ciuitatem herbipolensem uel in alio loco, tantumdem distante a dicta uilla Butelbrunnen, quem prefatus archidiaconus uel sui successores ad hoc elegerint. Nichilominus manu et calamo ad manus dictorum .. officialis et .. archidiaconi resignauimus et resignamus omni iuri, quod nobis conpetebat in curia supradicta, nichil iuris nobis penitus reseruantes. Et memoratum archidiaconum in plenam et corporalem possessionem inducimus et induci fecimus per Conradum dictum Steinkoipf, quem ad hoc nostrum constituimus procuratorem. Hanc autem uendicionem, concessionem et tradicionem facimus pro precio sedecim librarum denariorum herbipolensium, quod precium in numerata pecunia recepimus, de qua nos bene pacatos et quietatos recognoscimus et uocamus, renunciantes expresse exceptioni non numerate et non solute pecunie, actioni de dolo et in factum et priuilegio dotis siue donacionis propter nuptias, constitucioni uel consuetudini generali uel locali et omni auxilio iuris canonici uel ciuilis aut consuetudinis, per quam huiusmodi posset uendicio impediri, uel predictus archidiaconus aut sui successores calumpniam siue molestiam aliquam possent pati, et hoc uolumus esse notum omnibus in posterum presentes litteras inspecturis. Et ut predicta firma et illibata perpetuo permaneant, et ad ueram certitudinem faciendam dedimus fideiussores predicto archidiacono pro euictione, que vulgo gvaranga dicitur, Heinricum de Bůchbrunnen et Thidericum dictum de Biscoffesheim, milites, et Fridericum Zobolonem de Gutenberg. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam futurorum archidiacono prefato presentes literas sigillo officialis predicti dedimus roboratas.

Actum et datum anno die ut supra. Testes sunt hii: Conradus de Versbach, Heinricus pincerna, Heinricus colonus curie predicte, dominus Johannes capellanus sancte Marie Magdalene, dominus Hermannus vicarius ecclesie herbipolensis, Wilandus scriptor, Conradus et Guntherus clerici et alii quam plures.

Sigillum appendet.

CDLIIII.

Anno 1281., 12. Augusti, datum et actum apud Nůrenberch.

Berhtoldus episcopus herbipolensis spectabili viro Friderico burcgravio de Nůrenberch suisque heredibus villam in Bernheim, silvam ibidem, cum omnibus suis attinentiis et iuribus universis, tam in locandis officiis, quam in aliis vsibus colligendis, et villam in Herbolheim sub eadem forma et iure, racione trecentarum marcarum argenti puri, septingentarum librarum et triginta librarum hallensium, sibi pro empcione castri Frankenberch ab ecclesia herbipolensi persolvendarum, titulo feodali confert.

„Datum et actum apud Nůrenberch, anno domini ducentesimo LXXX primo, II. idus Augusti.“

Editum in Stillfried et Mærcker Monum: Zoller: Vol. II. pag. 125 Nr. CCXLI.

CDLIV.

Anno 1281., 2. Octobris.

Heinricus comes de Kastele protestatur, quod Otto de Vustat, miles, in restaurum medietatis decimae in Eigenhvsen, ab ecclesia herbipolensi in feodum procedentis, allodium suum in Vustat resignavit pro feodo recipiendum.

Nos Heinricus comes de Kastele recognoscimus et litteris protestamur presentibus, quod Otto de Vustat miles medietatem decime in Eigenhvsen, quam a nobis possedit titulo feodali, et nos de venerabili domino herbipolensi eposcopo titulo feodali recepimus, cum nostro et iam dicti domini ac patris nostri episcopi vendidit conuentui et sanctimonialibus feminis in Frowenrod pleno consensu concedentes, accedente gracia et fauore domini episcopi ac beniuolo consensu capituli, vt dictus conuentus ipsam partem decime titulo et iure proprietatis possideat in eternum, sub tali tamen forma, quod predictus Otto miles allodium suum situm in Vustat, quod tenore proprietatis possedit, domino episcopo et nobis resignauit et a nobis pro feodo recepit et nos similiter de manibus venerabilis domini Bertoldi episcopi recepimus titulo feodali. Vt autem hec rata et inconuulsa permaneant et nullam erroris calumpniam a posteris paciantur, presens scriptum sigillo ipsius domini episcopi, nostri quoque sigilli munimine iussimus roborari. Datum anno domini MCCLXXX primo, VI°. nonas Octobris.

Appendent duo sigilla.

CDLV.

Anno 1281., 3. Novembris.

Albertus decanus et capitulum ecclesiae herbipolensis statuunt, quod officium magistri pistorum, per mortem quondam Hermanni dicti de Bergerhoue, laici, vacans, deinceps non amplius conferatur.

Nos Albertus decanus et capitulum ecclesie herbipolensis tenore presentium recognoscimus, et ad singulorum tam presentium, quam futurorum noticiam uolumus peruenire, quod, cum uacante officio magistri pistorum per mortem quondam Hermanni dicti de Bergerhove laici honorabilis vir Manegoldus prepositus ecclesie nostre, ad quem collatio eiusdem officii ratione prepositure sue herbipolensis pertinere dinoscitur, ad preces nostras pure et simpliciter renuntiaret iure, quod habet in dicto officio conferendo, placuit omnibus nobis et singulis, fructus, prouentus et utilitates predicti officii ad vsus ecclesie nostre conuertere meliores, presertim cum per huiusmodi officium, si alicui conferretur, nullo nobis in posterum uel modica utilitas proueniret, prouida deliberatione super hoc habita de consensu et uoluntate M. prepositi nostri predicti, accedente nichilominus consensu et uoluntate venerabilis patris domini nostri Bertoldi episcopi herbipolensis, officium magistri pistorum antedictum perpetuo tollimus, et ne de cetero sit officium aut cuiquam conferatur, statuimus et firmamus, abdicantes de consensu episcopi et prepositi predictorum a nobis et prepositis herbipolensibus, qui pro tempore fuerint, potestatem deinceps huiusmodi officium conferendi. Et ut in nostra ecclesia cultus diuinus liberius ualeat exerceri, de uoluntate . . episcopi et prepositi prefatorum fructus, prouentus et utilitates quascumque eidem officio attinentes ad prebendarum nostrarum subsidium deputamus, statuentes, ut hec ordinatio sub iuramento inuiolabiliter seruetur, prout alia nostra statuta seruantur. In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis presentes litteras nostri, episcopi, et prepositi supradictorum sigillis uoluimus munimine com-

muniri. Actum anno domini MCCLXXXI., secunda feria post festum omnium sanctorum.

Appendent tria sigilla.

CDLVI.

Anno 1281, 3. Novembris.

Manegoldus praepositus, Albertus decanus totumque capitulum maioris ecclesiae herbipolensis domino Heinrico sacerdoti, scriptori, et Cunrado scolari, filio avunculi sui Cunradi, dicti Halpritter, vendunt redditus molendini apud S. Afram, molendinum apud curiam domini Murrelini et redditus domorum in curia fratrum, quinque jugera vinearum in monte Lindech et tria in Rimpurgerstege.

M. prepositus, Al. decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod redditus molendini, quod inhabitat molendinaria, que pulcra nuncupatur, apud sanctam Afram, et molendinum apud curiam domini Murrelini, canonici sancti Johannis in Hauge, et census siue redditus domorum nostrarum, quas nunc inhabitat Asprianus in curia nostra, que fratrum dicitur, et quinque iugera vinearum, sita in monte Lindech, et tria iugera vinearum, sita in Rimpurgerstege, que nobis per mortem Hermanni dicti de Bergerhoue uacauerunt, siue uacare ceperunt, vendidimus domino Heinrico sacerdoti, scriptori nostro, et Cvnrado scolari, filio auunculi sui Cunradi dicti Halpritter, ad uitam prefati Cunradi scolaris pro centum et quinque libris hallensium, quas nos confitemur recepisse in pecunia numerata, et in vsus ecclesie nostre conuertisse, renunciantes exceptioni non numerate pecunie et non solute, actioni et omni auxilio iuris canonici et ciuilis, per quod iuuari nos possemus et dicti Heinricus et Cunradus clerici grauari siue ledi

possent, et contractus siue uenditio quocumque modo ualeat impediri; et si dicte possessiones et vineee plus ualeant: quod pluris est, sepedictis clericis donamus per presentes propter eorum seruicia nobis placita et dilecta, predictas uero possessiones dictis clericis conferimus per presentes et in eosdem transferimus, sicut superius est expressum, reseruatis nobis XVIII°· maldris tritici, que dari nobis ad rufos cuneos in festo penthecostes de prefatis bonis annis singulis consueuerunt. Testes huius facti sunt: M. prepositus, Al. decanus, L. de Gligen, S. de Slithese cantor, Fridericus de Hohenburg portenarius, H. de Helderungen, Ar. de Spezesheim custos, Wer. de Tannenberg cellerarius, H. de Wechmar, Her. de Bastheim, L. de Hohenberg, magister Gregorius, W. de Linach, Al. de Lewenstein, R. scolasticus, Ber. de Nithberg, canonici ecclesie herbipolensis et alii quam plures. In cuius rei testimonium et memoriam euidentem presentes litteras sigillo nostro duximus roborandas. Datum anno domini MCCLXXXI°·, secunda feria post festum omnium sanctorum.

Appendet sigillum laesum.

CDLVII.

Anno 1281., sine die.

Krapfto de Hohenloch capitulo herbipolensi promittit assignare certos redditus aut possessiones perpetuas ad anniversaria Krapftonis, Cunradi et Gerhardi de Bockesberg peragenda.

Honorabilibus viris .. preposito .. decano et capitulo ecclesie herbipolensis Krapfto de Hohenloch salutem cum obsequio semper prompto. Cum frater Krapfto et felicis recordationis Cvnradus fratres de Bockesberg, auunculi nostri, beato Kyliano duo lumina perpetua ante ipsius altare continue ardentia et quatuor maltra tritici singulis annis vobis pro remedio animarum suarum et

fratris sui Gerhardi, concanonici vestri, in ipsorum anniuersariis distribuenda, deliberatione prouida legassent nec tamen bona vel redditus uobis assignassent, de quibus predicta valeant expediri, volentes, quod per dictos auunculos nostros pio mentis est proposito inchoatum, ad effectum perducere salutarem, promittimus vobis per sollempnem stipulationem citra festum beati Jacobi proxime venturum dare et assignare certos redditus aut possessiones perpetuas, de quibus lumina duo et IIII^or maltra tritici predicta conmode valeant expediri, et ad ea facienda nos presentibus obligamus, et nichilominus pro huiusmodi luminibus et maltris tritici predicto modo expediendis uobis Hermannum dictum Seman, Reinhardum de Hartheim, milites, fideiussores damus, qui moniti se in ciuitate herbipolensi more fideiussorum recipient, non exituri, donec ea, que promisimus, fuerint expedita. Et si forte vnum vel ambos decedere contigerit, promittimus intrare ciuitatem herbipolensem moniti per vos non recessuri, donec alium uel alios in loco eorundem procurauerimus subrogari. In cuius rei testimonium presentes litteras damus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini MCCLXXXI., ... [1]) Et nos predicti milites ad supradicta nomine fideiussario nos obligamus. Et quia sigilla propria non habemus, sigillo premissi domini Krapftonis sumus contenti.

Sigillum fractum appendet.

[1]) Hic in charta spatium relictum est ad supplendum diem.

CDLVIII.

Anno 1282., 17. Januarii, apud Oppenheim.

Ludewicus et Gerhardus fratres, comites de Rienekke, cum Bertholdo herbipolensi episcopo se componunt.

Wir Ludewig unde Gerhart gebrudere, die grouen von Rienekke, tûn allen den kunt, die disen brief ansehen, daz wir

mit unserme herren bischof Bertholde von Wirzeburc vber alles, das zwischen uns geschehen ist, sit der sûne, die unter uns ze Nûrenberg uon des kûneges wegen gemachet wart, uberein in einer ganzer sône nû ze Oppenheim kûmen sin, als uns beidenthalben hiezen brûder Gerhart uon Hirzberg, Eberhart und Vlrich brûdere uon Slûzelberg, vnde Gotfrit uon Brûnekke, die beidenthalben darzû uon des kûneges wegen benant worden, also daz wir greue Lûdewig uon Rienekke Eengelboldes kinden vôr den totslac, der an Engelbolde geschah, geben sûlen funfzech phunt hellere. halp nû ze sante Walpurge messe und halb darnach ze sante Mertines messe, vnd daz Heinrich Zengenagel, der den totslac tet, selbe zuuelfte, die mit im daran waren, vnd gebreche der, so sol er mit andern, daz ir werden zuuelefe, unserme herren, dem bischoffe, und Engelboldes kinden ze bezzerunge die harnschar an dem dinstage nach dem ostertage, der man kumt, uon Hocheim ze Wirzeburc uur daz münster tragen, ieder man nach synem rehte: vnd sol Heinrich Zengenagel nû uon vasten uber ein iar ze Rome uarn, und sol da sin die sehs wochen uur sine und Engelboldes sünde; vnd sûle wir, die greuen bede, swen uns vnser herre uon Wirzeburg in disen zuuein iarn hache tage uorsaget, diene mit zuenzig uerdakketen rossen, vierzehen tage mit unsere eigenen koste an alle die stat, da wirz mit eren getûn mugen. Swaz aber wir anders schaden in der reise nemen, den sol vns unser herre, der bischof, abetûn vnd sol auch daz schaffe, hie zuischen und daz man zehen tage geuastet hat, daz Engelboldes kint und alle ir vrûnde Heinriches Zengenagels vnd aller, die mit ime an deme totslage waren, vrûnde lûterliche werden; dar nach, so sol vnser herre der bischof Gotfriden den voget uon Rienekke des kauphes, des in Herolt uon Hocheim anegesprochen hete, ledig sagen, also daz her Gotebolt uon Tûnegersheim und her Tierolf uon Grûnsuelt daruber heizen tûn ze minne oder ze rehte, daz suln sie bede stete halten. Mohten aber sich die zuene niht gesame, swaz Gotfrit uon Brûnekke darûber sprichet, das sol man tûn bedenthalben, also daz dû minne mit ir wizende gesprochen werde.

Vnser herre der bischof sol auch Walthere, des vogetes sune, sin lantreht widergeben; vnd swaz er hern Lůdewige uon Hohenberg sůnderlinge schaden hat getan und er ime hinwidere, daz den schaden sol eruarn her Gerlach uon Wisentuelt unde her Gerlach von Karolsbach köntliche, und nach der kůntschaft bedenthalben heizen gelte. Vmbe de Phele und umbe die uon Meielan ist gesprochen, daz her Heinrich Woluolt und her Tierolf uon Grunsuelt und her Rapote uon Hohenloch iruarn suln kuntlichen. Haben die Phele Meielan und sinem bruder iht schaden getan oder geirret an ir gute, daz suln sie in abelegen, nach der drier rehte. Eruinden aber sie, daz die Phele in keinen schaden han getan, so sol Meielan und sin brůder den Phelen ir schaden abe tůn, nach der drier rehte. Wir uerichen auch umbe den kriek, den wir han, vmbe die liůte ze Bůchele und umbe die liůte in dem ambete ze Rotenuels, und umbe dů gerihte ze Karbach, ze Birkenuelt, ze Wisentuelt, umbe das geiegede in der Meunbiegen, vmbe hern Tierolfen, hern Horanden, Sintramen uon Bremen, daz daz sol sten an deme tůmbrobeste uon Wirzeburg, an grauen Růdolfe uon Wertheim vnd hern Woluoline uon Grunbach, daz die daz suln ůz rihte zuischen uns und unserme herren uon Wirzeburg, hie zuischen und mitteruasten. Sua wir unserme herren, dem bischoffe, an liůten oder an gůte unrehte tůn, daz sůl wir wider tun, als uns die dri heizen uf ir eit, vnd swa uns ůnser herre, der bischof, unrehte tůt, daz sol er uns auch wider tun, alse sie dri heizen uf ir eit. Also suln auch die selben ůz richten vmbe hern Tierolfen, Horanden und Sintramen und allez daz, ob iht uon uns oder uon ůnserme herren, dem bischoffe, hie uergezzen ist. Vnd sua dise dri an disen dingen uberein niht mohten komen, suaz die zuene uf ir eit sprechen, daz sal man stete halten. Vnd geshehe kein bruch zuischen uns und unserme herren, dem bischoffe, da sol nieman iht zů tůn, man bringez wider an die dri. Die suln ez uzrihten, als uor gesprochen ist uf ir eit. Sturbe aber der drier einer, oder ob er in dem lande niht mohte gesin, so sol Gotfrit uon Brůnekke ein andern an des stat geben, suelhen er wil.

Vnd aleine dise bruche zuischen uns nû ûz gerihtet sin, so bekenne wir doch der sûne, die der kunig zuischen uns ze Nûrenberg mahte, daz wir die uestecilghe halten suln. Dirre dinge sint gezûge: Brûder Gerhart uon Hirzberg, greue Eberhart uon Kazzenelenbogen, Eberhart und vlrich brûder uon Slûzelberg, Gotfrit uon Brvnekke, Wolueral uon Eberstein, greue Rûdolf uon Wertheim, Sybote uon Walhûsen, Dietrich Phal, Eberhart uon Vssenkein, Horant der voget uon Rienekke und mer andere dar zû gebeten und gelatte gezûge. Vnd daz wir allez, daz obene gescriben ist, stete halten, daz han wir mit trûwen gelobt und hiezen disen brief scriben und mit unsern insigeln uestechlichen uersigele. Disû dinc sint geschehen ze Oppenheim, von gotes gebûrte tusent iar zueihundert iar in deme zuei und ahzegesteme iare, an deme sameztage, an sancte Priscen abende.

Ex duobus sigillis, quondam appensis, fragmentum primi superest.

CDLIX.

Anno 1282., 11. Martii.

Manegoldus de Niuwenburg, praepositus et archidiaconus herbipolensis, consensu Bertoldi episcopi et capituli decimam, sibi et ecclesiae in Gockesheim ex agris ad curiam in Wiger pertinentibus debitam, conventui in Eberache tradit, recipiens in restaurum curiam et mansum apud Gockesheim.

Nos Manegoldus de Niuwenburg prepositus et archidyaconus herbipolensis recognoscimus presentibus publice protestando, quod decimam annis singulis sex maldra siliginis soluentem, que nobis et ecclesie nostre in Gockesheim a dilectis in Christo .. abbate et conuentu fatrum monasterii sancte Marie in Eberache, ordinis cisterciensis, de quibusdam agris, curie ipsorum in Wiger

attinentibus, dari consueuit, in prenotatum monasterium transtulimus et transferimus per presentes pleno iure et libere perpetuo possidendam, pro qua dominus Winricus abbas et conuentus predicti monasterii in restaurum pariter et recompensam dicte decime ad vitandum fatigationis, quas a decimatoribus continue paciebantur, curiam Eberhardi dicti Eisleibe et mansum vnum, situm apud Gockesheim, soluentia annuatim decem maldra siliginis, nobis et ecclesie nostre prefate in Gockesheim cum pleno iure et libere assignarunt perpetuo possidenda. In cuius rei testimonium et memoriam euidentem ipsi monasterio presentem litteram dedimus venerabilis patris domini Ber. episcopi et capituli herbipolensis, de quorum consensu facta est commutatio memorata, ac nostri sigillis munimine roboratam. Datum anno domini MCCLXXXII., quinto idus Marcii.

Appendent tria sigilla.

CDLX.

Anno 1282., 13. Martii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus omnia bona episcopatus in Herlheim, excepta centa, et silvam Hůrnawe monasterio eberacensi vendit.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Tenore scripti presentis recognoscentes publice ad noticiam transire cupimus vniuersorum, quod, cum propter imminentes nobis et ecclesie nostre iam diu hinc inde ex inopinatis casibus necessitates usque adeo grauia debitorum onera contraxerimus, quod ex ipsis, si celeri eisdem remedio non succurratur, dampna irrecuperabilia incurrere non modicum timeamus, volentes indempnitati huiusmodi, quantum possumus, precauere considerantesque, quod dampna predicta et debita de bonis nostris mobilibus aut se mouentibus solui non possint, deliberatione diligenti cum M. preposito, Al. decano et capitulo nostro prehabita, visum fuit omnibus nobis et singulis expedire, vt per alienationem rerum inmobilium indempnitati nostre, de qua predicitur, consulatur; propter quod, attendentes urgentem eris alieni necessitatem ac debitum vrgens, inspecta etiam euidenti

tam nostra, quam ecclesie nostre utilitate, omnia bona nostra in Herlheim, que ibidem in mansis, iudiciis preter centam, decimis, theloneo, pascuis, pratis, agris, cultis et incultis, siluis, aquis aquarumque decursibus, quesitis et non quesitis, in proprium habuimus, et siluam Hůrnawe cum eorum attinentiis et vniuersitate dilectis in Christo Winrico abbati et conuentui monasterii eberacensis, ordinis eystetensis, nostre dyocesis, vendidimus, tradidimus et in hiis scriptis, accedente ad hoc predicti capituli nostri consensu expresso, tradimus et donamus predicta bona cum eorum vniuersitate, attinentiis et pleno rerum dominio in ipsum eberacense monasterium in hiis scriptis transferentes iure meri proprii perpetuo possidenda, pro precio octingentarum librarum hallensium, quod quidem precium confitemur nos habuisse, recepisse et in nostros et ecclesie nostre vsus necessarios et vtiles conuertisse, renuntiantes exceptioni non numerate, non habite et non solute pecunie, et omni auxilio iuris canonici uel ciuilis, a nobis quoque et ecclesia nostra omne ius, quod in memoratis bonis nobis conpetebat aut conpetere uidebatur, in hiis presentibus abdiacentes W. abbatem et conuentum predictos in vacuam omnium bonorum predictorum possessionem inducimus corporalem in hiis litteris nos nostrosque successores firmiter astringentes de prestanda per nos eisdem W. abbati et conuentui super ipsis bonis warandia secundum nostre terre consuetudinem de bonis propriis facienda. Hoc vnum W. abbati et conuentui memoratis ex speciali gracia adicientes, quod si qua alia bona in ipsa villa Herlheim a nobis et ecclesia nostra in feodo procedentia sibi in posterum conparauerint, ea in proprium ex iam concessa eis per nos de ipsius capituli voluntate gratia possideant, quouis inpedimenti obstaculo quiescente. Testes qui hiis interrant sunt: Manegoldus de Nůwenbůrg prepositus, Albertus de Talheim decanus, Lampertus de Gliechen, Symon de Slitese cantor, Fridericus de Hohenbůrg portenarius, Hartmannus de Helderungen, Arnoldus de Spiesheim custos, Wernherus de Tannenberg cellerarius, Heinricus de Wechmar, Hermannus de Bastheim, Lvdewicus de Hohenberg senior, magister Gregorius, Wolframus de Linach, Albertus de Lewenstein, Rvdolfus de Hvrnheim scolasticus, Bertholdus de Nitberg, predicte eeclesie nostre canonici, Wolfelinus de Grunbach, Eberhardus Vulpes, Wolfolt camerarius, Bertholdus Kilhoz, milites, Hermannus et Bertholdus fratres dicti Stange et plures alii clerici et laici ad hoc vocati testes et rogati. In quorum omnium et singulorum testimonium presentes litteras .. abbati et conuentui prefatis dedimus nostro et capituli nostri sigillorum appensionibus consignatas. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXX secundo, tercio idus Marcii pontificatus nostri anno octauo.

Sigillum capituli abscissum est, remanente solo sigillo Bertholdi episcopi.

Editum in libro: Frage ob der Abtei Ebrach etc. pag. 251 Nr. VIII.

CDLXI.

Anno 1282., 26. Martij, Herbipoli.

Bertoldus episcopus herbipolensis Frowino de Heselere pro quadraginta libris hallensium, eidem in restaurum dextrarii in conflictu apud Binzvelt perditi promissis, villam Steinbach obligat.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus profitemur per has litteras vniuersis iam uiuentibus et futuris, quod nos Frowino de Heseler et suis heredibus in restaurum illius dextrarii, quem ipsum in seruicio nostro in conflictu illo apud Binzuelt habito cognouimus perdidisse, libras hallensium pro comperando sibi alio dextrario promittimus quadraginta, pro quibus, cum eris copia nobis non sit prompta villam nostram Steinbach, que iam .. dicto Swimmere militi obligata dinoscitur, obligamus, sic, quod ipsi eandem, postquam illa ab ipso milite libera fuerit, ad vsum eorum tenere debeant, quousque sors prefatarum librarum per ipsius ville fructus siue redditus deducatur, concedentes ipsi Frowino pro dono gracie specialis, quod, si ipse uel sui heredes memoratam villam decreuerint personaliter non tenere, eandem pro prenominata summa pecunie modo et condicionibus prefatis obligare possint alteri de expresso et beniuolo nostro consensu, quem eidem ipsam villam taliter recipienti, in hiis presentibus impertimur, dantesque hoc scriptum Frowino et heredibus predictis, nostro sigillo signatum, in testimonium premissorum. Datum Herbipoli, anno domini M°. CC°. LXXX secundo, in cena domini, pontificatus nostri anno octauo.

● Sigillum fractum est.

CDLXII.

Anno 1282., 28. Aprilis.

Manegoldi prepositi, Alberti decani capitulique maioris ecclesiae herbipolensis poenarum comminatio contra canonicos, canonem ex oblationibus suis non solventes.

Manegoldus prepositus, Albertus decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis. Cum per formam dudum per nos editam contra negligentiam canonicorum nostrorum, de oblatione siue oblationibus suis canonem debitum non soluentium, minus sufficienter nobis sit prouisum, statuto perpetuo valituro antique forme, adicientes statuimus et firmamus, ut quicumque canonicorum nostrorum, statuto termino canonem de oblatione siue oblationibus suis debitum non soluerit, si canon, qui capitulo debetur, quantitatem XX[ti] maldrorum tritici vel summam X librarum denariorum herbipolensium non excedit, pena in antiqua forma sufficiat comprehensa; si autem idem canon vltra quantitatem aut summam predictam se extendat et canonicus, qui canonem excedentem XX[ti] maldra tritici aut X libras denariorum vsque ad festum kathedre sancti Petri eundem canonem non soluerit, extunc idem canonicus careat fructibus oblationis siue oblationum suarum, de quibus canon est soluendus, nosque de fructibus oblationis siue oblationum earundem sine contradictionis obstaculo, nos intromittemus et eos libere tanto tempore percipiemus, donec nobis de canone plene fuerit satisfactum, ita tamen, quod de primi anni fructibus expediatur canon, qui de illa vel illis oblationibus debetur, et quicquid supererit, expedito canone illius anni, in solutionem neglecti canonis conputetur, sequentium uero annorum fructus, qui canonem excedunt, capitulum sine diminutione percipiat, in penam illius, qui de canone minime satisfecit, et nichilominus elapso termino solutionis, secundum antiquam formam cum suspensione prebende in claustro remaneat, vsque ad plenam solutionem canonis supradicti. Verum si aliquis canonicorum pre-

dictorum, quod absit, oblationem siue oblationes suas distraxerit, alienauerit aut obligauerit, ita, quod nos fructus, vt premissum est, percipere non possimus, elapso termino, qui de fructibus oblationum a nobis percipiendis superius est comprehensus, salvis penis superius expressis a voce capituli tanto tempore sit exclusus, donec de canone nobis satisfecerit supradicto. Si uero, quod absit, aliquem canonicorum contingat oblationis vel oblationum suarum fructibus contra iusticiam spoliari, volumus, vt eidem per diuinorum suspensionem cooperari teneamur iuxta consuetudinem ecclesie nostre antiquitus approbatam. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Acta sunt hec anno domini MCCLXXX secundo, IIII[to] kalendas Maii.

Sigillum capituli maioris ecclesiae herbipolensis appendet.

CDLXIII.

Anno 1283., 31. Januarii.

Bertholdus herbipolensis episcopus capitulo maiori in subsidium praebendarum donat parochiales ecclesias Brozoldesheim et Gochesheim.

Bertholdus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus honorabilibus viris . . preposito . . decano totique capitulo eiusdem ecclesie salutem in domino sempiternam. Cum plantare diuini nominis cultum et plantatum fouere necnon promouere ea, que ad diuini cultus decorem spectant, precipue in nostra ecclesia, cuius regimini diuina sumus clementia deputati, ex officii nostri debito teneamur, nos prouide considerantes, quod prebendarum vestrarum redditus et prouentus propter diuersa gwerrarum discrimina et pacem terre communem hactenus perturbatam sunt plurimum diminuti, propter quod diuinorum obsequiis, vt sonsueuistis, intendere non potestis, ex sincero cordis affectu subsidium vobis postulantibus, quantum pre-

sentis status temporis patitur, decreuimus impendendum, vt in ecclesia nostra per vos diuinorum officia liberius valeant exerceri, parrochiales ecclesias Brozoldesheim videlicet et Gochesheim, quarum collatio ad nos spectare dinoscitur, vobis pleno jure proprietatis et possessionis donamus et concedimus, in vos easdem ecclesias cum juribus et pertinentiis suis cum pleno rerum dominio transferentes, quodque fructus earundem ecclesiarum in subsidium prebendarum vestrarum conuertere possitis, cedentibus vel decedentibus personis, que ipsas ecclesias iam possidere dinoscuntur, plenam vobis presentibus concedimus facultatem, ita tamen, quod cura animarum ibidem minime negligatur, quodque predicte ecclesie parochiales perpetuos habeant vicarios, quibus tantum de ipsarum prouentibus relinquatur, quod episcopo et archidyacono loci, qui pro tempore fuerint, de suis valeant juribus respondere. In cuius rei testimonium presens scriptum nostri sigilli patrocinio duximus roborandum. Datum anno domini MCCLXXX tercio, pridie kalendas Februarii, pontificatus nostri anno nono.

Sigillum laesum appendet.

CDLXIV.

Anno 1283., 9. Februarii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus Heinrico de Steinach molendinum extra villam Steinach, ab Herbordo Teiler de Hasefurth resignatum, iure feodi possidendum confert.

Bertholdus dei gratia herbipolensis episcopus. Nouerint vniuersi harum inspectores litterarum, quod Heinrico de Steinach illud molendinum extra villam Steinach situm, quod quondam Herbordus dictus Teiler de Hasefurth a nobis et ecclesia nostra in feodo tenuit, ad eiusdem Herbordi, tunc in carne constituti,

de ipso molendino resignationem nobis factam, contulimus et in hiis scriptis conferimus iure feodi possidendum, non obstantibus litteris, si quas super ipsius collatione molendini Heinrico, dilecti nobis Alberti decani in Havge famulo, dedisse videmur, quas siquidem vtpote veritate tacita impetratas recognoscimus et pronuntiamus cassas et carere roboris firmitate. In quorum testimonium memorato Heinrico de Steinach presentes litteras dedimus nostri sigilli patrocinio consignatas. Datum Herbipoli, anno domini M°. CC°. LXXX tercio, in octava purificationis, pontificatus nostri anno nono.

Fragmentum sigilli appendet.

CDLXV.

Anno 1283., 1. Aprilis, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus monasterio in Wetherswinkel decimam in Wolpach ab ecclesia herbipolensi in feodum procedentem in proprium donat.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Harum serie litterarum patere cupimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod, cum Iringus de Brenden decimam illam in Wolpach, quam a nobis et ecclesia nostra in feodo habuit, dilectis in Christo Clemente abbatisse et conuentui monasterii in Wetherswinkel, nostre dyocesis, ordinis sancti Benedicti, procurante Cůnrado dicto de Walhusen, eiusdem monasterii preposito, de nostro verbo et licentia vendidisset, nobis .. abbatissa, conuentus et prepositus predicti humiliter supplicarunt, ut decimam eandem eis in prebendarum suarum subsidium proprietare siue in proprium tradere de nostra prouidentia curaremus. Quorum profecto supplicacionibus fauorabiliter inclinati predictam decimam in Wolpach, ad nostras manus per memoratum Iringum libere resignatam, eisdem abbatisse et

conuentui in suarum subsidium prebendarum et ut cultum diuinum in ipso monasterio suo exercere liberius valeant in proprium damus, tradimus et donamus, illam in ipsum monasterium Wetherswinkel cum omni iure et vtilitate in hiis presentibus transferentes titulo meri proprii perpetuo possidendam. In cuius nostre donationis testimonium presentes litteras appensione sigilli nostri duximus muniendas. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXX tercio, kalendis Aprilis, pontificatus nostri anno nono.

Sigillum deest.

CDLXVI.

Anno 1283., 7. Maii, apud Wertheim.

Methehildis, relicta quondam nobilis viri Bopponis comitis de Wertheim, Rudolfus comes de Wertheim et Mezza uxor eius decimas in villa Gruzen, quas a domino Bertoldo herbipolensi episcopo in feodo habebant, eius et capituli consensu monasterio in Coeliporta vendunt.

In nomine domini amen. Nos Methehildis relicta quondam nobilis viri Bopponis comitis de Wertheim, Rudolfus comes de Wertheim et Mezza vxor eius recognoscimus presenti scripto publice et ad noticiam presentium et futurorum cupimus peruenire, quod vendidimus, tradidimus et hiis in scriptis vendimus et tradimus de consensu heredum nostrorum decimas nostras in villa Gruzen, maiores et minutas, cum omnibus suis attinenciis quesitis et non quesitis, quas a reuerendo patre domino nostro Bertoldo herbipolensi episcopo in feodo habuimus, suo suique capituli accedentibus consensu pariter et voluntate, deuotis sanctimonialibus, videlicet .. abbatisse et conuentui monasterii in Celiporta, ordinis cysterciensis, herbipolensis dyocesis, iure proprietatis perpetuo habendas

et etiam possidendas, predictasque abbatissam et conuentum ipsarumque successatrices in possessionem predictarum decimarum inducimus corporalem pro precio centum librarum hallensium et septuaginta librarum hallensium, quod precivm confitemur nos ab ipsis integraliter recepisse, promittentes et nos nostrosque heredes obligantes, ipsis plenam facere warandiam, que vulgariter wertschaft dicitur de ipsis decimis, que de bonis proprietariis iuxta terre consuetudinem fieri consueuit, nichilominus deponere et remouere omne inpedimentum, quod sustinuerint per nos aut heredes nostros vel occasione nostri in decimis memoratis, dantes super eo fideiussoriam caucionem. In cuius rei testimonium sigilla videlicet nostra et comitis Wolfradi de Eberstein, cuius vxor est vna heredum nostrorum, quibus etiam alii heredes nostri contenti sunt, presentibus sunt appensa. Testes: dominus Hiltebrandus abbas, dominus Wintherus cantor, dominus Heinricus cellerarius monasterii in Brunnebach, Gerhardus notarius, Johannes de Oberkeim, Gotfridus, Hartmannus, Cunradus fratres dicti Srencken, Cunradus de Buch, Hermannus de Hochusen, Dietherus de Rolbach, Fridericus de Fulenbach, Cunradus de Einstetten, dictus Schalbrunne, dictus Knappe, dictus Rothart, Rudigerus Scultetus, Cunradus dictus Stieger et plures alii. Acta sunt hec aput Wertheim anno domini MCCLXXX tercio feria sexta proxima post inuencionem sancte crucis.

Appendent tria sigilla.

CDLXVII.

Anno 1283., 16. Junii, actum apud Brappach.

Concordia inter Hermannum et Bopponem, filium eiusdem, comites de Henneberg et Bertholdum herbipolensem episcopum.

Hermannus dei gratia et Boppo, filius eiusdem, comites de Henneberg recognoscimus presenti scripto et ad noticiam trans-

mittimus vniuersorum hanc concordie formam inter venerabilem patrem dominum nostrum herbipolensem episcopum ab vna et nos a parte altera et hinc inde partis vtriusque adiutores venerabili patre domino nostro Ber. babenbergensi episcopo, nobili viro Gotfrido de Hohenloch, Herdeino de Grindelach aliisque pluribus fidedignis et discretis viris mediantibus fore eatenus ordinatam. Primo itaque omnia dampna a tempore illius concordie, per serenissimum dominum nostrum Rudolphum Romanorum regem inter nos et partem alteram novissime apud Oppenheim ordinate, hinc inde tam per ipsum dominum herbipolensem episcopum quam nos et etiam utriusque partis adiutores commissa utrobique simpliciter sunt remissa, sic, quod inter predictum dominum nostrum episcopum et nos firma pax et sincera concordia de cetero debet esse, ita tamen, quod, si nos vlli ex predicti domini nostri episcopi adiutoribus inferemus iniuriam euidentem, ex tunc ad ipsius domini episcopi requisicionem passo iniuriam faciemus de illatis iusticiam uel amorem, alioquin ipsi domino nostro episcopo licebit defendere iniuriam huiusmodi pacientem hoc ipso nobis in nostris adiutoribus contra memoratum dominum nostrum episcopum reciproca uice saluo, set nichilominus predicta concordia stabit in suo robore duratura. Preterea captiui hinc inde in discordia nouissima, dum tantum depecuniationem non dederunt, dimittendi sunt liberi et conuentiones uillarum, que pacta non soluerunt, sunt similiter remittende. Ad maiorem autem predicte concordie obseruationem dominus noster episcopus castrum suum Grosperg. et nos castrum nostrum Steynach predicto domino nostro babenbergensi episcopo presentauimus, tenenda in eius a modo usque ad festum Martini proximum et deinde ad tres annos continuos potestate, qui inquam dominus babenbergensis episcopus facta de ipsis castris estimatione, si alterum illorum reliquo preponderare compererit in ualore, extunc castrum deterius per aliorum bonorum supplementum ad ipsius domini babenbergensis estimationem debet reliquo equiparari. Super premissis etiam obseruandis a domino nostro herbipolensi episcopo Wolflinus de Grůnbach et Eberhardus Fuhs, a nobis vero Albertus de Hesseburg et Heinricus de Smeheim

milites et ab utraque partium ipse dominus babenbergensis episcopus pro persona media sunt electi, qui siquidem quatuor iurati, si quicquam inter predictum dominum nostrum herbipolensem episcopum aut nos contra eandem concordiam attemptaretur, ad interpellacionem lese partis conuenire debent ea, que contra pacem facta sunt, secundum amorem uel iusticiam decisuri. Et si in hiis decidendis concordare non possent, ipsi assumpto eis predicto domino . . babenbergensi episcopo, utpote persona media, de decisione huiusmodi attemptabunt, et in quecumque eadem persona media cum duabus ex predictis personis concordauerit illarum decreto, pars, que contra pacem uenerat, parere tenebitur infra duos menses post decretum editum numerandos, quod si non fecerit, ex tunc dominus babenbergensis episcopus castrum partis contra pacem facientis parti alteri vna cum castro proprio assignabit in penam libere possidendum. Sane si qua inter predictas quatuor personas ex causa euidenti predicte decisioni non posset forsitam interesse, alia persona loco illius absentis erit absque vara qualibet subroganda; similiter si quando predictum dominum nostrum babenbergensem episcopum abesse contingeret, ipse nobilem virum Eberhardum de Sluzzelberg, nostrum auunculum, uel alium, si is haberi commode non posset, substituet uice sui. Dictum est etiam, quod si dominos nostros herbipolensem aut babenbergensem episcopos infra prefatum terminum cedere uel decedere, aut nos ambos mori contingeret, ipsa castra vtrimque sunt partibus restituenda. Notandum etiam, quod si predicta castra aut alterum eorum infra dictum triennium capi aut perdi quoquomodo contingeret, de hoc ad ipsum dominum babenbergensem episcopum uel eius ecclesiam nullus respectus habebitur, set ipse dominus babenbergensis partibus cooperabitur totis viribus ad deperdita recuperanda. Adiectum est etiam, quod in ipsis castris eorumque attinentiis a partibus hincinde aut eorum hominibus nulla sunt prorsus pignora durante predicto termino capienda. Nos itaque Hermannus comes de Henneberg et dominus noster venerabilis pater Bertholdus herbipolensis episcopus predicti hanc, que premittitur formam, de uerbo ad uerbum recognoscentes per omnia ita esse ac in illam liberaliter consentientes, ipsam iuramentis corporaliter per

nos prefatis vallauimus inuiolabiliter obseruandum. Et in horum euidentiam atque robur presentes literas sigillorum nostrorum appensionibus duximus consingnandas. Actum apud Brappach, anno domini MCCLXXX tertio, feria quarta post Viti.

Sigilla Bertoldi episcopi et Hermanni comitis de Henneberg laesa appendent.

CDLXVIII.

Anno 1283., 11. Novembris, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus duas partes decimae per marcam villae Bibergouwe, quas Heinricus comes de Kastele ab ecclesia herbipolensi titulo feodi possederat, et subinfeudatus Heinricus Woluolt miles fratribus domus hospitalis S. Johannis in Herbipoli vendiderat, eidem domui appropriat.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus. Litterarum uiuax apparentia dissensionis plerumque materiam dirimit, dubium tollit, calumpniam non suadet, rei geste prebet durabile fulcimentum. Id nos deliberacione prouida attendentes, ad vniuersorum et singulariter singulorum, tam presentium, quam postfuturorum noticiam publice proclamamus, quod, cum dilecti in Christo .. conmendator et fratres domus hospitalis sancti Johannis in Herbipoli illas duas vini et frumenti per totam markam ville Bibergouwe decime partes, quas nobilis vir Heinricus comes de Kastele a nobis et nostra ecclesia tytulo feodi ac consequenter Heinricus dictus Woluolt, miles, nostre curie camerarius, ab ipso comite eodem tytulo possedisse dinoscebatur, apud eundem militem pro centum et decem libris hallensium comparassent, nos easdem decime partes, tum ipsi comiti, per eundem militem, tum nobis per ipsum comitem libere resignatas, eisdem .. conmendatori et fratribus pure

tradimus et donamus in merum proprium, petentibus hoc milite et comite supradictis, ipsas partes cum earum vniuersitate in eosdem conmendatorem et fratres, vt nostre anime memoria in prefata domo perpetim peragatur, cum pleno rerum dominio transferentes, a nobis quoque omne jus, quod nobis et nostris successoribus in eisdem competebat partibus, penitus abdicantes. In huius rei testimonium presentem paginam nostri sigilli patrocinio conmunitam dedimus .. conmendatori et fratribus memoratis. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXX tercio, in die sancti Martini episcopi, pontificatus nostri anno nono.

Sigillum appendet.

CDLXIX.

Anno 1283, 2. Decembris, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus fratribus domus hospitalis S. Johannis in Herbipoli decimam in Buechele, quam Ludewicus de Rezzestat a se in feodo possidebat, in proprium confert.

Bertoldus dei gratia herbipolensis episcopus. Noverint inspectores presentium vniuersi, quod dilecti in Christo .. conmendator et fratres domus hospitalis sancti Johannis in Herbipoli in nostri presentia asserentes, se illam decimam in Buechele, quam Ludewicus de Rezzestat a nobis in feodo possidebat, apud eundem Ludewicum pro quadraginta libris hallensium comparasse, nobis cum instancia supplicarunt, vt eis in remedium anime nostre ipsam decimam donare in proprium curaremus. Nos itaque huiusmodi supplicationibus deuotius inclinati eandem decimam, nobis a prefato Ludewico emptionem, de qua predicitur, publice confitente, in nostris manibus resignatam, conmendatori et fratribus prenominatis tradimus et donamus in proprium iure meri proprii perpetim

possidendam, abdicantes a nobis omne ius, quod nobis et nostris successoribus in ipsa decima competebat, ita tamen, quod ab ipsis fratribus nostre anime recordatio iugiter habeatur. In huius donationis testimonium presentes litteras nostro sigillo signatas dedimus conmendatori et fratribus supradictis. Datum Herbipoli anno domini M°. CC°. LXXX tercio, IIII°. nonas Decembris, pontificatus nostri anno nono.

Sigillum abscissum est.

CDLXX.

Anno 1284., 28. Januarii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus mansum in Mahtolhshusen, a se in feodum procedentem, coenobio in Vrouwenrode appropriat.

Bertoldus dei gracia herbipolensis episcopus. Ad memoriam omnium tam presentium quam futurorum uolumus deuenire, quod nos illa obsequiorum merita, in quibus Albertus de Obersuelt plerumque erga nos se exhibuit et exhibet, studiosum remuneracionis premio respicere cupientes, illum mansum in Mahtolshusen, soluentem annuatim decem solidos denariorum et vnum maldrum tritici, a nobis in feodo procedentem, quem quidem mansum colit Heinricus dictus Engelere, dilectis in Christo .. abbatisse et conuentui cenobii in Vrouwenrode, nostre dyocesis, quibus eundem mansum ipse Albertus pro elemosina occasione Kunegundis sue filie ad consortium religionis dicti cenobii recepte se procuraturum dari in proprium a nobis promisit, in proprium donamus, iure meriproprii perpetuo possidendum, dantes .. abbatisse et conuentui prefatis presens scriptum nostro sigillo signatum in testimonium super eo. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXX quarto, in octaua Agnetis, pontificatus nostri anno decimo.

Sigillum Bertoldi appendet.

CDLXXI.

Anno 1284., 10. Martii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus decimas villae Grůzen, quas vir nobilis Rv̊dolfus comes de Wertheim ab ecclesia herbipolensi in feodo possederat et sanctimonialibus in Coeliporta vendiderat, huic coenobio in proprium dat, receptis in recompensam decimarum dictarum bonis in villa Tuetenbrůnnen, ab ipso Růdolfo iure feodi possidendis.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Harum tenore litterarum recognoscimus vniuersis iam viuentibus et futuris, quod vir nobilis Rv̊dolfus comes de Wertheim affirmans, se vna cum matrona nobili Methilde, relicta quondam Bopponis, fratris ipsius comitis, interueniente consensu Mezze, vxoris eiusdem comitis, illas decimas ville Grůzen, maiores et minutas, cum suis pertinentiis omnibus, quesitis et non quesitis, quas quidem decimas iidem a nobis in feodo possidebant, dilectis in Christo .. abbatisse et sanctimonialibus cenobii in Celiporta apud Herbipolim pro centum et septuaginta libris hallensium vendidisse, ac in recompensam earumdem decimarum de bonis suis ad ipsum iure proprietatis deuolutis sitis in villa Tuetenbrůnnen nobis resignans, videlicet curiam Friderici de Vlache, quam idem ab ipso comite tenet in feodo, soluentem annis singulis octo maldra siliginis, qvatuor auene; item curiam .. dicti Stadilherren, quam idem in feodo ab eodem comite tenet, soluentem octo maldra siliginis; item curiam, quam possidet Gernodus dictus Kemner, soluentem vnum maldrum tritici, vnum auene et vnam libram hallensium; item mansum, quem possidet Heinricus de Osbach, soluentem decem vncias denariorum et duo maldra auene; item mansum Hartmanni de Lapide, quem idem ab ipso comite tenet in feodo, soluentem vnum maldrum siliginis, vnum auene et qvatuor vncias denariorum; item duos mansos .. dicti Stadilherren, quos idem a predicto comite in

feodo tenet, soluentes octo vncias denariorum, duo maldra siliginis et duo auene; item duos alios mansos eiusdem Stadilherren, quos idem ab eodem comite in feodo tenet, soluentes duodecim maldra siliginis, item duos mansos, quos possidet Bertholdus dictus Hulweke, soluentes sex maldra siliginis et qvadraginta denarios; omnes eosdem mansos et curias loco dictarum decimarum a nobis in feodo recepit iure feodi possidendos et petiuit cum instancia, ut nos nostri capituli consensu mediante easdem decimas predictis sanctimonialibus et earum cenobio donare in proprium curaremus. Nos itaque precibus dicti comitis grato animo annuere cupientes, venditionem quoque illarum decimarum, de quibus predicitur, ratam et gratam habentes, in earumdem decimarum recompensationem mansis et curiis superius expressis, nobis a prenominato comite resignatis et per eundem a nobis in feodum receptis, ipsas decimas . . abbatisse et sanctimonialibus antedictis ac earum cenobio in proprium donamus, ad hoc consensu nostri capituli accedente, easdem decimas in ipsas abbatissam et sanctimoniales ac in earum cenobium cum pleno rerum dominio transferentes iure meriproprii possidendas. In quorum omnium premissorum testimonium atque robur presentem paginam nostro et memorati capituli sigillis ordinavimus roborari. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXX qvarto, sexta feria ante dominicam Oculi, pontificatus nostri anno decimo. Nos Manegoldus prepositus, Albertus decanus totumque capitulum Herbipolense in donationem premissam vnanimiter consentientes in eius testimonium, euidentiam atque robur nostrum sigillum duximus presentibus appendendum. Datum loco, annis et die supra notatis.

Existunt tria exemplaria, quorum primum et secundum paria sunt; in tertio post datum, loco consensus capituli recognitio comitis Rudolfi de Wertheim apparet, his verbis: „Nos quoque Rvdolfus comes de Wertheim predictus supradicta omnia et singula recognoscentes ita esse, in eiusdem facti et nostre recognitionis testimonium, sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum loco, annis et die supra notatis.“ In primo adsunt sigilla Bertoldi et capituli, in secundo deest sigillum capituli, in tertio accedit sigillis episcopi et capituli sigillum Rudolfi comitis de Wertheim.

CDLXXII.

Anno 1284., 26. Martii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus nobili viro Gotfrido de Hohenloch castrum suum Frankenberg obligat.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Nouerint inspectores presencium singuli et vniuersi, quod nos castrum nostrum Frankenberg cum bonis, redditibus, vtriusque sexus hominibus ceterisque eius attinentiis vniuersis, quesitis et non quesitis, nobis et ecclesie nostre dumtaxat nobilibus tantum reseruatis, viro nobili Gotfrido de Hohenloch eiusque heredibus pro qvadringentis libris hallensium, quas idem nobis pro subleuanda ad presens necessitate nostra in pecunia numerata annodauit, et pro centum marcis argenti, quas eidem nobili pro feodo castrensi dare, ut infra dicetur, promisimus, obligauimus et in hiis presentibus obligamus cum omni vtilitate et rerum dominio, vt predicitur, tytulo pignoris possidendum, hoc nobis ecclesie et successoribus nostris saluo, quod, quandocumque ad arbitrium duorum ministerialium nostrorum et duorum ipsius nobilis militum eidem nobili pro supra dictis centum marcis alia bona nostra assignauerimus aut ex certo docere poterimus, quondam viro nobili Alberto de Hohenloch, predicti Gotfridi patri, fore dudum per predecessores nostros pro dictis centum marcis bona alia pro castrensi feodo assignata, ex tunc predictum castrum cum eius attinenciis pro supradictis qvadringentis libris redimere seu liberare a predicto nobili aut eius heredibus poterimus, quandocumque oportunitas nobis fuerit vel facultas. Si autem assignationem per nos faciendam aut per predecessores nostros fore factam, ut premittitur, mancipare effectui non possemus, memoratus nobilis et sui heredes de eisdem centum marcis ad castrum supradictum et eius pertinencias respectum habere sicut et de illis qvadringentis libris hallensium tenebuntur. Ipse etiam nobilis fide ad manus nostras prestita promisit, se predictum castrum cum eius attinenciis fideliter conseruaturum et homines ad ipsum castrum pertinentes vltra debitum in

nullo penitus grauaturum. In quorum testimonium presentes littere nostro et predicti nobilis sigillorum appensionibus sunt signate. Actum Herbipoli anno domini MCCLXXX qvarto, dominica qua cantatur Judica me deus, pontificatus nostri anno decimo.

Appendent duo sigilla.

CDLXXIII.

Anno 1284., 3. Maii, Erbipoli.

Berhtoldus erbipolensis episcopus bona in Eisvelt, ab ecclesia erbipolensi in feodo procedentia, Kunegundi, nepti Rudolfi de Eisvelt, collata, eidem Kunegundi et Alberto eius marito confirmat.

Berhtoldus dei gracia erbipolensis episcopus. Vniuersis tam presentibus quam futuris recognoscimus, in literis recolende memorie domini Iringi, predecessoris nostri, attencius nos vidisse, quod idem illa bona in Eisvelt, ab ecclesia nostra in feodo procedencia, que quondam Rv̊dolfus de Eysvelt ex permissione ipsius domini Kunegundi, eiusdem Rudolfi nepti, filie Lvdwici de Eisvelt, disposuit et legauit, eidem Kunegundi contulit in feodum. Nos itaque, ipsam collationis graciam ampliare curantes, predicta bona ipsi Kunegundi et Alberto eius marito, fratri quondam Brunonis de Irmolthshusen et eorum heredibus similiter in feodum conferimus, titulo feodi possidenda, dantes ipsis Kunegundi et Alberto et eorum heredibus presens scriptum nostro sigillo signatum in testimonium super eo. Testes: Wernherus de Tanenberk, H. de Wechmar, canonici maioris ecclesie, H. plebanus de Irmoltshusen, C. dictus Studigel, Her. Camerarius. Datum Erbipoli anno domini M°. CC°. LXXXIIII°., in inventione sancte crvcis, pontificatus nostri anno decimo.

Sigillum fractum est.

CDLXXIV.

Anno 1284., 9. Junii.

Testimonium capituli ecclesiae herbipolensis, quod Adolfus de Dasle ac quilibet alter, qui capellae S. Galli patronus existat et collator, Nicholao, vicario et capellano eiusdem capellae et suis successoribus, mensam debet perpetuo ministrare.

Nos Al. decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis recognoscimus et ad noticiam tam presentium, quam postfuturorum cupimus pervenire, quod comparentibus coram nobis Adolfo de Dasle, nostro concanonico, ex vna et Nycholao sacerdote, vicario dicte ecclesie, capellano capelle sancti Galli, ex parte altera, proposuit dictus Nycholaus, quod ratione vicarie et capelle predictarum mensa sibi ministrari deberet per dictum Adolfum de Dasle ea ratione, quod illas duas curias, ipsi capelle contiguas, ad quas etiam curias ipsa capella pertinet, possidet Adolfus supradictus. Ipse Adolfus respondit, quod huiusmodi mensam sibi ministrare non deberet. Tandem in capitulo nostro sententiatum fuit, quod, si ipse Nycholaus juramento suo et duorum aliorum sacerdotum probare posset, ipsa mensa sibi a dicto Adolfo de Dasle, qui etiam eidem Nycholao dictam capellam et vicariam contulit, deberet ministrari et post illam sententiam predictus Nycholaus tres sacerdotes ecclesie nostre, vicarios videlicet Bertholdum domesticum, Curradum de Kale et Fridericum de sancto Nycholao secum aduxit, qui omnes, ut moris est, iurauerunt, quod predictus Adolfus de Dasle ac quilibet alter, qui curias teneret memoratas, cum et ille idem ipsius capelle patronus existat et collator, dicto Nycholao et suis successoribus mensam, ut pretactum est, debeat perpetuo ministrare. In cuius rei testimonium et memoriam euidentem presens littera est conscripta et sigillo nostri capituli diligentius communita. Actum anno domini M^{o}. CC^{o}. LXXXIIII°., sexta feria post octauam penthecostes.

Appendet sigillum.

CDLXXV.

Anno 1284., 17. Julii.

Conradus de Nichilo et Gotfridus de Houge, cives herbipolenses, curiam quondam Lamperti, ab Alberto decano maioris ecclesiae sibi rite porrectam, Volclino institori ad tempus vitae, salva oblatione ecclesiae herbipolensi solvenda, conferunt.

Notum sit omnibus presentes litteras inspecturis, quod nos Cunradus de Nichilo et Gotfridus de Houge, cives herbipolenses, curiam quondam Lamperti, sitam iuxta fratres predicatores, ab ipso Lamperto emptam et ab honorabili viro domino Alberto decano maioris ecclesie herbipolensis, ad quem ratione census ipsius curie spectat collatio, nobis rite porrectam, salua ipsi ecclesie oblatione seu censu X solidorum, denariorum usualium, annuatim de ipsa curia solvendorum, Volclino institori libere et absolute sine vara qualibet ad tempus sue uite contulimus et conferimus per presentes. Ipse uero Volclinus eundem censum, prout nos tenemur, ecclesie herbipolensi partito anni tempore nobis soluet, videlicet in festo beati Andree apostoli V solidos, reliquos uero V in festo beati Johannis Baptiste. Et quicquid ad emendationem ipsius curie idem Volclinus pro sue persone commodis superedificare uoluerit, requisito tamen prius nostro consilio, libere permittemus. Si autem ipse adhuc uiuens suum fortassis statum mutare uoluerit uel ad aliud migrare domicilium, nulli homini quocumque iure seu cuiuscumque collationis titulo ipsam curiam conferre poterit, set ad nos possessionis proprietas reuertetur. In cuius rei testimonium sigilla venerabilis domini Bertoldi herbipolensis episcopi et decani maioris ecclesie, nostre quoque ciuitatis et conuentus fratrum predicatorum ad nostre petitionis instanciam sunt appensa. Datum anno domini MCCLXXXIIII., XVI. Kalendas Augusti.

Appendent quatuor sigilla.

CDLXXVI.

Anno 1284., 13. Decembris.

Rupertus de Durne coadunata manu uxoris suae Mechthildis, in restaurum decime in inferiori Halle, quam ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possederat et monasterio in Speciosa valle vendiderat, in manus Bertoldi episcopi resignat villam Wiczbach, nomine feodi iterum recipiendam.

I. n. d. a. Nos Rupertus de Durne nobilis. Quia gesta hominum obliuionis deuio plerumque calumpniari solent, recongnoscimus publice per presentes et ad vniuersorum et singulorum tam presentium, quam futurorum noticiam cupimus peruenire, quod coadunata manu Mechthildis, vxoris nostre, in restaurum decime in inferiori Halle site, per nos vendite et tradite cum omnibus suis pertinenciis religiosis viris . . abbati et conuentui monasterii in Speciosa valle, ordinis cisterciensis, jure proprietario possidende, quam quidem decimam a venerabili patre domino . . herbipolensis ecclesie episcopo titulo feodali dinoscimur hactenus possedisse, villam Wiczbach, que ad nos mere proprietatis tytulo dinoscitur pertinere, ad manus reuerendi patris domini Bertoldi, predicte herbipolensis ecclesie episcopi, exnunc presentibus resignamus, eandem villam recipientes nobis et heredibus nostris ab ipso domino episcopo et quolibet eius successore feodi nomine possidendam. Renunciamus nichilominus omni juri, quod nobis seu heredibus nostris in dicta villa Wiczbach competit seu competere poterit vel etiam hactenus competebat, restitutioni in integrum et omni juris auxilio, tam canonici quam civilis, prefatam villam in proprietatem herbipolensis ecclesie predicte cum pleno dominio transferentes. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorem presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum et actum in die beate Lucie virginis, anno domini millesimo CC°· LXXX quarto.

Sigillum Ruperti de Durne in circumscriptione laesum est.

CDLXXVII.

Anno 1284., 19. Decembris, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus decimam et aream in Langenstat, a se in feodo procedentes sibique resignatas a nobili viro Conrado comite de Wilperg, monasterio Lancheim appropriat.

Bertoldus dei gracia herbipolensis episcopus. Patere volumus vniuersis tam presentibus quam futuris has litteras inspecturis, quod nos dilectis in Christo ... abbati et conuentui monasterii in Lancheim ordinis cisterciensis babinbergensis dyocesis illam decimam in Langenstat ac aream eidem attinentem decime, a nobis in foedo procedentes, quas quidem decimam et aream vir nobilis Conradus comes de Wilperg antea sibi per Eberhardum, Albertum dictos Vorschen et Berneros patruos eorumdem libere resignatas nobis liberius resignauit ad instantes eiusdem comitis preces in proprium donauimus et tradidimus et in his scriptis tradimus et donamus in eosdem abbatem et conuentum ipsas decimam et aream cum pleno rerum dominio transferentes, iure meriproprii in perpetuum possidendas ac a nobis et nostris successoribus omne jus, quod nobis in eisdem decima et area occasione feodi competebat, penitus abdicantes. In quorum premissorum testimonium presens scriptum dedimus abbati et conuentui memoratis nostri sigilli patrocinio communitum. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXXIIII., feria tertia post Lucie virginis, pontificatus nostri anno decimo.

Sigillum appendet.

CDLXXVIII.

Anno 1285., 7. Martii, actum Heitingesuelt, datum Herbipoli.

Arbitrium, quanta pars ab exactione super forum in civitate herbipolensi ponenda domino episcopo cedere debeat.

Winricus de Eberaco, Hermannus de Lancheim, diuina permissione monasteriorum abbates, ordinis cisterciensis, Krafto et Gotfridus domini de Hohinloch constare cupimus vniuersis has litteras inspecturis, quod nos, a reuerendo patre et domino nostro Bertoldo herbipolensi episcopo ex una et a viris prouidis ciuibus ibidem ex parte altera arbitri siue definitores ad arbitrandum et definiendum, que vel quanta pars ab exactione super forum in ciuitate herbipolensi ponenda ipsi domino episcopo cedere debeat, concorditer electi arbitrando et definiendo pronunciamus, vt, quandocumque vel quocienscumque ipsi ciues duos denarios et dimidium tercii denarii exactione recipiant de predicta, ipse dominus episcopus tociens dimidium eiusdem tercii denarii et quartum denarium integrum recipere debeat ab eadem. In cuius nostre pronunciacionis testimonium hoc presens scriptum nostris sigillis duximus roborandum. Actum Heitingesuelt, datum uero Herbipoli, anno Domini M°. CC°. LXXX quinto, Nonis Marcii.

Appendent quatuor sigilla.

CDLXXIX.

Anno 1285., 7. Martii.

Hermanni dicti de Crutheim, vicarii maioris ecclesiae herbipolensis, litterae reversales de censu ex curia Burchardrode annuatim solvendo.

Quia mutabilia sunt tempora, mutabiles sunt homines, et eorum facta per casus temporum deducuntur, nisi scripti testimonio confir-

mentur, ideo ego Hermannus dictus de Crutheim, vicarius maioris ecclesie herbipolensis, hiis in scriptis publice recognosco et ad notitiam vniuersorum cupio peruenire, quod de curia, que dicitur Burchardrode, quam curiam apud dominum Waltherum plebanum maioris ecclesie herbipolensis emi et conparaui, quam quidem curiam ipse in edificiis emendauit, soluere perpetuo teneor et mei successores, possessores vel dominium habentes curie prenotate dicto W. plebano et suis successoribus in subsidium expensarum luminum lampadis ante altare plebani maioris, que ardebit continue noctibus et diebus, et luminis in cimiterio, quod ardebit noctibus continuis, nouem solidos denariorum legalis monete in die sancte Walpurgis et totidem solidos denariorum in die sancti Martini et tres fertones cere in purificatione beate Marie de fundo dicte curie.. custodi noui monasterii herbipolensis census titulo annuatim. Testes sunt: Bertholdus dictus Huseigen vicarius ecclesie maioris, Heinricus scriptor dominorum in summo, Heinricus sacerdos, Cunradus de Vllingen subdyaconus et alii quam plures. Et ne super omnibus premissis et eorum singulis aliquis dubietatis scrupulus alicui in posterum valeat suboriri, sigilla reuerendi patris domini mei Bertoldi episcopi herbipolensis et capituli, dominorum noui monasterii, et meum presentibus sunt appensa. Acta sunt hec anno domini M°. CC°. LXXX quinto, nonis[1] Marcii, pontificatus predicti domini mei episcopi Ber. anno vndecimo.

Ex quatuor sigillis quondam appensis supersunt Bertholdi episcopi et Hermanni clerici de Amorbach, partim laesa.

[1]) Charta: „Nonas".

CDLXXX.

Anno 1285., 6. Junii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus pronunciat, quod illa septem et dimidium iugera vinearum in monte Altenberge iuxta villam Ahusen sita, quae quondam Rudoldus, abbas monasterii halsbrunnensis, comparaverat, ab ecclesia herbipolensi titulo feodi non procedunt.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Ad vniuersorum, tam presencium, quam post futurorum, noticiam cupimus peruenire, quod quidam ad nostri presenciam venientes nobis ualde ueraciter retulerunt, quod illa septem et dimidium vinearum iugera in monte Altenberge iuxta villam Ahusen sita, que quondam Rudoldus abbas monasterii halsbrunnensis, ordinis cysterciensis, nomine ipsius monasterii erga Heinricum dictum Juden, ciuem herbipolensem, tamquam in cultura derelicta et desolata pro viginti libris hallensium et quatuor maltris siliginis comparat, a nobis procederent titulo feodali, nos itaque hiis relatibus aurem facilem adhibentes Reinhardum, nostrum notarium, Rapotonem, scultetum nostrum in Ohsenvurt militem et Richolfum nostrum spisarium, ad dictam villam Ahusen misimus indagaturos de ipsis relatibus ueritatem. Quibus eandem indagantibus ueritatem Marquardus uf der louben, Ottho in Steinbach, Rudegerus apud monachos, Rugerus et frater suus Cunradus Kegeler, Heinricus in vico, Heinricus Mulhasen, Conradus Burger, Herbordus in Ripa, Bertholdus an dem berge, Gozzo Schegebein, Rupertus et Herbordus Schegebein pociores prefate ville sub eorum iuramentis nobis prestitis firmiter firmauerunt, se numquam ab eo tempore, quo non exstaret memoria, audiuisse, quod a nostris precessoribus processissent uel a nobis procederent aut procedere deberent iure feodi iugera memorata; inmo in serie dictorum iuramentorum quilibet eorum sigillatim et singulariter a predictis tribus, a nobis missis, cum diligencia requisitus deponebat, quod omnes

possessores predictorum jugerum, quos recolerent ex relatibus siue visu, eadem iugera, non ut feodum, sed sicut meriproprium possedissent, quodque dilecti in Christo . . abbas et conuentus monasterii supradicti similiter ipsa iugera non sub onere feodi sed in iure meriproprii possiderent et iam per decennium et amplius possedissent. Sane nos hiis deposicionibus auditis et plenius intellectis expresse pronunciamus, quod antedicta jugera a nobis titulo feodi non procedunt sed illa pro meripropriis adiudicamus et ascribimus abbati et conuentui prelibatis, abdicantes penitus a nobis et nostris successoribns ius feodi, quod quibusdam nobis in ipsis iugeribus competere uidebatur dantesque eisdem has litteras sigillatas nostro sigillo in testimonium premissorum. Testes autem eorum omnium, que superius enarrantur, sunt ville predicte pociores superius nominati et quam plures alii fide digni. Datum Herbipoli, anno domini M°. CC°. LXXX quinto, in crastino Bonifacii, pontificatus nostri anno vndecimo.

Appendet sigillum.

CDLXXXI.

Anno 1285., 26. Junii.

Symon, cantor maioris ecclesiae herbipolensis, bona in Albartshausen, ad se nomine oblationum spectantia, dominabus de Frawenrode locat.

In nomine domini amen. Nouerint vniuersi, ad quos presentes littere peruenerint, quod nos Sy[mon], cantor maioris ecclesie herbipolensis, bona nostra in Albartshusen, que ad[1]) nos nomine oblationum ab ecclesia maiori sancti Kyliani spectare dinoscuntur, concessimus siue locauimus dominabus de Frawenrode colenda et possedenda, quo ad vsque nos eadem bona duxerimus reuocanda,

vel successores nostri voluerint reuocare, qualescumque fuerint, et ab plebano in Stralspach eadem bona, que possidet, reuocamus per presentes. Volumus eciam, ut idem plebanus nullum inpedimentum predictis dominabus inferat in eisdem bonis verbo vel facto. Et ut hec inconcussa permaneant, presens instrumentum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum anno domini MCCLXXXV., feria tercia proxima post Johannis Baptiste.

Sigillum appendet.

[1]) Charta: „et“.

CDLXXXII.

Anno 1285., 19. Septembris.

Rudolfi scolastici et officialis curiae herbipolensis instrumentum, quod Wolframus de Rotendorf et Adelheidis uxor sua honorabili viro magistro Gregorio archidiacono herbipolensi sex iugera vinearum sita prope villam Rotendorf vendiderunt.

I. n. d. a. Ne gesta hominum oblivionis deuio aut quoquam malignitatis scrupulo in posterum calumpniari possint, expedit ea scripturarum et testium munimine roborari. Propter quod nos Rudolfus scolasticus et officialis curie herbipolensis ad vniuersorum, tam presentium, quam futurorum, noticiam uolumus peruenire harum serie litterarum, quod in nostra et infrascriptorum testium presencia constituti Wolframus de Rotendorf et Adelheidis, vxor sua, manu coadunata et vnanimi de consensu uendiderunt et tradiderunt honorabili viro, magistro Gregorio, archidiacono herbipolensi aut cui ipse archidiaconus in vita vel in morte aut post mortem suam donare, vendere uel legare uoluerit, sex jugera vinearum sita prope villam Rotendorf in monte, qui vulgariter Diethrichestal nuncupatur, cuius confines sunt: versus villam Rotendorf

contingit vineam Bertoldi sculteti, fratris predicti Wolframi venditoris, et ab alia parte versus campum contingit agros dominarum de sancta Afra herbipolensium mere proprietatis tytulo imperpetuum possidenda, inducentes eundem archidiaconum cum omni jure in possessionem predictorum sex jugerum corporalem pro precio XXXVII librarum denariorum herbipolensium. Quod quidem precium prefati vendentes confessi sunt se habuisse, recepisse et in usus eorum necessarios conuertisse, renunciantes manu et calamo, ut fieri consueuit, omni juri, quod eis in dicta vinea competit vendita seu hactenus competebat. Nichilominus renunciauerunt exceptioni non numerate, non solute, non habite pecunie, actioni de dolo et in factum et omni juris auxilio, tam canonici, quam ciuilis, per quod predictum archidiaconum aut suos heredes uel successores in prescriptis sex jugeribus emptis aliquod impedimentum seu preiudicium contingeret sustinere. Promiserunt etiam iidem vendentes prelibato archidiacono et suis successoribus seu heredibus plenam warandiam, que de bonis propriis consueuit fieri, se facturos, dantes de euictione et pro huiusmodi warandia facienda fideiussores Lutzemannum et Marquardum, fratres supradicti Wolframi venditoris, qui ad hec in solidum tenebuntur, prout se in nostra presentia obligarunt. Adiectum est etiam, quod memoratus archidiaconus percipere debet fructus presentis anni de vineis prelibatis. In cuius rei testimonium presens scriptum ad rogatum venditorum et fideiussorum predictorum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Nos quoque venditores et fideiussores supradicti premissa omnia et singula recognoscimus et ad ea obseruanda nos presentibus obligamus, dantes supradicto archidiacono et suis heredibus seu successoribus presens instrumentum in euidentiam premissorum, quod sigillo domini . . officialis herbipolensis curie obtinuimus communiri. Datum et actum feria quarta ante festum sancti Mathei apostoli, in curia archidiaconi sepedicti, anno domini M$^{o.}$ CC$^{o.}$ LXXXV, presentibus domino Cunrado de Hohenloch, preposito sancti Johannis in Hauge, Cunrado de Wikardesheim pedagogo ipsius, magistro Alberto rectore scolarium apud summum, Wilando tabellione, Cunrado Longo scriptore, Hartmanno scriptore magistri Gregorii prefati,

Kirstano camerario eiusdem Heinrico scolari suo, Bertoldo et Hermanno famulis suis, Alberto pistore, Conrado de Linach sororio ipsius, Jringo cancellario et aliis quam pluribus ad hoc uocatis et rogatis testibus fide dignis.

Appendet sigillum.

CDLXXXIII.

Anno 1286., 28. Januarii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus vineas suas sub castro Karleburg, in monte Vronberg sitas, Theoderico de Gamburg, cantori novi monasterii herbipolensis, Wortwino nepoti eiusdem, Agneti, uxori Gerlaci de Wisenfelt et Heinrico, filio eorum, pro vitae eorum tempore possidendas confert.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Recognoscimus presenti scripto ad noticiam vniuersorum, tam presencium, quam futurorum, transmittentes, quod, cum vinee nostre sub castro Karleburg, in monte Vronberg site, quinquaginta vel plura continentes jugera, a longe retroactis temporibus sint ex culturarum negligencia adeo annullate, quod ex illis modicum vel quasi nullum fructum perceperimus usque modo, nos recuperationi earumdem requisito super hoc diligenter capituli nostri consilio sollicite intendentes, predictas vineas vniuersas de ipsius capituli nostri consensu expresso dilectis nobis Theoderico de Gamburg, cantori ecclesie noui monasterii herbipolensis, Wortwino, nepoti eiusdem cantoris, Agneti, vxori Gerlaci de Wisenfelt et Heinrico, filio eorum, sub forma, modo, pacto et condicionibus infra scriptis contulimus et in hiis litteris conferimus pro vite eorum tempore possidendas, ita quidem, ut eedem persone aut illa, que premortuis aliis superstes fuerit, nobis et successoribus nostris annuatim tempore

vindemiarum sub ipso monte Vronberg medietatem tocius vini, quod de ipsis tunc prouenit vineis, sub medietate expensarum, quas tantum circa collectores, portitores vini et custodes facere tenebimur, assignabunt; preterea memorate persone predictas vineas sexaginta plaustratis fimi et totidem plaustratis terre in silua nostra, circa montem Vronberg sita, accipiende annis singulis stercorabunt et quouis anno duo milia sarculorum, qui mechlinge dicuntur, inserent vineis supradictis, sic tamen, quod, si ultra iam dictas culturas quocumque anno quicquam adiecerint, hoc ipsum eis annis debet subsequentibus amputari. Illas itaque predictas et omnes alias, quocumque nomine censeantur, culturas debitas eedem persone facient annis singulis absque nostris et nostrorum successorum laboribus et expensis, et quociens in quacumque cultura negligentes ad accusationem jurati vinitoris nostri reperte fuerint, tociens nobis ad solucionem decem librarum denariorum herbipolensis monete in penam negligencie huiusmodi tenebuntur, de qua siquidem solucione ad ipsas personas ac ad illam vini medietatem eas contingentem respectum habebimus annuatim. Sane postquam dicte persone uel ea, que in predictarum vinearum possessione fuerit, easdem vineas tam in stercorationibus, quam sarculorum, ut predicitur, insicionibus ad perfectam et completam perduxerint culturam, ita quod hiis culturis comode posse carere ad tempus aliquid videantur, ex tunc eedem persone ad terminum, quem eisdem vinitor noster iuratus et ciues karlestatenses, quos ad hoc deputauerimus, statuerint, sunt a cultura huiuscemodi releuande, ipsas culturas post indultum eis, ut premittitur, terminum, ad requisicionem vinitoris et ciuium predictorum annis singulis iterato uelud antea facture, iuxta quod exegerit necessitas vinearum, alioquin nobis ad eam, que predicitur, penam ut primitus sunt astricte. Nos quoque eisdem personis, ut palos non ultra, quam qui ad ipsas vineas nostras sufficiant, in nemore nostro Langenloch dicto annuatim succidant, concedimus ac viminarium illud in flumine Mogi, apud Mivlbach positum, quod wert dicitur, eis ad usus ligaminum ea sic libertate deputamus, ut nemo alius preter earumdem personarum, quamdiu vixerint, voluntatem in illo umquam facere quicquam audeat aut attemptet. Hiis autem quatuor personis predictis non existen-

tibus idem viminarium cum vineis predictis ad nos et successores nostros cum omni vsufructuum integritate libere reuertetur. Testes, qui premissis interfuerunt, sunt hii: Conradus Vbellin, Conradus Buele, Rudegerus de Geylenhusen, Heinrich Lusman, Conradus de Spiegelberg, Conradus Wirt, Sigehardus, Sifridus Herink, Cvnrat Marquart, Johannes Zolner, Heinricus frater eius, Conradus Sartor, Rudegerus Salzman, Hermannus Kul, ciues karlestatenses et plures alii fidedigni, ad hoc vocati testes et rogati. In quorum omnium et singulorum testimonium atque robur presentes litteras memoratis personis dari fecimus, nostro et capituli nostri sigillorum appensionibus consignatas. Datum et actum Herbipoli anno domini M°. CC°. octuagesimo sexto, V. Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno duodecimo.

Appendent duo sigilla valde laesa.

CDLXXXIV.

Anno 1286., 2. Martii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus domum, sitam ante curiam daz Tuschehus dictam, quam Johannes et Cunradus Sweigerere fratres ab ecclesia herbipolensi in feodo possederant et fratribus domus theutonicae herbipolensis vendiderant, eidem domui in proprium dat et cubiculum in vico Erweizergazze Herbipoli situm et medietatem domus eidem cubiculo contiguae in restaurum antedictae domus sibi traditae Johanni Sweigerere in feodum confert.

Bertholdus dei gracia herbipolensis episcopus. Recognoscimus vniuersis, has litteras inspecturis, quod Johannes dictus Sweigerere protestans publice coram nobis, se domum illam, sitam ante curiam illam, que vulgariter in Herbipoli dicitur daz Tuschehus, quam quidem domum ipse Johannes et Cunradus Swei-

gerere miles, fratres, a nobis in feodo possederant, dilectis in Christo . . commendatori et fratribus domus theutonice herbipolensis pro decem et octo libris denariorum herbipolensis monete vendidisse eandem domum una cum predicto milite, cui ipse Johannes, partem eidem in ipsa domo competenti, in bonis aliis restaurauit, nobis libere resignavit petiitque eandem domum a nobis donari in proprium . . commendatori et fratribus supradictis, ad manus nostras de suis proprietatibus videlicet cubiculum illud in vico, qui Erweizergazze dicitur, situm Herbipoli, quod Sifridus Amentregere inhabitare dinoscitur, soluens decem et octo denariorum solidos annuatim et medietatem domus eidem cubiculo contigue, quam Morgardis inhabitare dicitur, soluentem annis singulis maldrum salis in restaurum antedicte domus libere resignando ac supplicando, ut easdem proprietates sibi conferre in feodum dignaremur. Nos itaque ad preces huiusmodi cubiculum et medietatem domus, de quibus predicitur, ipsi Johanni in feodum contulimus et conferimus a nobis jure feodi possidendas, prefatam quoque domum ante Tuschehus, sicut superius tangitur, sitam in proprium donauimus et donamus . . conmendatori et fratribus memoratis, in eosdem ipsam domum cum pleno rerum dominio transferentes et a nobis omne jus, quod nobis et nostris successoribus in ipsa domo ex dominio feodi competebat, penitus abdicantes. Testes horum pretactorum sunt: Wernherus de Tannenberg nostre ecclesie archidyaconus, magister Reinhardus notarius noster et canonicus noui monasterii, Hermannus de Tanne miles, Johannes de Vrheim, Vlricus frater eius, Gernodus Houeschultheize, Volkelinus in platea sancti Georgii, Frizo filius suus, Johannes de Ariete, Bertholdus de Abiete, Cunradus Cellerarius, Sweigerarii et plures alii fidedigni ad hoc uocati pariter et rogati. In quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostri sigilli munimine roboramus. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXX sexto, sabbato ante dominicam Inuocauit, pontificatus nostri anno XII.

Appendet sigillum.

CDLXXXV.

Anno 1286., 22. Martii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus ex vineis suis, sitis in monte „Palas“ sub castro Botenlouben, duodecim iugera Cunrado de Swanenvelt et Alberto de Obersuelt iure haereditario possidenda confert.

Bertoldus dei gracia herbipolensis episcopus. Recognoscimus presens scriptum intuentibus vniuersis, quod nos reformationi nostrarum vinearum, sitarum in monte sub castro nostro Botenlovben, dicto dor Palas, intendere cupientes, ex eisdem vineis duodecim jugera Cunrado de Swanenvelt et Alberto de Obersuelt, scilicet utrique eorum sex, contulimus et conferimus et eorum heredibus iure hereditario possidenda, sic, quod ipsi in quolibet quatuor annorum ab hodie intrancium terciam partem, et finitis illis annis, deinceps medietatem annuatim omnium fructuum, qui ab eisdem jugeribus prouenerint, nobis aut nostris successoribus ministrent ante torcular, eorum laboribus et expensis; collationi huiusmodi includentes, quod uterque eorum de predictis vineis instercorare debeat annis singulis vnum juger, quando et quociens hoc necessarium videatur, in qua stercoratione, quando ipsi ambo vel alter eorum fuerint negligentes, statim vacare debent nobis aut nostris successoribus vinee negligentis. Sane prefati possessores ipsas vineas excolere debent omnibus aliis culturis debitis et consuetis, quas, quociens ambo vel alter eorum neglexerit, tociens ille neglector pro pena negligencie huiusmodi tenebitur in sexaginta denariis nobis aut successoribus nostris dandis. Testes horum premissorum sunt: Heinricus de Wechmar nostre ecclesie archydiaconus, Reinhardus notarius noster, Cvnradus Studigel, Sifridus de Lapide, Heinricus de Grazingeshusen, Diethericus Lamperti, Heroldus Vetzere, Wilhelmus buticularius noster et plures alii fidedigni. In quorum premissorum testimonium hanc litteram nostri sigilli patrocinio communimus. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXX sexto, XI. kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno XII.

Sigillum laesum appendet.

Editum in Bechstein: Gesch. u. Gedichte &c. pag. 173, Nr. 1.

CDLXXXVI.

Anno 1286, 17. Maii.

Nicolai, vicarii ecclesiae maioris herbipolensis, capellani capellae S. Galli, quaerela contra Bertoldum scultetum de Rotendorf ob subtractum annuum canonem.

Coram vobis domino . . cantore noui monasterii herbipolensis proponit in iure Nicolaus sacerdos, vicarius ecclesie maioris, capellanus capelle sancti Galli, contra Bertoldum scultetum de Rottendorf, quod ipse Bertoldus bona et agros ac vineta ad dictam capellam spectantia, apud Rotendorf sita, iam per decem annos et amplius tenuit, et cum XIIII maldra siliginis annuatim de eisdem bonis solui consueuerint, ipse Bertoldus medietatem eiusdem pensionis, scilicet septem maldra singulis annis, tanto tempore, ut pretactum est, subtraxit et ipsi capelle non persoluit, quare petit ipse Nicolaus nomine dicte capelle, ipsum Bertoldum compelli ad solucionem predicte pensionis tanto tempore, ut dictum est, subtracte et, ut predicta bona, agros et vineta ipsi capelle restituat. Bona autem, agri et vineta, de quibus predicta pensio soluenda est, sunt ista: scilicet area quedam apud cimiterium Rotendorf, ubi domus et horreum sunt exusta; item IIII^or^. agri canpestres siti apud agros Hahelsprunnen retro cimiterium; item vnus ager alia parte pontis iuxta agros dominorum de Hauge; item vnus et dimidius aput G. de Meiningen et Wernherinnam de Rimpur; item ante Raspach mensura duarum virgarum; item Raztenberch IIII^or^. agri apud monachos; item Grůnstat V versus Keuerloch; item ibidem apud monachos vnus et dimidius; item ibidem vnus et dimidius apud plebanum herbipolensem; item ibidem aput plebanum II; item super monte Grůnstat vnus et dimidius apud G. de Meiningen; item ante Spreite vnus aput moniales sancti Martini; item Spreite IIII^or^. aput moniales sancte Afre; item in Griez IIII^or^ in duobus locis aput illos de Weldriet; item

Kůtenbrunnen vnus apud illos de Weldriet; item apud Sieb-[re]htsbrunnen pratum, habens vnum agrum et dimidium; item super Tůmpfel duo agri canpestres apud Vronhoue; item in Swarzherwege II; item apud Vronhove vnus; item apud fratrem dictum Bibelriet ante Mulberge mensura duarum virgarum; item apud Rieht vnus ager; item inferius aput villam III^a. quartalia; item apud Kůrnherwege II agri; item vltra Bůlte vnus; item versus Dribůch, vltra viam II; item versus Rode VI; item Bernscheit VI; item versus Swarzach II; item apud Winterlitten II; item Dietertal tria; item Sperwerstal III^a.; item apud Fronholdenbaum duo; item retro Graz II et dimidius; item ante Graz II; item in Mulwege II; versus villam II; item Horswerze II; item apud Fronhove vnus; item vltra vineam Al. Sesphari vnus; item versus collem apud plebanum herbipolensem III^a. Swartale; item in Rossehart II; item immetal apud agros ecclesie dimidius; item in Kizceinkheimerwege vnus; item in Geren vinea, habens vnum agrum et dimidium; item in Mulberg II et dimidius, sed sunt inculti; item Winterlitten quartale. Hec petit saluo iure sibi addendi, minuendi, mutandi, declarandi, petit etiam expensas in lite factas et protestatur faciendas; protestatur etiam, quod non astringit se ad probandum omnia supradicta, sed si qua ex hiis probauerit, ei prosint tanquam non plura proposita fuerint quam probata. Oblatus est iste libellus anno domini M^o. CC^o. LXXXVI°., feria sexta proxima post dominicam Cantate, et respondebitur feria sexta infra octauam Penthecostes.

Appendet sigillum.

CDLXXXVII.

Anno 1286., 27. Junii, Herbipoli.

Bertholdus episcopus herbipolensis capitulo majoris ecclesiae parochialem ecclesiam in Eisleben cum jure patronatus et pertinentiis universis et decimas in Eisleben et Eteleiben pleno iure proprietatis donat.

Bertholdus dei gracia episcopus herbipolensis ecclesie honorabilibus viris . . preposito . . decano totique capitulo eiusdem ecclisie salutem in domino sempiternam. Cum vniuersorum locorum deo dicatorum nobisque ex assumpto pastorali officio conmissorum curam gerere sollicitudine non pigra vigilanti animo interne mentis oculis teneamur, nos precipue et prouide considerantes, vos non posse propter uestrorum reddituum tenuitatem, ex diuersis terre discriminibus procedentem, cultum diuinum, vt uestri predecessores consueuerant, in dicta nostra ecclesia exercere, vt in eadem ecclesia eo frequentius commodius et liberius vigilare possitis laudibus in diuinis, vobis humiliter postulantibus, illam parrochialem ecclesiam in Eisleiben cum jure patronatus et pertinentiis eius vniuersis, cuius quidem ecclesie collacio ad nos spectabat et illas in Eisleiben et Eteleiben decimas iam Heinrico dicto Woluolt, camerario nostro pignori obligatas, pleno jure proprietatis et possessionis donamus et concedimus, in vos eandem ecclesiam et decimas cum juribus et pertinentiis suis cum pleno rerum dominio transferentes, quodque eiusdem ecclesie cedente vel decedente persona, que ipsam ecclesiam iam possidere dinoscitur et prefatarum decimarum, postquam ille a prefato camerario liberate fuerint, fructus in subsidium uestrarum prebendarum conuertere possitis plenam vobis concedentes presentibus facultatem, ita tamen, quod nostrum anniuersarium annis singulis sollempniter peragatis, et quod cura animarum in predicta ecclesia minime negligatur, quodque ipsa ecclesia perpetuum habeat vicarium, cui tantum de ipsius ecclesie

prouentibus relinquatur, quod episcopo et archidyacono loci, qui pro tempore fuerint, de eorum juribus valeat plenarie respondere. In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem has litteras vobis damus nostri sigilli karactere communitas. Datum Herbipoli anno domini MCCLXXXVI., V. kalendas Julii, pontificatus nostri anno XI.

Appendet sigillum.

CDLXXXVIII.

Anno 1286., 6. Septembris.

Capitulum maioris ecclesiae herbipolensis duo iugera vinearum, sita in campo Moinlite, sanctimonialibus in Hetingesvelt confert tali conditione, ut ecclesiae herbipolensi urna vini nomine canonis annuatim ministretur.

Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum lapsu temporis ne labantur, poni solent in lingua testium et scripture memoria perhennari. Agnoscant ergo presentes et sciant posteri, quod nos M. prepositus, Al. decanus totumque capitulum maioris ecclesie herbipolensis duo jugera vinearum, sita in campo, qui vulgo Moinlite dicitur, que quondam Henricus dictus Vulschenkel et vxor sua a nobis et ab ecclesia nostra pro canone tenebant, singulis annis videlicet vrna vini, abbatisse et conuentui sanctimonialium in Hetingesvelt, ordinis sancti Benedicti, jure hereditario contulimus perpetuo possidenda, tali adhibita caucione, vt ecclesie nostre vrna vini nomine canonis de dicta vinea annis singulis ministretur. Exstitit insuper hoc adiectum, quod, si dicta abbatissa et conuentus duobus annis inmediate iam dictum canonem soluere negligerent, dicta vinea ad nostram ecclesiam redibit, contradictione qualibet non obstante. Vt ergo hoc factum nostrum inuiolabile perseueret,

presentem litteram sigillo abbatisse et conuentus fecimus communiri. Acta sunt hec Herbipoli anno domini millesimo CCLXXXVI., VIII. idus Septembris.

Appendent duo sigilla.

CDLXXXIX.

Anno 1287., 1. Januarii.

Bertoldus herbipolensis episcopus castrum Bockesberg, ab ecclesia herbipolensi in feudum procedens, fratribus S. Johannis jerosolimitani in Wȏlchingen appropriat.

Bertoldus dei gracia episcopus ecclesie herbipolensis dilectis in Christo honorabili.. magistro et fratribus vniuersis hospitalis sancti Johannis jerosolimitani salutem in domino et sincere vinculum caritatis. Veniens ad presentiam nostram vir nobilis Krafto de Hohynloich, nomine Kraphtonis, Gerhardi et Conradi, filiorum quondam nobilis viri Conradi de Bockesperg, quorum tutelam gerebat, nobis insinuare curavit, quod licet duo ex filiis eiusdem Conradi de Bockesperg, videlicet Kraphto et Gerhardus, tercio scilicet Conrado in seculo remanente, habitum religionis vestre et ordinem famulaturi domino recepissent ac desiderent porcionem bonorum paternorum, per successionem sibi hereditariam debitorum, vobis et ordini vestro conferri pro suarum remedio animarum et, ut ordo ipsos et ipsi ordinem facilius et commodius valeant sustinere, iidem tamen propositum sibi diuinitus inspiratum absque nostro et capituli nostri adiutorio non possunt consequi, ut effectant, vnde petebat dictus nobilis Kraphto de Hohinloich proprietatem castri Bockesperg cum proventibus et redditibus aliisque juribus et pertinentiis infra marcham Bockesperg sitis, quod quidem castrum Bockesperg a nobis et ecclesia nostra procedit in feodum, recepta ex causa permutacionis proprietate

Sweyneburg castri, que ad filios predicti Conradi de Bockesperg dinoscitur pertinere, vobis et hospitali sancti Johannis dari nostri de voluntate capituli et assensu; verum quia prefati castri Sweineberg proprietas in ecclesiam nostram transferri non potest impediente minori etate supradicti Conradi de Bockesperg, ad quem idem castrum ex paterna successione dinoscitur deuolutum, memoratus nobilis Kraphto de Hohinloich vna cum Conrado filio suo proprietatem castri sui Liechtenecke cum suis pertinentiis nobis et ecclesie nostre donavit et a nobis recepit titulo feodali, ita sane, quod, postquam dictus Conradus, filius quondam Conradi de Bockesperg, ad annos legittimos perueniens uel suus legitimus heres, si ipsum Conradum medio tempore decedere contigerit, proprietatem sepedicti castri Sweineburg cum suis pertinentiis nobis et ecclesie nostre dederit, recepturus idem a nobis et ecclesia nostra in feodum, proprietas castri Liechtenecke predicti ad ipsum nobilem Kraphtonem de Hohinloich et suos heredes libere deuoluatur. Nos itaque, qui plantare sacram religionem et plantatam fovere tenemur et ex officii nostri debito promouere, peticionem supradicti nobilis Kraphtonis de Hohinloich, nomine Kraphtonis, Gerhardi et Conradi, filiorum quondam nobilis viri Conradi de Bockesperg predictorum, nobis et capitulo nostro exhibitam piam et racionabilem estimantes, considerantes etiam, quod prelibati castri Bockesperg cum suis attinentiis, ut predicitur, donatio sine preiudicio ecclesie nostre fieri poterit et iactura, presertim cum ipsa nostra ecclesia cum alterius castri equiualentis, immo melioris, proprietate indempnis servetur, castrum Bockesperg et suburbium ibidem, quod quondam Wonshoven nuncupabatur, prout ad nos et ecclesiam nostram pertinet, cum omnibus proventibus, judicio, jurisdictione, redditibus, vineis, agris, ortis, pratis, pascuis, siluis, nemoribus, molendino, piscacionibus, piscinis, aquis, aquarum decursibus, riuis, riuulis, viis, inuiis, quesitis et non quesitis aliisque omnibus juribus et pertinentiis suis, quocumque nomine censeantur, infra marcham Bockesperg sitis, vobis et hospitali sancti Johannis jerosolimitani de consensu expresso et uoluntate capituli nostri sub presentia testium

infra scriptorum donamus et tradimus proprietatem ipsius castri, suburbii, prouentuum, reddituum omniumque jurium et pertinentiarum predictorum in vos et hospitale predictum, de consensu expresso capituli nostri predicti, cum pleno rerum dominio transferentes, hoc tamen adhibito moderamine, quod sepedictum castrum Bockesperg cum suis pertinentiis prelibatis per vos uel per fratres vestros in toto uel in parte non alienetur aut aliqualiter distrahatur, et si forte, quod absit, vos aut fratres vestros memoratum castrum Bockesperg cum suis pertinentiis in toto uel in parte vendere uel alienare contingeret, volumus, ut nobis et ecclesie nostre exhibeatur et vendatur iusto precio comparandum. Vt autem hec nostra donatio de consensu capituli nostri supradicti facta omnibus patefiat et robur obtineat firmitatis, nec ulla super ea in posterum questio uel dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam exinde conscribi jussimus ac nostri et capituli nostri sigillorum appensionibus fecimus communiri. Acta sunt hec in circumcisione domini, anno eius millesimo CCLXXX septimo, pontificatus nostri anno XII. Testes huius donacionis nostre sunt: Manegoldus de Nuwenburg ecclesie nostre prepositus, Albertus decanus, Symon de Sliethese cantor, Fridericus de Hohinburg portenarius, Arnoldus de Spiezheim custos, Wernherus de Tannenberg archidiaconus, Henricus de Weychmar archidiaconus, Albertus de Lewensthein archidiaconus, Rudolfus de Hůrnheim scolasticus, prepositus onolspacensis, Ludewicus de Hohinburg archidiaconus, Goteboldus de Walhusen et Hermannus de Liebesperg, ecclesie nostre canonici; nobilis vir Kraphto de Hohinloich, frater Conradus commendator domus hospitalis sancti Johannis in Wôlchingen, frater Henricus de Seldenecke, commendator domus herbipolensis, frater Henricus de Loubingen, commendator domus in Myrgentheim, frater Fridericus custos, frater Conradus dictus de Crutheim, frater Henricus de Randersacker, Hermannus Leizscho, Conradus de Nidenowe, Conradus Bezo, Conradus Swegerarius junior, milites, Conradus de Aluelth, Gernodus et Gernodus fratres dicti Hofschulthezen, Conradus de Rietheim scultetus, Wolprandus famulus hospitalis predicti et alii quam plures testes, clerici et laici, fide digni.

Appendent duo sigilla.

CDLXXXX.

Anno 1287., 2. Januarii, Herbipoli.

Krafto dominus de Hohinloh, tutor Conradi, filii quondam Cunradi de Bockisberg, qui tutorio nomine se obligavit, quod, quamprimum pupillus suus annos pupillares transcenderit, in recompensam castri Bockisberg, a Bertoldo herbipolensi episcopo ad preces suas domui hospitalis in Wollechingen in proprium donati, castrum Sweineburg ad manus episcopi libere resignabit, in certidudinem resignationis proprium castrum suum Liehtenecke ad manus episcopi resignat.

Krafto dominus de Hohinloch, tutor Cvnradi filii quondam Cvnradi de Bockisberg, avunculi nostri, constare volumus vniuersis has litteras inspecturis, quod, quia reverendus pater dominus noster Bertoldus herbipolensis episcopus de consensu et voluntate sui capituli ad nostras et predicti filii pupilli instantes preces dilectis in Christo . . conmendatori et fratribus domus hospitalis in Wollechingen in proprium donauit castrum Bockisberg cum quibusdam certis bonis, eidem castro attinentibus, que in alio instrumento super ipsa donacione confecto sunt plenius declarata, nos ecclesiam herbipolensem, a qua ipsum castrum in feodo procedere dinoscebatur. indempnem et illesam conseruare a donatione huiusmodi cupientes, nomine tutorio promisimus, promittimus pro nobis et prefato pupillo ac nos et eundem presentibus obligamus, quod, quamprimum idem pupillus annos transcenderit pupillares, is uel ille, qui, si ipsum pupillum decedere contingat, sibi in hereditate sua successerit, castrum Sweineburg cum pertinenciis eiusdem, quod quidem castrum ex paterna successione ad eundem pupillum dinoscitur deuolutum, ad manus memorati domini episcopi vel sui successoris libere resignabit, idem ab eodem episcopo vel successore in feodum recepturus et titulo feodi possessurus, in recompensam castri Bockisberg supradicti. Sane cum ad presens ipsius castri Sweineburg resignacio et recepcio eiusdem in feodum non valeat, pupillari prefati pupilli etate iam obstante, debito effectui mancipari,

Nos in certitudinem resignacionis et recepcionis earundem per ipsum pupillum ut predicitur faciendarum proprium nostrum castrum Liehtenecke cum suis pertinenciis vniuersis vna cum filio nostro Cunrado ad manus supradicti domini episcopi resignauimus, resignamus idem, recepimus et recipimus ab eodem episcopo in feodum nomine feodi possidendum, ita, vt antedicto castro Sweineburg per memoratum pupillum resignato in feodum, ut supra tangitur, recepto, ipsum nostrum castrum Liehteneke ab onere feodi penitus releuatam in nostram et nostrorum heredum proprietatem pristinam reuertatur. In horum premissorum testimonium atque euidenciam pleniorem hanc paginam nostro et prelibati filii nostri sigillis duximus roborandam. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXXVII., in octaua Stephani prothomartyris.

Appendent duo sigilla.

CDLXXXXI.

Anno 1287., 2. Januarii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus protestatur, quod castrum Liehtenecke ab onere feodi relevatum in proprietatem pristinam Kraftonis de Hohenloh revertere debet, postquam castrum Sweineburg sibi aut successori suo fuerit resignatum.

Bertoldus, dei gratia herbipolensis episcopus, patere volumus vniuersis, tam presentibus, quam futuris, quod, quia nos ad viri nobilis Kraftonis de Hohinloch, tutoris Cvnradi filii quondam Cvnradi de Bockisberg, necnon ipsius filii pupilli instantes preces, de consensu nostri capituli, donauimus in proprium et donamus dilectis in Christo . . . conmendatori et fatribus domus hospitalis in Wollechingen, nostre dyocesis, castrum Bockesberg cum quibusdam certis bonis, eidem castro attinentibus, que in alio instrumento super ipsa donatione confecto plenius sunt

expressa. Ipse quoque tutor volens propter hoc nostram ecclesiam, a qua idem castrum in feodo procedere noscebatur, indempnem a donatione huiusmodi conseruare, promisit ac se et predictum pupillum in suis litteris super hoc confectis obligauit, vt quam primum idem pupillus annos transcendat pupillares, is vel ille, qui, si eundem pupillum decedere contingat, sibi in hereditate sua successerit, castrum Sweineburg cum pertinentiis eiusdem, quod quidem castrum ex paterna successione ad ipsum pupillum dinoscitur deuolutum, ad manus nostras vel nostri successoris in reconpensam predicti castri Bockesberg libere resignet, idem a nobis vel nostro successore in feodum recepturus, et titulo feodi possessurus. Idem etiam tutor cum ad presens ipsius castri Sweineburg resignatio et receptio eiusdem in feodum non valeat, prefati pupilli pupillari etate obstante, debito effectui mancipari, in certitutinem resignationis et receptionis earumdem per ipsum pupillum, ut predicitur, faciendarum proprium suum castrum Liehtenecke cum suis pertinenciis vniuersis vna cum filio suo Cvnrado ad manus nostras resignauit et idem a nobis in feodum recepit nomine feodi possidendum, ita vt antedicto castro Sweineburg per memoratum pupillum resignato et in feodum, ut supra tangitur, recepto ipsum castrum Liehtenecke, ab onere feodi releuatum, in proprietatem ipsius tutoris pristinam reuertatur, sicut in predicti tutoris litteris super premissis omnibus declaratur. Nos publice protestamur, quod postquam sepedictum castrum Sweineburg nobis aut nostro successori fuerit, ut premittitur, resignatum et in feodum receptum, prenominatum castrum Liehtenecke prefati tutoris et suorum heredum proprium, ut primitus, debet esse. In horum premissorum testimonium atque euidenciam pleniorem hanc paginam nostri sigilli karactere roboramus. Datum Herbipoli, anno domini millesimo CCLXXXVII., in octava sancti Stephani prothomartyris, pontificatus nostri anno XII.

Sigillum appendet.

CDLXXXXII.

Anno 1287., 8. Januarii.

Commendator et fratres hospitalis Iherosolimitani S. Johannis in Wollechingen, extremam voluntatem Gerhardi, canonici herbipolensis et Cunradi, fratrum, de Bockesberg, observari volentes, quatuor maldra tritici et sex libras hallensium capitulo herbipolensi singulis annis solvere promittunt.

Honorabilibus viris . . preposito . . decano et capitulo herbipolensibus conmendator et fratres hospitalis Iherosolomitani sancti Johannis in Wollechingen salutem in domino sempiternam. Cum nobiles viri quondam Gerhardus canonicus herbipolensis et Cůnradus, fratres de Bockesberg, in extremis positi quatuor maldra tritici, singulis annis soluenda, et duo lumina in ecclesia vestra perpetua lucencia vobis et ecclesie vestre legauerint pro suarum remedio animarum et castrum Bockesberg cum quibusdam suis pertinenciis et iuribus, quod ad ipsos ex successione hereditaria pertinebat, in nos et hospitale sancti Johannis Iherosolomitani per donationem venerabilis patris et domini Bertholdi herbipolensis episcopi de consensu vestro factam prouide sit translatum, nos volentes predictorum Gerhardi et Cůnradi extremam voluntatem de tritico et luminibus predictis, prout saluti eorum expedit, obseruari, quatuor maldra tritici singulis annis mensure herbipolensis infra festa assumptionis et natiuitatis beate virginis et sex libras hallensium singulis annis soluenda in festo Martini, pro expediendis duobus luminibus perpetuis in ecclesia vestra, vobis et ecclesie vestre predicte dare et soluere promittimus et ad eorum solucionem suis terminis sine more dispendio faciendam nos et domum nostram in Wollechingen presentibus obligamus, volentes et consencientes, ut episcopus herbipolensis aut loci archidyaconus, qui pro tempore fuerit, parrochiam nostram Wollechingen, si in prefatis terminis triticum et hallenses predictos non soluerimus, subiciat ecclesiastico interdicto; quod qui-

dem interdictum promittimus usque ad plenam solucionem firmiter obseruare, dampna quoque et expensas, que et quas vos ex retardata solucione tritici et hallensium superius expressorum sustinere contigerit, vobis promittimus ex integro resarcire. In cuius rei testimonium presentem litteram sigillo nostro et sigillo conmendatoris domus sancti Johannis herbipolensis fecimus conmuniri. Actum anno domini MCCLXXXVII., VI. idus Januarii, presentibus fratre Heinrico conmendatore in Mergentheim, fratre Friderico custode domus herbipolensis, fratre Cunrado de Crutheim, Symone cantore, Friderico portenario, Wernhero de Tannenberg, Heinrico de Wechmar, Ludewico de Hohenberg, canonicis et archidyaconis herbipolensibus et aliis clericis et laycis fide dignis ad hoc vocatis et rogatis testibus.

Appendent duo sigilla.

CDLXXXXIII.

Anno 1287., 21. Januarii, Herbipoli.

Bertoldus herbipolensis episcopus silvam Rit, marcae Trugstat contiguam, ad preces Heinrici comitis de Kastele, qui eam ab ecclesia herbipolensi in feodo possederat et monasterio in Eborach vendiderat, eidem monasterio in proprium dat.

Bertoldus dei gracia herbipolensis episcopus vniuersis modo natis et in posterum nasciturís profitemur, publice protestantes, quod vir nobilis Heinricus comes de Kastele affirmans publice coram nobis, se illam siluam dictam Rit illi marke Trugstat contiguam, quam quidem siluam a nobis in feodo possidebat, dilectis in Christo . . abbati et conuentui monasterii in Eborach vendidisse illamque nobis libere resignans petiuit, vt eandem dicto monasterio donare in proprium curaremus. Nos itaque eiusdem comitis precibus fauorabiliter annuentes, eandem siluam memorato monasterio pro remedio

animae nostre donamus et tradimus in proprium, eandem in ipsum monasterium et . . abbatem ac conuentum predictos cum pleno rerum dominio transferentes et a nobis omne jus, quod nobis et successoribus nostris in ipsa silua competere posset, penitus abdicantes. In cuius rei testimonium hoc scriptum nostri sigilli patrocinio roboramus. Datum Herbipoli, anno domini millesimo CCLXXXVII., in die Agnetis virginis, pontificatus nostri anno XIIII.

Sigillum appendet.

CDLXXXXIV.

Anno 1287., 11. Maii.

Bertholdus herbipolensis episcopus capitulo suo parrochiales ecclesias Kregelingen, Reinoltesperge, Michelvelt et Steininkirchen cum filiabus et capellis pleno iure proprietatis concedit.

Bertholdus dei gracia herbipolensis ecclesie episcopus dilectis in Christo . . preposito . . decano et capitulo suo herbipolensi salutem et sinceram in domino karitatem. Cum plantare cultum diuini nominis et plantatum fouere, nec non promouere ea, que ad eiusdem cultus decorem spectant, precipue in nostra ecclesia, cuius regimini sumus diuina prouidencia deputati, ex officii nostri debito teneamur, nos prouide considerantes, quod prebendarum vestrarum redditus et prouentus propter diuersa guerrarum discrimina et pacem terre communem hactenus perturbatam sunt plurimum diminuti, propter quod diuinorum obsequiis, vt consueuistis, intendere non potestis, ex affectu sincero subsidium vobis postulantibus, prout presentis status temporis patitur, decreuimus inpendendum, vt in ecclesia nostra herbipolensi predicta per vos diuinorum obsequia valeant liberius exerceri, parrochiales ecclesias Kregelingen videlicet, Reinoltesperge, Michelvelt et Steininkirchen cum filiabus suis

et capellis eidem annexis omnibusque iuribus, libertatibus et pertinenciis suis, quarum iura patronatus ad honorabiles viros . . abbatem et conuentum monasterii in Kamberg, ordinis sancti Benedicti, nostre dyocesis, ab antiquo pertinere noscuntur, vobis de voluntate et consensu expressis abbatis et conuentus predictorum pleno iure proprietatis et possessionis donamus et concedimus, in vos easdem parrochiales ecclesias cum capellis et filiabus suis omnibusque iuribus, pertinenciis et libertatibus ipsarum de consensu et voluntate abbatis et conuentus eorundem cum pleno rerum dominio transferentes. Et quod fructus ac prouentus predictarum ecclesiarum in subsidium vestrarum prebendarum conuertere possitis, cum vacauerint, plenam vobis, accedente consensu abbatis et conuentus superius expressorum, per presentes concedimus facultatem; ita tamen, quod cura animarum in eisdem ecclesiis minime negligatur quodque prefate parochiales ecclesie perpetuos habeant vicarios, quibus tantum de ipsarum prouentibus relinquatur, quod episcopo et archidyacono loci, qui pro tempore fuerint, de suis valeant iuribus respondere. Ut autem hec nostra donatio cum abbatis et conuentus predictorum consensu facta omnibus patefiat et robur obtineat firmitàtis nec vlla super ea in posterum questio vel dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam exinde conscribi iussimus et sigillorum nostri, abbatis et conuentus in Kamberg memoratorum appensionibus fecimus conmuniri. Nos Bertoldus abbas et conuentus monasterii in Kamberg, ordinis sancti Benedicti, herbipolensis dyocesis, donationem et concessionem parochialium ecclesiarum, superius expressarum, ratam et gratam habentes, eidem donationi et concessioni expresse et ex certa sciencia consentimus et in euidens testimonium omnium premissorum presenti pagine sigilla nostra duximus appendenda. Actum V. idus Maij, pontificatus nostri anno XIII., anno vero domini MCCLXXX septimo, presentibus Manegoldo de Nuenburg preposito, Alberto decano, Symone de Slitese cantore, Friderico de Hohenburg portenario, Arnoldo die Spiezsheim custode, Wernhero de Tannenberg, Heinrico de Wechmar, Ludewico de Hohenberg, magistro Gregorio et Alberto de Leuwenstein archidyaconis, Rudolfo de Hurnheim scolastico,

Godeboldo de Walhusen et Hermanno de Liebesperg canonicis herbipolensibus, item Rudegero priore in Kamberg, Ruggero custode, Cunrado camerario, Sifrido cantore, Heinrico sacerdote, Johanne cellerario, Rudegero de Braggenwanch, Volknando de Rote, Berngero de Heigemberg, Walkůno, Sefrido dicto Bokenuelt, Walthero dicto Sieder, monachis de Kamberg, et aliis quam pluribus adhibitis testibus fidedignis.

Appendent tria sigilla.

CDLXXXXV.

Anno 1287., 15. Junii.

Sententia capituli herbipolensis in dissensione inter Bertholdum episcopum ex una et Conradum de Hohinloch, praepositum S. Johannis in Houge, et capitulum ibidem ex parte altera super juridictione villae Rotendorf.

Nos Manegoldus prepositus totumque capitulum ecclesie herbipolensis tenore presentium recognoscimus vniuersis, tam presentibus, quam futuris, quod inter venerabilem patrem dominum Bertholdum, nostrum episcopum ex una et honorabiles viros Conradum de Hohinloch, prepositum ecclesie sancti Johannis in Houge, et capitulum ibidem ex parte altera super juridictione ville Rotendorf cuiusdam dissensionis materia suscitata tandem eedem partes super dissensione huiusmodi in nos compromittere curaverunt ita, vt singuli nostrum, auditis hinc et inde de ipsa dissensione proponendis, super nostram obedientiam super eadem dissensione requisiti, habere deberemus auctoritatem plenariam ipsam dissensionem penitus decidendi, promittentes et astringentes se nostris dictis super ipsa dissensione promulgandis irrevocabiliter parituras. Nos itaque in presentia honorabilium virorum Waltheri decani et capituli noui monasterii, auditis

assercionibus et racionibus dictarum partium de prefata dissensione propositis coram nobis et super illis deliberacione prehabita diligenti sub sacramento nostre obedientie pronunciauimus et pronunciamus, predictum dominum nostrum episcopum debere restituere siue remittere in Rotendorf judicii prefato Conrado preposito juridictionem, quam sui predecessores inibi hactenus habuerunt, ipsi domino episcopo de homicidiis, notnunfta, furto et fluentibus vulneribus, judicio plene saluo. Attamen idem prepositus ipsi domino nostro episcopo stabit de predicta juridictione juri coram nobis, quandocumque idem dominus episcopus eundem prepositum conuenire decreuerit pro eadem. Item pronunciamus, quod, si per eundem dominum episcopum aut suos, hominibus in bonis iam dicti prepositi vel eius capituli in villa Rotendorf sitis residentibus, dampna aliqua sunt illata, idem dominus episcopus tenetur illa ipsi preposito et eius capitulo restaurare. Item pronunciauimus et pronunciamus, quod ipse dominus episcopus cum . . sculteto de Rotendorf et fratribus eiusdem debet et potest disponere et ordinare, quidquid cum aliis suis propriis hominibus decreuerit disponendum, nullius ob hoc querimoniam aut peticionem respecturus, maxime cum . . decanus et capitulum in Houge a nobis, si iidem fratres eorum essent proprii, requisiti, publice hoc negabant, predicto domino episcopo constantius affirmante, sibi eosdem fratres proprietatis tytulo attinere. Preterea pronunciamus, quod, quidquid occasione cuiusdam homicidii, . . sculteto et fratribus eisdem obiecti, vel pretextu illius lesionis, per eosdem Conrado Studigel illate, eisdem ab ipso domino episcopo vel a suis pene est inflictum aut dampni illatum, de illis Conradus prepositus et capitulum eius supradicti eidem domino episcopo nullam mouere deinceps debeant questionem. In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hoc scriptum nostri et noui monasterii capitulorum sigillis duximus muniendum. Actum et datum anno domini M°. CC°. LXXXVII°., XVII°. kalendas Julii.

Appendent duo sigilla laesa.

CDLXXXXVI.

Anno 1287., 16. Julii, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus decimam in Sletech sibi a fratribus de Mernhusen resignatam monasterio in Lancheim appropriat.

Bertholdus dei gratia herbipolensis episcopus. Tenore presentium recognoscimus tam presentibus quam futuris, quod **Theodericus**, **Iwanus** et . . . .*) fratres de **Mernhusen** illam decimam in **Sletech**, quam iidem a nobis tenebant in feodo, nobis libere resignantes, humiliter supplicarunt, vt eandem dilectis in Christo . . abbati et conuentui monasterii in **Lancheim**, ordinis cisterciensis, babinbergensis dyocesis, donare in proprium dignaremur. Nos itaque ad supplicationes huiusmodi fauorabiliter inclinati, predictam decimam . . abbati et conuentui prefati monasterii donamus in proprium, jure meriproprii perpetim possidendam, a nobis et nostris successoribus omne ius, quod nobis in ipsa decima competebat, penitus abdicantes, sed illud in abbatem, conuentum et monasterium predictos, cum pleno rerum dominio transferentes. In quorum premissorum testimonium hanc paginam nostri sigilli patrocinio roboramus. Datum Herbipoli, anno domini MCCLXXXVII., in crastino diuisionis apostolorum, pontificatus nostri anno XIII.

Appendet sigillum.

*) Hic in charta spatium relictum est.

CDLXXXXVII.

Anno 1287., 29. Octobris, Herbipoli.

Bertholdus herbipolensis episcopus decem pratorum iugera, quorum septem iuxta Bockelat, in der Ouwe, tria sub monte zume Hohenrode sita sunt, a se in feodo procedentia, quae Bertholdus de Rotenkolben coenobio in Vrouwenrode assignaverat, eidem coenobio appropriat.

Bertholdus dei gratia herbipolensis episcopus. Inspectoribus presentium publice recognoscimus vniuersis, quod Bertholdus de Rotenkolben, ciuis noster de Noua ciuitate nostra, asserens se occasione Gerdrudis, filie sue, ad consortium et habitum religionis sanctimonialium cenobii in Vrouwenrode recepte, decem pratorum jugera a nobis in feodo procedentium, quorum septem iuxta Bockelat, in der Ouwe, alia tria sub monte dicto zume Hohenrode sita sunt, dicto cenobio assignasse, vt eo commodius ordinem ipsius cenobii ipsa filia, et ordo eandem filiam ualeat sustinere. In restaurum quoque eorumdem jugerum de sua proprietate, uidelicet quindecim agros campestres, quorum vndecim in monte dicto zume Graz, alii quatuor sub monte Scharlleberg siti sunt, nobis libere resignans illosque a nobis in feodum loco prefatorum jugerum recipiens, vt prenominata decem pratorum jugera memorato cenobio donare in proprium dignaremur, humiliter supplicauit. Nos itaque ad supplicationes huiusmodi fauorabilius inclinati eadem decem pratorum jugera sanctimonialibus et cenobio supra dictis in proprium donauimus et damus, a nobis et nostra ecclesia iure proprietatis perpetim possidenda. In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hoc scriptum eisdem sanctimonialibus et cenobio dedimus nostri sigilli patrocinio communitum. Datum Herbipoli anno domini MCDLXXXVII., in crastino Symonis et Jude, pontificatus nostri anno XIIII.

Sigillum appendet.

CDLXXXXVIII.

Anno 1287., 22. Novembris.

Heinricus de Wechmar, decanus et archidiaconus herbipolensis, ratione decanatus sui existens rector et provisor hospitalis S. Theoderici, ratam habet venditionem cuiusdam domus, de qua ipsi hospitali datur census.

Nos Heinricus de Wechmar, decanus et archidiaconus herbipolensis, tenore presencium notum facimus vniuersis, quod, cum Conradus Sartor et vxor sua vendidissent ius suum hereditarium, quod habebant in quadam domo apud hospitale sancti Theoderici, de qua ipsi hospitali datur census viginti quinque solidorum denariorum herbipolensium, Ottoni dicto Svap, vxori sue et ipsorum heredibus, et dominus Johannes plebanus nec non fratres iamdicti hospitalis contulissent ipsi Ottoni, vxori sue, ipsorumque heredibus iure hereditario eandem domum perpetuo possidendam pro censu superius nominato, et nos, cum simus rector et prouisor eiusdem hospitalis, ratione decanatus nostri, predictam vendicionem et collacionem ratam et gratam habemus et consensum nostrum expressum presentibus adhibemus. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine roboramus. Datum anno domini MCCLXXXVII, in die beate Cecilie.

Sigillum laesum appendet.